14
17 P
22

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

49 49
A A
18 20

❦OPVSCVLA SEPTENdecim lectu digna, ſex & quinquaginta tractatibus abſoluta, variaq́; doctrina referta: in publicam vtilitatem, maximè autē ſacerdotum, nunc omnium primùm edita.

Doctore Honcala, Canonico, à ſacris concionibus in Eccleſia Abulenſi, Authore.

AD ILLVSTREM ADMODVM AC REVErendiſsimum Dominum D. Didacum Alauenſem, Eſquiuelum, Epiſcopum Abulenſem, ac Præſidem Regium.

Ex legato  Illustriss: Cornu

Biblio. Secr. ✠ Opuſculorum Indicem mox à dedicatoriis Epiſtolis reperies. Coll. Rom. Soc. Jesu

SALMANTICAE,

Excudebat Andreas à Portonariis.

M. D. LIII.

[library stamp]

❦ Arnoldi Schurerii Brabanti, Caſtigatoris Typographici, in laudem Authoris & Voluminis, Elegiaci.

Huc archiuorum lector properato ſacrorum:
Huc quem ſyncerè Pagina ſacra iuuat.
Myſtica quiſq; volet Myſtarum nomina noſſe,
Quorum vſus, ſummo ſacrificando Deo.
Omnia panduntur quo ſint idiomate ſcripta,
Hebræo, Latio, Argolicóue ſimul.
Cætera Librorum me prodere nomina geſtis?
Deficeret citiùs Phœbus & alma dies.
Non ità, quod fama eſt, Minoidos atria Cretæ
Irremeabilibus plena fuêre viis:
Doctoris claræ quàm dîa noëmata famæ,
Lectori, Honcalæ, commoda multa dabunt.

Ὦ ἄνα κούρης υἱὲ θεοῦ τέκος, οὔποτε σεῖο
λήσεται ἀρχόμενος, οὐδ' ἀποπαυόμενος.
Ἀλλ' αἰεὶ πρῶτόν τε καὶ ὕστατον ἔντε μέσοισιν
ἀείδει. σὺ δὲ σὺ κλῦθι, καὶ ἐσθλὰ δίδου.

Iam cùm ſacrifici ſtudium eſt euoluere libros
Sacratos, Drachmas proferat, hunc'q; legat.

Becha Adonai chaſithi, al euotſa lolam. ψάλ. λ'.

Franciſcus à Soto, Canonicus ac Prc epiſcopus Abulenſis, ſuo Antonio Honcalæ, eiuſdem Eccleſiæ Canonico, & Eccleſiaſtæ eximio. S. P. D.

ACcepi tua hæc Opuſcula perlegenda, vnice ſacri eloquii interpres, fideiq́; enarrator, quę rectiùs opera dixerim: vtpote quæ vario doctrinæ & eruditionis genere refertiſsima ſint, & quæ verum præbent aliorum tuorũ operum maximum ſpecimen. Quibus perlectis non potui non mihi mirum in modum placere, quando te nobis talem tantumq́; virũ noſtra hæc Abulenſis Eccleſia præſtitit. Quapropter haud immeritò omnes huius alumni, quotquot ſumus, eidémmet eccleſiæ, plenis (vt iactatur Prouerbio) tibiis gratulari tenemur, ob tam ſplendidum fulgentiſſimumq́ filium nobis, & toti orbi conceſſum. Quid autem de tuis Opuſculis exigua ingenioli noſtri cenſura ſentiat? nihil amplius eſt quod iudicet, quàm quòd te autore ſtructa, tuæq́; probitatis lima abraſa, & vti aurũ igne probari ſolet, ad me manusq́; meas tuo examine tuoq́; iudicio ſatis probata & circumſpecta peruenerunt: quæ noſtræ autoritatis etiam ſuffragiis ac calculis comprobamus. Vnde tantum hac in re nobis ſupereſſe videtur, vt commonefaciamus, & exhortemur omnes, huius diœceſeos, & aliarum regionum viros ſacris, vel non, initiatos ordinibus, vt Opuſcula hæc tua obuiis vlnis, ac toto pectore ſuſcipiant: quæ tantum reconditioris & altioris doctrinæ præ ſe ferunt, quantum alia opera ferre vidimus. Adeò hoc verum eſt, vt illa non Opuſcula, ſed ſacros quoſdam Silenos mira arte ſtructos apud omnes eſſe prædicem, & de illis æquum proclamare cenſuerim illud, Maior in exiguo hoc regnat Volumine virtus. Deus Optimus Maximus faxit vt te nobis in ventura ſæcula ſuperſtitem reddat, vt ſtudiorum tuorum labores, ac aſſiduas vigilias, & lucubrationes ſubinde in vulgus emittas atq́; ædas, ſyncero illo animo quo ſolitus es, & mente. Videlicet gratia non popularem auram captandi, ſed diuinum promerendi fauorem. Bene Vale noſtræ Almæ Eccleſiæ decus ſingulare, buccinatorq́; eximie Dominici ſermonis. Iterum bene vale: noſtri ſemper memor.

Verè tuus ex animo, Licentiatus Franciſ. Soto.

❧Blaſius Gonſaleus ſacræ Theologiæ Licentiatus, Parrhacenſis Canonicus, è Pinciano Collegio à Cardinali eius autore nomen ſortito, cũctis ad ſacerdotalia ſacra promotis piam ſanctamq; mentẽ, per quã debitũ Deo cultũ dignè reddãt, vehemẽter exoptat.

ETenim puriſſimũ illud electionis vas, Paulus Apoſtolus, doctor
gẽtiũ in fide & veritate, dilectiſſimi Cõſacerdotes, in ea Epiſtola
quam Epheſianis tranſmiſit, teſtatur, Deum Optimum ac Maximum, quod eum addecebat maximè, Eccleſiæ ſuæ prouidè con
ſuluiſſe, inſtituendo in ea, quoſdam quidem Apoſtolos, alios
Euangeliſtas, alios Prophetas, alios Paſtores & Doctores, in con
ſummationem ſanctorum, in diuini miniſterij opus ad ædificationem corporis myſtici
quæ eſt Eccleſia Chriſti. Subinde autem illis primatibus ſuffecit prædicatores apoſto-
licos, viros euangelicos, & eccleſiaſticos tractatores, qui diuinam legem probè, ac ſan
ctè, & piè interpretantes, plurimos ad iuſtitiam veramq; pietatem colendam, percom
modè erudiant, menteſq; fidelium ſacra religione imbuant, Deoq; addicant: ſcilicet
ſemet imitatores Chriſti, gregiſq; Chriſtiani cultores exhibẽtes. Qui inſtent præterea
ſacris peragendis, renatiſq; in Chriſto cuſtodiendis atq; paſcendis, peruigiles. Rapidos
compellant fugere lupos. Nec non ab hæreſum ſpurcitijs, errorumq; illuuie, plebem in-
taminatam ſeruent, radioſoq; cœleſtium ſacramentorum fulgore eam illuſtrent. Ad
hæc ad populum cõcionantes, & vitia vituperent, & virtutes laudent: & quaſi tuba
vocem ſuam exaltantes, opportunè, importunè, arguant, increpent, ſemperq; peccato-
ribus inſtent, vt reſipiſcant: proboſq; ad vlteriora merita capeſſenda prouocent, ani-
ment, vrgeant. Horum profectò numero haud immeritò Antonius Honcala in Theo
logicis doctor, Eccleſiæ Abulẽ. à cõcionibus Canonicus, annumerandus videtur. Pol
let enim tribus illis ſacris linguis, Hebræa, Græca, atq; Latina: quæ plurimũ ad ſacrarũ
ſcripturarũ intelligentiã faciunt, ſi pium, modeſtum, atq; commodum nactæ ſint tra-
ctatorem. Pollet & ſcholaſticis in diſputationibus, non vulgaribus tum acuminibus,
tum reſolutionibus: quippe qui in Salmanticenſi Academia toto terrarum orbe floren
tiſſima, duos & viginti annos in Theologica palæſtra, tum diſcendo, tum docendo
ſtrenuè admodùm exegerit. Iam verò Abylam accerſitus, nequâquam inertiæ aut ſe-
gnitiæ ſe dederit: ſed indefeſſo labore & aſſiduo ſtudio non modò ſanctorum catholi-
corũq; ſcripta euoluit, ſed etiã ſuos quoq; ipſe fœtus non infœliciter edidit. Nam & in
opera Diui Hieronymi Epitomen fecit: in qua veluti digito oſtẽdit ingentes illius Do
ctorũ

ctoris theſauros. Emiſit & in lucem Pentaplon, Opus vtiq; ad veræ pietatis inſtitutionem perutile. Continet & domi egregios in Geneſis Commentarios, editurus quùm primùm affuerit ei facultas. Omitto enarrationes ſacras, opus diuinorum myſteriorum copia refertiſſimum: ad id quod inſtat veniamus. Tractatus enim quoſdam quam breues, tam fœcundos: quàm diſtinctos, tam certos: quàm apertos, tam vtiles, eccleſiaſtica Regiaq; autoritate edendos curauit. In quibus pertractat de promouendo diuino cultu: atq; de decimis, primitijs, & oblationibus reddendis: vt adſint in templo dei, non ſolùm quæ ſunt neceſſaria ac vtilia in vſum & ornatum ſacramentorum, ſed vt etiam ſacrorum miniſtris adſint congrua cotidianæ ſuſtentationis ſtipendia. Docet & quibus comparetur dignitas ſacerdotibus, vt ſacratiſſimam Euchariſtiam inculpatè conficiant. Quaq; ſolennitate defunctorum in Chriſto exequiæ ſunt celebrandæ: nè hæreticis quibuſdam eas de medio tollere perperam conantibus quiſpiam aſſentiat. Ad hæc cogit ſacerdotes ipſos, vt abſque Simoniæ labe, & auaritiæ ſuſpicione operas ſuas, tum ad Miſſarum celebrationem, tum ad earum procurantibus ipſas applicationem paciſcantur. Ceſſatores autẽ increpat, negotioſoſq; clericos improbat: & dũtaxat, vbi vel extrema, vel magna neceſſitas poſcit, eis negotiari permittit. Hæc denique omnia atque alia id genus, ſacerdòs hic in ſacerdotalem vſum adeò cautè, apertè, diſtinctè, pieque pertractat, vt quiſquis ea perlegerit, intelligat: intellecta diligat: dilecta tum ſeruet, tam præſtet. Valete obſeruãdiſſimi Eccleſiæ ſanctæ miniſtri: & Honcalam noſtrum veſtris orationibus iuuate, quo diuino præſidio munitus, in dies amplius aliquid in publicam vtilitatem emittat.

Reuerendiſsimo ac Perilluſtri Domino. D. Didaco Alauenſi, Eſquiueleo, Epiſcopo Abuleñ. digniſſimo, Ceſareæ Maieſtatis à conſiliis, atq; optimo Illiberitanæ Cancellariæ Præſidi, Antonius Hõcala Yanguenſis S.P.D.

EA EST, DIGNISSIME PRAESVL, INferiorum erga ſuos ſuperiores conditio, vt quo quiſq; modo poteſt, ſuam in illos obſeruantiam commonſtrent, ſi non inciuiles videri velint. Quã quidem inciuilitatem procul ego à me eſſe cupiens, quod in præſentiarum potui, qui ſemper parùm poſſum, id quantulumcunq; ſit, Amplitudini tuæ dedicandum cenſui. Ad quod & conuenêre aliæ prorſus idoneæ rationes. Etenim tum dulcis patriæ propinquitas: tum antiqua mea in Præſtantiam veſtram haud inanis beneuolentia: tũ ſplendidiſsima maximarum virtutum tuarum incrementa, hoc à me officii maximè poſtulant: tum quia ſub te, mi Domine, egregio admodùm duce, Chriſto milito: tum demũ, quia hæc ſcripta ea præcipuè continent quę ad rem ſacerdotalem maximè faciunt: ac perinde nemini aptiùs quàm ſacerdotum noſtrorum principi dedicari debuerunt: penes quem ius eſt & arbitrium, talia examinandi, diiudicandi, caſtigandi, probandi, vel reprobandi. Quòd ſi tua Dominatio, qua valet ſapientia & autoritate, hos Tractatus comprobauerit, dignosq; lectu cenſuerit, procul dubio in publicum prodire audebunt: & quò citiùs fieri poterit, prælis excudendi mandabuntur. Vale Præſulũ decus, & prælustre iuſtitiæ ſeruãdæ columen.

Opuſculorum Catalogus.

Primum opuſculum, de virtute religionis qua Deo debitum exhibemus cultum, atque miniſtris illius debitam ſuſtentationem, habet Tractatus ſex.

Primus agit de Decimis. folio primo, pagina prima.
Secundus, de Primitiis. fol. 5. pag. 2.
Tertius, de Oblationibus. fol. 12. pag. 1.
Quartus, de Diſtributionibus quotidianis. fol. 25. pag. 2.
Quintus, de Simonia. fol. 24. pag. 1.
Sextus, de Pia feſtorum celebratione. fol. 57. pag. 2.
Secundum opuſculum, de Iuſtitia, habens Tractatus quatuor.
Primus, An clericus lethale crimen cõmittat, res eccleſiaſticas vel auarè recondens, vel prodigè conſumens. fol. 77. pagi. 2.
Secundus, an clerico licet certo quodam modo negotiari. fo. 67. pagina. 1.
Tertius, de Aduocato, an teneatur alteri parti ſecreta cauſæ manifeſtare. fol. 74. pag. 2.
Quartus, de vſura. fol. 75. pag. 2.
Tertium opuſculum, de ſtipendio ſacerdotum pro ſacrificii oblatione, & aliorum officiorum ſpiritualiũ miniſterio, & de digna celebratione, habet Tractatus ſeptem.
Primus tractatus, de paciſcẽdo prẽmio temporali pro officio ſpirituali. fol. 16. pag. 2.
Secũdus, de valore Miſſæ, decem & octo articulis digeſtus. fol. 26. pag. 2.
Tertius, quis aut dignè aut indignè ad Euchariſtiæ communionem accedat. fol. 45. pag. 1.
Quartus, an aliquis poſsit ſcire ſe habere cordis munditiam, qua opùs eſt ad dignã Euchariſtiç cõmunionem. fol. 48. pa. 1.
Quintus, de quadruplici certitudine. fol. 50. pag. 1.
Sextus, de octo virtutum gradibus per quos oportet pios ſacerdotes ad altare Dominicum aſcendere. fol. 73. pag. 1.
Septimus, an ſacerdos licitè poſsit ab Euchariſtiæ celebratione

abſq; peccato mortali perpetuò ceſſare.fol.47. pag.1.
Quartum opuſculum, de exequiis & ſuffragis defunctorum, habet ſex tractatus.
Primus, de quadruplici foro luendarum leuiũ aut grauium pœnarum pro peccatis.fol.59.pag.1.
Secundus, quanto præſtat ſatiſfactionem pro peccatis Deo reddendam hac in vita fieri, quàm in aliam differri. folio.61. pagina prima.
Tertius, an bene faciant qui pro ſe adhuc viuentibus officium defunctorum fieri procurant.fol.62.pag.2.
Quartus, de exequiis pro defunctis celebrandis. folio.63.pagina prima.
Quintus, de exequialium dierum numero. foli.65. pagina prima.
Sextus, an animæ Purgatorio loco detentæ nouerint ſe quorundam fidelium ſuffragiis iuuari.fol.65.pag.2.
Quintum opuſculum, de Matrimonio, habet vnicum tractatum qui ſeptem capitulis digeſtus eſt.
Vnicus tractatus, an Papa diſpenſare poſsit cum fratre vt fratris mortui vxorem ducat.fol.93.pag.1.
Sextum opuſculum, de fide, habet vnicum tractatum.
Vnicus tractatus, an peccator verè dicere poſsit, Credo in Deũ. fol.75.pagina ſecunda.
Septimum opuſculum, de baptiſmo, habet vnicum tractatũ.
Vnicus tractatus, an ſatis piè ſentiant qui infantes præſentanea morte excludente baptiſmi ſuſceptionẽ, fide & votis parentum Chriſto accedere putant. folio ſeptuageſimoquinto, pagina prima.
Octauum opuſculum, de conſenſus ratione, & de bona & mala concupiſcentia, habet quinque tractatus.
Primus, de conſenſus ratione. folio nonageſimoprimo, pagina ſecunda.
Secundus, Exacta de primis motibus cenſura.fol.55.pag.2.
Tertius, quanto ſtudio à fidelibus maximeq; eccleſiaſticis ſit amplectenda fouendaq; bona concupiſcentia. fol.52.pag.2.
Quartus, quanto ſtudio mala concupiſcentia ſit à fidelibus, præcipuè

cipuè Eccleſiaſticis abiicienda reprimendaq́; & quoad fieri poſsit extinguenda.fol.54.pag.2.

Quintus,quòd ſicut improbo feruore mala concupiſcentia ęſtuat,& bona extinguitur:ſic probo concupiſcētia mala reprimitur,& bona exeritur.fol.56.pagi.2.

Nonum opuſculum,de conſcientia,habet vnicum tractatum.

Vnicus tractatus,quatenùs conſcientia ſiue recta ſiue erronea quempiam obliget.fol.51.pag.1.

Decimum opuſculum,de quibuſdam locis diuinæ ſcripturę, quæ quatuor tractatibus enarratur.

Primus,concio de tribus theſauris.fol.69.pag.1.

Secundus, explanatio illius loci Matthęi.6. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum,dimittet & vobis Pater veſter delicta veſtra.fol.77.pag.1.

Tertius, locus Gregorianus in Homelia ſexta Euangeliorum aſſertus,ſuper illud, Tu es qui venturus eſt,an alium expectamus?fol.74.Pag.1.

Quartus, de tribus decadibus, quibus maior minorq́; mundus conſtat.fol.89.pag.2.

Vndecimum opuſculum,de expoſitione peregrinarum dictionum quæ in diuinis officiis diurnis decantantur, ſectum eſt in tractatus quindecim.

Primus agit de nonaria precatione replicatis Kyrie eleiſon & Chriſte eleiſon.fol.98.pag.2.

Secundus, quid Amen hebraica dictio latinis ſonet.Et quis ſit eius vſus in ſacris tam literis quàm myſteriis.fol.99.pag.2.

Tertius,quid Latinis valeat hebraicum Allelu ia.Et cur inter ſacra nunc admittitur,nunc intermittitur in ſacris.fol.100.pag.2.

Quartus,de myſtico Neumatis ritu.fol.101.pag.1.

Quintus,cur Summa articulorum fidei catholicæ Symbolum ſit dicta,authore Cypriano.fol.102.pag.2.

Sextus,quid diſtet inter credere Deo,& credere Deum,& credere in Deum.fol.103.pa.1.

Septimus,de Symbolo Niceno inter ſacra viua voce cantando. fol.104.pag.1.

Octauus,de Triſhagio,hoc eſt de Hymno quo inter ſacra Deus

ter ſanctus celebratur.fol.104.pagina ſecunda.

Nonus, cur Triſhagio addita ſint quędam alia verba quæ in die Dominicæ Crucis referuntur.fol.105.pagi.2.

Decimus,de Hebraico Sabaoth.fol.106.pag.1.

Vndecimus, quid Maieſtatis nomen in Deo ſignificet:& quid diſtet à gloria.fol.107. pag.2.

Duodecimus,quid Hebraicum Hoſanna ſignificet.folio centeſi mooctauo, pagina ſecunda.

Decimustertius,cur in Symbolo Niceno,articulo de reſurrectio ne appoſitum eſt,Secundùm ſcripturas.folio centeſimonono, pagina ſecunda.

Decimusquartus,quid ſit,Agnus Dei:& cur ab eo in ſacratiſsi ma ſynaxi,miſericordia petitur.fol.110.pag.1.

Duodecimũ opuſculũ,de ratiõe vitãdi ſermonis ingrati apud populũ,ac grati cõmodiq́; adhibendi,vnicũ habet tractatum.

Vnicus tractatus,qualiter ſacerdos ſermonẽ ingratũ incõmodũq́; vitare:gratum verò cõmodumq́; populo exhibere debeat. fol.112.pag.2.

Decimumtertium opuſculum,de ratione inſtituendi,paſcendi,ac gubernandi gregis dominici,tractatu vno conſtat.

Vnicus tractatus,qua modeſtia ac induſtria tum epiſcopus tum quiuis ſacerdos cui animarum cura incumbit,oues ſibi concreditas regere debeat.fol.114.pag.1.

Decimumquartum opuſculũ,de ieiunandi ratione,vnico cõtentum eſt tractatu.

Vnicus tractatus,continens exactam de ieiuniorum obſeruatione cenſuram.fol.115.pagi.1.

Decimũquintũ opuſculũ,de horrendo execrandoq́; inductionis adulterinorum colorum abuſu,cui fœminæ in ſe exornandis plus ſatis dant operam,vno tractatu perſtringitur.

Vnicus tractatus tam vtilis quàm iucundus,de fuco,ceruſſa, ſtibio,gypſo, purpuriſſo mulierum, concluſionibus abſoluitur quatuordecim.fol.118.pag.2.

Opuſculũ decimũſextũ maximè eximium, de ratione cõſequẽdi peccatorum remiſsionem, vnico abſoluitur tractatu, coq́; inſigni.

Tracta-

Opuſculorum Catalogus.

Tractatus vnus & is inſignis lectúque longè digniſsimus, de ſalubri peccatorum contritione, capitibus quatuor perficitur. fol.121. pagina prima.

Decimumſeptimum opuſculum, idemq; huius voluminis nouiſsimum, de dolendi ratione pro peccatis, vnicum itidem ſortitum eſt tractatum.

Vnicus tractatus de dolendi ratione piè atq; ſalutariter pro peccatis, tribus dotatur capitulis. fol.126. pag.2.

Catalogi Opuſculorum Finis.

Authoris proteſtatio.

HAbes ergo in Volumine hoc ſeptendecim Opuſcula, ac tractatus ſex & quinquaginta, Ad laudem Omnipotentis Dei, & Beatiſsimæ Virginis Matris illius. Quos cenſuræ ſanctæ matris Eccleſiæ catholicæ & Apoſtolicę toto pectore ſummittimus.

Soli Deo Gloria.

OPVSCVLVM E DECEM & tribus primum: de virtute religionis qua Deo debitum exhibemus cultum, atq; miniſtris illius debitam ſuſtentationem.

¶ *DOCTORE HONCALA, SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORE, CANONICO, atq; verbi diuini apud Abulam concionatore, authore.*

Commodus de Decim ſecclesiaſticis Tractatulus: isq; ordine primus.

Quæſtio.

¶ Vtrùm Decimæ ſint de iure diuino?

Prima concluſio.

D*Icere publicè, aut prædicare abſq; declaratiua diſtinctione, decimas nõ eſſe de iure diuino, ſcandaloſum eſt. Quia vulgus hoc audiens, cùm neſciat diſcernere, credit, decimas, & quantum ad ſubſtantiam, & quantum ad quotam portionem, eſſe tantùm de iure poſitiuo. Ex quo ſequitur*

¶ Primũ Corollarium.

D*Ifficile erit excuſare ita loquentes à lethali peccato: religioſos autem ab excõmunicatione: quæ infertur extrà, de pœnis. Clementina, Cupiẽtes.*

¶ Secundum Corollarium.

P*Roptereà prudẽter Doctores loquentes de decimis diſtinguũt q̃ cõſiderandæ ſunt, vel quantum ad ſubſtantiam illarum, vel quantum ad quotam. Et tunc ponitur prima propoſitio.*

Prima propoſitio.

D*Ecimæ quantum ad ſubſtãtiam earum, id eſt q̃ dentur temporalia ſacerdotibus miniſtrantibus in ſpiritualibus, ſemper fuerũt de iure naturæ, & diuino, quanuis nondum ſcripto. Patet. Quia hoc ſemper fuit inſitum menti ratione naturali, vt temporalia ſuppeditarentur ſpiritualium miniſtris. Et hoc ius diuinum fuit expreſſum in lege veteri. Sicut teſtatur Paulus, declarans illud, Nõ obturabis os bouis triturantis. Et in euangelio, Domino dicente, Dignus eſt operarius mercede ſua. Et rurſus Paulus. Quis vnquã militat ſuis ſtipendiis?*

Secunda Propoſitio.

DEcimæ, quantum ad quotã non ſunt ſic de iure naturali. Patet. Quia non eſt magis inſitum rationi, quòd detur pars decima, quàm octaua vel duodecima: licèt ad hoc ſit aliqua moralitas, propter perfectionem numeri denarii: in quo eſt creatus mundus maior, & inſtitutus mundus minor, per Decalogum in vita politica. Et per tres virtutes theologales, & ſeptem dona ſpiritus ſancti, in vita ſpirituali. Sed hæc moralitas non ſufficit conſtituere ius naturale obligatorium.

Tertia Propoſitio.

DEcimę quantũ ad quotã, nõ erãt de iure diuino ſcripto & poſitiuo in lege naturę. Patet. Quia non legitur, deũ tũc tẽporis alicui pręcepiſſe vt redderet decimas, licèt Abrahã eas dederit, & Iacob vouerit propter prędictã moralitatem, quę nõ eſt ſufficiẽs ad ſtatuẽdã legẽ. Vel fecerũt illud propheticè, & inſtinctu quodã diuino: qa ſtatuẽdæ erãt in lege veteri, & approbãdę in lege noua: & ad præfigurandum aliqua myſteria.

Quarta Propoſitio.

DEcimę erant de iure diuino ſcripto & poſitiuo in lege veteri. Patet. Leuit. 23. Omnes autem decimæ terræ, ſiue de frugibus, ſiue de pomis arborũ, domini ſunt. Et idem replicatur in multis aliis locis ſcripturarum ſanctarum.

Quinta Propoſitio.

DEcimæ, quantum ad quotã, nõ ſunt in lege noua de iure diuino ſcripto & poſitiuo, decernẽtę talẽ vel tantam quotã. Patet hoc. Quia nec in literis euangelicis, nec apoſtolicis inuenitur determinata talis quota. nec fit mentio in nouo teſtamento de decima: niſi in quantum pertinebat ad eos, qui adhuc erant ſub lege, vt patet diligenter intuenti Nouum Teſtamentum.

Sexta Propoſitio.

DEcimæ, quantum ad quotam, ſunt de iure poſitiuo in lege noua. Probatur. Non ſunt de iure diuino, nec de iure naturali, ergo ex iure poſitiuo. Hoc etiam patet per multos textus extrà, de deci. Et in Decre. 16. q. 1. Quòd ſi dixeris, erant de iure diuino in lege veteri, ergo & in lege noua, quãtũ ad quotã: nihil valet cõſequẽtia. Quia pceptũ de quota decimarũ erat iudiciale, vel ceremoniale, vel vtrũq;: qd abolitũ eſt p paſſionẽ Chriſti, vt pbat Apoſtolus ad Roman. 7. & ad Gal. 4. & ad Hebręos. 7. Trãſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt, vt legis tranſlatio fiat. & ca. 10. Aufert pręteritum, ſ. teſtamentũ, vt ſequens ſtatuat, nempe nouum.

Septima Propoſitio.

DEcimæ quantum ad quotam ſunt de iure diuino exẽplariter. Patet. Quia eccleſia ſumpſit exẽplum à lege veteri taxandi decimã fructuũ, & hoc meritò, & cõueniẽter, & dignè. Cõueniẽter (inquã) qa diſpoſitio huius quotæ erat faciliùs admittenda à fidelibùs laicis, ad quam erant cõſueti in lege veteri. faciliùs enim homines aliquid cõtinuãt, quàm aliud incipiãt. Dignè, quia ſi nõ obſtet myſterii ratio, cæteris paribus melius eſt ſequi determinationẽ legis diuinę, quã humanę. Meritò, quia ſi ſacerdotibus legis veteris dabatur decima, multò magis debetur tantundem

dari

dari ſacerdotibus legis nouæ. Siquidē melioris teſtamenti ſunt miniſtri, & melioris ſacramenti, & ad maiora obligantur: iuxta illud, Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, pluſquam phariſæorum, & ſcribarum, non intrabitis in regnum cœlorum. Ex quo primò patet quòd ad hunc ſenſum accipienda ſunt dicta ſummorum Pontificum, & ſanctorum dicentium decimas in lege noua eſſe de iure diuino: quod eſt intelligendum non de veteri, quaſi nunc obligante, ſed vt exēplari, & quaſi inuitante ad eandem decimarū quotā imponendā in lege noua, quæ dabatur in veteri. Infero ſecundò, grauiter peccare laicos ægrè ferentes decimas eſſe debitas ſacerdotibus Euangelicæ legis: & eſſe, vt illi obmurmurātes dicūt, tā vberes illis decretas. Tū quia ſi in lege veteri tribui Leuiticę dabatur ab aliis vndecim tribubus decima pars fructuū, nō deductis expenſis: ex quo fiebat, vt illa ſola haberet vndecim partes frugū: & reliquis tribubus vix remaneret ſeptima, deductis expenſis. Multò magis eiuſmodi abundantia debetur clero Chriſtiano: tum quia ſacerdotes nouæ legis, fructus decimales ſuperfluētes propiæ neceſſitati, & decētiæ ſui ſtatus, recōdunt in pauperum vſus, vt patet per illud Auguſtini. 16. q. 1. Cap. decimę tributa ſunt egētiū animarū. & c. lege ibi. & idē reperitur extrà, de decimis. cap. Tua nobis. Diſtribuere autē ſacerdotes ea, quæ ſuperſunt vel cognatis pauperibus, vel alienis, experiētia docet, vt impudēs & imprudens habēdus ſit, qui neget hoc. Et ſi aliquorū clericorū ſit vita minùs honeſta, aut auarior, non tamen fas eſt laicis de ſuis Præpoſitis ſententiam ferre, nec ab ipſis decimas ſubtrahere, vt in Concil. Conſtañ. decretum eſt: & ſicut in eodem cap. dicit ſummus Pontifex. Prætextu autem nequitiæ clericorum nequeūt laici eas decimas aliis, niſi quibus ex mādato debent, pro ſuo arbitrio erogare: cùm nulli ſit licitum aliena cuiquā concedere præter domini voluntatem.

Iam verò animaduerte Lector, quòd aliud eſt quærere, quo iure debentur decimæ, de quo ſatis ſuperiùs dictū nobis eſt, & quærere vtrùm decimæ debeantur ſacerdotibus à laicis: pro quo ſit prima propoſitio.

Prima Propoſitio.

Decimæ non ſolùm, quantū ad ſubſtā tiam, ſed etiam quantū ad quotam, ſunt debitæ ſacerdotibus in lege noua. Nā vt bene inquit ſapiētiſſimus Epiſcopus Abulen. ſuper Matthęum, cap. 23. quæſt. 148. Nemo dubitat, an decimę debeantur, niſi qui indiſciplinatus eſt: Nam omnia Decreta & Decretales Epiſtolæ in titulo de decimis hoc clamant. Quibus non aſſentire, vel ad hæreſim vel ad ſchiſma pertinet. Hæc ille. Confirmatur: quia vt dicit ſanctus Thomas. 2. 2. quæſt. 6. & quodlibeto. 2. articu. 10. Ad Eccleſiam pertinet, determinare ius naturale & diuinū in eo quod eſt indeterminatum, quantum pertinet ad cultum diuinum: Ita quòd facta determinatione, populus Chriſtianus tenetur ei obedire. Idq; de iure diuino: iuxta illud Lucæ. 10. Qui vos audit, me audit: Et qui vos ſpernit, me ſpernit. Et illud Pauli. 1. Theſſal. 4.

Itaq; qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum: qui etiam dedit nobis ſpiritum ſuum. Et ad Romanos.13. Obedite præpoſitis veſtris. Intellige autem hoc, quod ad ius Canonicum pertinet determinare, talem quotam, octauam, vel decimam, vel duodecimam: vt ſummus Pōtifex dignius & congruentius, & opportunius, & vtilius, & magis neceſſariū eſſe decreuerit. Et q. ad ius diuinum pertinet, quòd plebs Chriſtiana obediat tali determinationi: donec aliud Rectoribus eccleſiæ ſummoq; Pōtifici viſum fuerit expedientius & magis neceſſarium. Inquit enim ſanctus Thomas, quolibeto.2.art.8. Omnes tenētur ad decimas, velint, nolint. Et addit: Poſſet Eccleſia ſtatuere, ſi cauſa ſubeſſet, vel in maiori vel in minore numero: puta, quòd reddatur octaua vel duodecima, ſicut & quòd detur decima. Nec obſtat huic aſſertioni illud Alexādri Papæ, quod habetur extra, de decimis, cap. in aliquibus regionibus. vbi ait: Illæ quippe decimæ neceſſariò ſoluēdæ ſunt, quæ debentur ex lege diuina, vel loci conſuetudine approbata. Nam vt ait ſapientiſſimus Epiſcopus Abulen. in loco ſuprà allegato, quòd Alexander in ſua Decretali voluit facere differentiam inter decimas prædiales, & perſonales .ſ. quòd circa prædiales non attenditur ita conſuetudo, ſiue in ſubſtantia, ſiue in quātitate, ſiue in qualitate: id eſt, de quibus rebus & quota pars, ſcilicet decima vel duodecima, vel minor quota: quàm de lege diuina ſtatutum fuit, de quibus, & quantum ſolui deberet. Et ideo ait circa hoc: lex canonica non recipit mutationem, quum definitum inuenerit de lege diuina, quam voluit imitari, ſicut circa perſonales. Quia de lege diuina non erant expreſſæ, non facit lex canonica tantam neceſſitatem & determinationem ſolutionis: ſed eſt magna autoritas conſuetudinis circa ſubſtantiam & quantitatē, id eſt de quibus rebus, & quota portio ſoluatur. Et propter hoc facit circa tales decimas mētionē de cōſuetudine approbata. Hæc ille. Ex qbus ſequitur Secūda ꝓpoſitio.

Secunda Propoſitio.

SOluentes decimas perſonales iuxta cōſuetudinē patriæ, vel non ſoluētes eaſdem iuxta patriæ deſuetudinem, ſunt tuti in conſcientia: ita vt nec ſoluentes poſſint ceſſare à ſolutione earum ſine mortali peccato, & debito reſtituēdi fraudatas: nec, non ſoluentes tenentur ſoluere, quas nunquam ſoluerunt: niſi in caſu, quo eccleſia indigeret, & peteret. Quia tunc laici tenentur dare de omnibus veri nominis decimas, non ſolū prædiales, ſed etiam perſonales, quouſque eſſet miniſtris eccleſiaſticis ſufficienter prouiſum. Quia ad hoc tenentur de iure naturali, ſcilicet vt ſuppeditet populus temporalia, miniſtrantibus in ſpiritualibus. Et de iure euangelico, dicente Paulo, prima ad Corinthios capite nono: Dominus ordinauit his, qui euangelium annuntiant, vt de Euāgelio viuant. Hec eſt ſententia Alexādri de Hales, & domini Altiſſiodorenſis, & Sancti Thomæ quolibeto ſexto, art.10. & aliorum. imò ſi curatus notabiliter indigeat, etſi nō petat, ipſe

populus tenetur ei prouidere. Et ſi non prouideat ei ſtipendium honeſtæ ſuſtentationis, peccabit venialiter vel mortaliter, multò magis quàm ille qui non ſubuenerit pauperi in neceſſitate: quia plus tenetur iſte ſuo plebano, & miniſtro ſpiritualium, quàm pauperi laboranti ſimili, vel aliquanto maiore neceſſitate: Hæc eſt ſententia domini Caietani ſuper ſecunda ſecundę ſancti Thomæ. q. 87. ar. 1. Ex quibus conſtātibus animaduertant, & ſibi conſulant, in quanto periculo verſantur, qui adnectunt beneficia alienarum eccleſiarum monaſterijs, & collegijs, & eccleſijs cathedralibus: priuantes eas proprijs curatis, & relinquentes vicariis tenuiſſimum victum. Vnde nō modò non poſſint pauperibus ſubuenire, ſed nec ſibi ſufficere: ex quo ſequitur eiuſmodi mercenarios ferè nullam habere autoritatem in populo, & omnia agere ad nutū ſcabioſarū ouiū: nè, ſi veritatem dixerint, & virgam diſciplinæ addiderint, priuentur pauculis illis oblatiunculis, quibus vitam miſerā tranſigunt. Et ita fit vt ad literā, Vicarius videns lupum venientem fugiat: quia mercenarius eſt, & non paſtor: & non pertinet ad eum de ouibus. Sed iam tranſeo ad Tertiam propoſitionem.

Tertia Propoſitio.

QVi poſt inuulgatū pręceptū eccleſiæ de decimis prædialibus ſoluēdis renuerūt ei obedire, & decimas ſubtraxerūt, inducētes primitùs deſuetudinē illas ſoluēdi, peccauerūt mortaliter. Tū quia tenebātur obedire præcepto Papę, habēti vim obligatoriam ex iure naturali, & diuino, & canonico: vt ait ſanctus Thomas, quol. 6. ar. 10. Tum quia fuerūt in cauſa vt defraudaretur eccleſia in eiſdē decimis, in poſterioribus nō ſoluentibus propter conſuetudinem non ſoluēdi prauè inolitam. Pro quibus ponitur quarta propoſitio.

Quarta Propoſitio.

NOn ſoluentes decimas prædiales in locis & de rebus, vbi & de quibus non eſt conſuetum eas ſolui à tempore immemoriali, non peccant, quandiu ſacerdotes notabiliter non indigent, aut non exiguntur à non ſoluentibus. Probatur hæc propoſitio ab Alexandro de Hales. Quia cùm præceptum de ſoluendis decimis ſit præceptum affirmatiuum, obligat ſemper: ſed non pro ſemper: ſed pro loco & tempore. Et ſicut præceptum de honorandis parentibus non obligat me ad ſubueniendum eis, niſi quando indigeaut, aut petant: ita & præceptum de ſoluēdis decimis, ſacerdotibus, non obligat, niſi quando ipſi indigent, aut petunt: ſiue petāt viua voce, ſiue cōſuetudo petat pro eis. Sāctus Thomas quoq; eos excuſat, quol. 2. ar. 8. In terris, ait, in quibus nō eſt cōſuetudo. cōmunis ꝙ decimę dētur, & eccleſia nō petit, videtur eccleſia dimittere, dū petere diſſimulat: & ideo in terris illis nō peccāt, decimas nō dādo. Quod et. pbat à cōtrario ſenſu ex facto aplī ibidē. ¶ Hanc quartam propoſitionem limitat ſanctus Thomas in quol. 6. arti. 10. dicens ꝙ intelligitur in eos, qui non ſoluunt propter immemorialem conſuetudinem non ſoluendi, dummodò careant obſtinatione non ſoluendi, ſi ab eiſdem decimæ exigerentur. Dicit enim

in ſolutione ad ſecundum. Nec peccant illi, qui non ſoluunt decimas in terris in quibus non eſt conſuetum: peccarent autem, ſi obſtinatè, exigentibus dare recuſarent. Verum tamen eſt quoòd in parte loquens de eodem, addit temperamentum, fortè: dicens, Nec tamen ſunt in ſtatu damnationis, qui non ſoluunt in locis illis, in quibus eccleſia non petit, niſi fortè animi obſtinatione habentes voluntatem non ſoluendi, etiam ſi ab eis peterentur. Super quo loco ait Caietanus, quòd nolentes dare petentibus miniſtris decimas, poſſent allegare aut præſcriptionem, aut Eccleſiæ Romanæ tacitam condonationem: eò quòd tam diuturno tempore ſciuit & tolerauit. Idcircò autor ſub dubitationis nota hæc dicit, Sed quamuis potentes allegare has duas cauſas ſint excuſabiles à peccato obſtinationis quandiu putant ſe iure tueri, nihilo minus addendum eſt id, ad quod voluit & cenſuit illos teneri ſanctus Thomas. Pro quo ponitur quinta propoſitio, ex eodē Sancto Doctore, quol. 2. ar. 8. vbi poſt multa verba ſic concludit.

Quinta Propoſitio.

P*Atet ergo* ꝙ *nulla conſuetudo contraria abſoluit hominem ab obligatione reddendi decimas: quia hæc obligatio fundatur ſupra ius diuinum, & ſupra ius naturale: vnde ſemper tenentur homines reddere decimas, ſi eccleſia exigat, etiam contraria conſuetudine non obſtante. hæc ille. Vbi adeò apertè ſententiam ſuam declarauit, vt nullus ſit relictus dubitationi locus de ipſius intentione. Quòd ſi dixeris* ꝙ *hæc propoſitio eſt intelligenda ſolùm in caſu, quòd miniſtri eccleſiæ indigerent: non eſt ita: quia quolibeto. 6. ar. 10. concludit,* ꝙ *pauperes tenentur dare decimas ſacerdotibus diuitibus, quia eis ex officio debentur: non obſtante contraria conſuetudine: aſſerens teneri illas eis dare, ſi ab illis exigantur: tum quia ſi ſacerdotes indigerent, propter ſcandalum vitandum, non tenerentur ſacerdotes non exigere decimas: quia in tali caſu locum habet illud Gregorij, Vtiliùs ſcandalum naſci permittitur quàm vt veritas relinquatur. Imò tenētur ſacerdotes admonere laicos ſubuenire ſibi indigentibus: ſiquidem non excuſantur à peccato quo implicantur nolentes dare temporalia ſeminantibus ſpiritualia propter contrariam conſuetudinem. Ergo intelligenda eſt propoſitio ſancti Thomæ in caſu, in quo ſacerdotes nō indigeāt. Et ita videtur intellexiſſe illā Beatus Antoninus Florentinus. 2. par. ti. 4. cap. 3. §. 6. Ita etiam intelligit illam Syluester in Sūma, in. 1. par. cap. 1. de decimis, quæſt. 3. et. 4. Concordat cum eiſdem Cardinalis de Turre cremata ſuper Decre. cauſ. 16. q. 1. cap. Reuertimini. quæſt. 7. ubi approbat et refert dictum Goffredi conſentientis cū Hugone Cardinale dicente, Decimæ prædiales ex præcepto debentur: & contra illas nec in totum, neque in partem, nec in diminutionem aliquam, poteſt valere conſuetudo. Quod intelligas niſi fortè per Papam approbata eſſet, per conuentionem ſeu amicabilem compoſitionem, auctoritate ſuperioris ſubſequenter factam. Ita etiam intelligit*

git ſanctum Thomam Adrianus Ro-
manus Pontifex quol.5.ar.1.membro.2
Si dicas, Sanctus Thomas dicit in præ
dictis locis, laudabiliter facere ſacerdo
tes, cùm non petant decimas ſolitas non
ſolui: maximè, vbi timetur ſcandalum:
& ego idem dico. Sed ſi petantur à ſa
cerdotibus decimæ inſuetæ, etſi non fa
cerent bene illi, petendo: tamen laici
tenentur eas ſoluere: non obſtante con-
traria conſuetudine. Sed nè fortè præ
textu ſcandali dilaceres eccleſiaſticos,
audi Alexandrum de Hales.3. parte,
quæſt.51. membro.6. ar.1. dicentem, Eſt
ſcãdalum particulare, & ſcandalum ge
nerale. Propter ſcandalum particulare
non eſt veritas iuſtitiæ dimittenda,
nec differenda: ſed propter ſcandalum
generale. ſ. quòd timetur ſchiſma, vel
generale periculum, differenda eſt &
mitiganda: quia in talibus, ſicut dicit
Auguſtinus, hoc ſolũ bene agitur, vt
vita hominũ corrigatur. &c. Vide ibi.
Sed dices, Quis petet decimas per de-
ſuetudinem non ſolutas? Non dubium,
quin Papa poſſit petere, petitione com
pulſiua: & vniuerſalis eccleſia: atq; iu
bere vt ſoluantur. Sed cur non petet,
ſaltem petitione ſimplici diœceſanus,
imò curatus? quorum intereſt agere ad
rehabendum ius ab initio male intermiſ
ſum? Erit itáq; actio iuxta canonicas
ſanctiones, cuius intereſt: licèt deciſio
cauſæ tandem pertineat ad Summum
Pontificem. Et ſi quæras, à quo tempo
re quis teneatur ſoluere decimas inſue-
tas de nouo repetitas: benignior ſenten
Vide inde cisioni- bus Rote tia & efficacior eſt, vt ait beatus An
toninus Florentinus, vt tandem à tem-
pore repititionis ſoluantur. Hæc eſt
ſententia ſancti Thomæ, & Adriani
quolibeto.5. & practicata eſt concluſio
in Hiſpania, in Epãtu Placentino et
Caurienſi. Et conſtat in Gallia apud
Rothomagos, plebeios coactos eſſe in
curia eccleſiaſtica ad reddendas deci-
mas de fœno, & de aliquib⁹ aliis, de qui
bus apud eos inconſuetum erat redde-
re decimas. Nec iuuat dicere, ꝙ Cala-
guritani non fuerunt iuſſi reddere de-
cimas de lanis, quia hic eſt ſermo de de-
cimis purè prædialibus. Et decimæ la-
narum ſunt mixtę ex prædialibus &
perſonalibus: & magis pertinent ad
perſonales quantum facit ad exigendi
ius: in quibus ſoluẽdis ſtatur conſuetu
dini. Propter quod ſicut abſoluti fue-
runt Calaguritani à tali ſolutione pro
pter deſuetudinem: ita et conuicti ſunt
Exomenſes ſoluere decimas de lanis:
quia apud eos erat conſuetudo. Abu-
lenſis tamen, vbi ſuprà, quæſt.185. in
eam declinat partem, vt putet conſue-
tudinẽ excuſare à peccato, & à debito
ſoluendi decimas, vbi à tempore imme-
moriali non fuerunt ſolutæ: ſed fortè
ipſe intelligit de conſuetudine non ſo-
lùm ſcita et tolerata, ſed etiam appro-
bata per ſummum Pontificem: quia pa
rùm eſt nixus ſuæ ſententiæ, concludẽs
hanc quæſtionem per hæc verba: Sed
magis ait eccleſiæ ſententiam in hoc au
dire, quàm nobis definire placet. Quòd
ſi tantus Doctor hæc dixit, ſatis fue-
rit mihi explicuiſſe ſententiam ſancti
Thomæ: pręcipuè cùm videam alios
quoſdam theologos multùm deferre cõ
ſuetudini in ſoluendis et exigendis deci-

mis. Ideo pro decimis ſoluendis pono talem propoſitionē ex. S. Thoma, quol. 2 arti. 8.

Sexta Propoſitio.

IN terris in quibus eſt conſuetudo, q decimæ ſoluantur, ipſa conſuetudo quaſi expoſtulat decimas: vnde peccaret, qui non redderet. Hæc ille. Ex quo ſequitur, quòd talis ſtatim eſt in mora non reddendi, & tenetur reſtituere eas integras, à tempore, in quo ceſſauit eas ſoluere. Et hoc manifeſtum eſt. Quia nec iſte talis excuſatur à peccato & delicto ſoluendi aliquo iure et conſuetudine: imò ius eſt in contrarium, extrà, de decimis. cap. Cùm homines. Vbi ita præcepit Alexander Tertius, ſummus Pontifex: Mandamus quatenus eos cogatis vt decimam ſtatim fructibus collectis perſoluant: atq; de ſubtractis et retentis dignam ſatiſfactionem exhibere procurent. Vide gloſ. ibidem. Et hæc eſt ſententia Alexandri de Hales. 3. par. quæſt. 51. membro 5. Et beati Antonini, & aliorum Doctorum, tam Theologorū quàm Canoniſtarum. Ex hac propoſitione manifeſtè ſequitur, quòd decimæ prædiales ſoluendæ ſint de agris tam antiquis quā noualibus. Quia eadem eſt ratio de his ſicut & de aliis. & hoc iura proclamāt. Nec alicubi eſt conſuetudo in contrarium: nec ſi eſſet, aliquid iuuaret, cùm ſit contra bonos mores. Et hæc eſt ſententia Alexandri de Hales. 3. parte, quæſt. 51. membro. 6. ar. 1. ad ſecundum. Et quia hoc eſt manifeſtum, non vlterius moror in probando. Sed tantùm allego textū, cap. tua. extrà, de decimis. vbi ſic dicit Innocentius Tertius: nec occaſione decimationis antiquæ, licèt in feudum decimæ ſint conceſſæ, ſunt decimę noualium vſurpandæ. Cùm in talibus non ſit extendenda licentia, ſed potiùs reſtringenda. Hæc ibi. Et in hoc fundatur ius agendi ſuper ſpolio contra tales ſubtractores decimarum: vt conſtat ex cap. Querelam. extrà, de electi. Sequitur ſecundò q agricolæ vel coloni conducētes terras ad firmam & ad fictam, id eſt, ſub certo tributo ad tēpus, vel annuali cenſu ad perpetuum, tenentur ſoluere decimas, priùs quàm ſoluant tributa, vel cenſum: vel ſaltem domini prædiorum accipientes talia tributa vel cenſus, tenentur ſoluere decimarū quotam partem. Hæc concluſio patet manifeſtè, extrà, de decimis. cap. à nobis. vbi ſic dicit Innocentius Tertius Piſtorieñ. Epiſcopo: Fra. tuæ ita reſpondemus, quòd à dantibus & recipientibus poſſeſſiones ad firmam, de fructibus quos percipiunt decimæ ſunt ſoluendæ: niſi ab eis oſtendatur, quare ab eius ſolutione ſint immunes, priuilegiū: vel quòd acceperint eas in feudum, vt dicit gloſ. In quo tamen caſu conſuetudo non ęquiparatur priuilegio, quantūuis ſit antiqua: quia non poteſt eſſe præſcripta, cùm laicus non ſit capax iuris percipiendi decimas: vt eſt ſententia tam Theologorū, quàm Canoniſtarum. Sed clariùs eodem titulo in cap. Cùm non ſit. vbi ſic legis: Cùm non ſit in homine quid ſemen reſpondeat ſerenti: quoniam iuxta verbum Apoſtoli, Nec qui plantat, nec qui rigat, eſt aliquid: ſed qui incrementum dat, Deus:

Ipſum

*Ipſum quidem mortificato ſemine, plu-
rimum fructum affert. Nimis auarè
quidam in decimis defraudare nituntur
cenſus & tributa, quę interdum inde-
cimata prætereunt: de frugibus primi
tùs deducentes. Cùm autem in ſignum
vniuerſalis dominii, quaſi quodam ſpe-
ciali titulo ſibi Dominus decimas re-
ſeruauerit: nos & ecclesiarum diſpen-
diis & animarum periculis obuiare vo-
lentes, ſtatuimus, vti in prærogatiua
dominii generalis, exactionem tributo-
rum & cenſuum, pręcedat ſolutio deci-
marum. Vel ſaltem hi, ad quos tributa
vel cenſus indecimata perueniunt, quo-
niam res cum onere ſuo tranſit, eam per
cenſuram eccleſiaſticam decimare cogã
tur eccleſiis, quibus de iure debentur.*

*Hanc Decretalem ita eſſe ad literam
ſeruandam, aſſerit Alexander de Ha
les. 3. par. q. 51. membro. 5. ad. 4. dicens:
Quę eſt comparatio domini terreni ad
dominum cœleſtem, ea eſt comparatio
dominii ad dominiũ. Terrenus enim do-
minus habet dominium particulare &
tranſitorium: & eſt ſubiectus Domi-
no cœleſti. Dominium verò cœleſte
eſt perpetuum & generale. Quia er-
go decimæ ſoluitur ſacerdoti vicario
dei in ſignum cœleſtis & generalis do-
minii, ideo ſolutio decimę debet pręcede
re ſolutionem cenſus: & etiam ipſe cen-
ſus & tributum decimari debent, quia
& ipſum dominium temporale ſubiectũ
eſt domino cœleſti, ſi receptus fuerit cẽ
ſus ante ſolutionem decimæ. Hęc ille.
Et quia hęc ſubiectio dominii ad domi-
nium eſt de iure naturali, & diuino ab
ſolutè, nulla conſuetudo poteſt excuſare
iſtos dominos, quin ſoluant ſuam partẽ
decimę, quam habuerunt ex aceruo non
decimato atq; integro. Eadem eſt ſentẽ
tia. S. Thomę ſecunda ſecũdę. q. 87. ar.
2. ad. 4. dicentis: Debentur autem deci-
mæ de fructibus terrę, in quantum pro
ueniunt ex diuino munere: & ideo deci
mę non cadunt ſub tributo, nec etiã ſunt
obnoxię mercedi operariorum. & ideo
non debẽt priùs deduci tributa, & pre
tium operariorum, quàm ſoluantur de-
cimę: Sed ante omnia debent decimę ſo
lui ex integris fructibus. Hæc ille. Qui
etiam reddit rationem ſumptam ex iu-
re naturali, quam reſpexit eccleſia, cûm
conderet hoc ſtatutum: contra quam ra-
tionem naturalem nulla valet conſuetũ
do. Cõcordat Cardinalis de Turre cre
mata. 16. q. 1. capit. reuertimini. q. 9. &
Abulenſis, & alii doctores. Nec iuuat
dicere, quod accipientes talia tributa &
tales cenſus de aceruo non decimato, lo
cauerunt, vel diſtraxerunt agros ſuos,
non pro frumento ſed pro pecunia: quę
non ſolet decimari, in hac patria: quia
res trãſit cũ onere ſuo in ſe, vel in ſuo ęq
ualẽti, vt dicit textus pręallegatus. Et
quià intẽtio Põtificis eſt cõſulere diſpẽ
diis animarũ, & indigẽtiis clericorum,
quibus non eſſet ſufficiẽter prouiſum, ſi
hac ratione diminuerentur decimę: quia
ſic poſſent omnes domini prædiorum lo
care vel diſtrahere ſuos agros, pro tri-
buto aut cenſu in pecunia numerata cõ
paranda ex fructibus deductis & ven-
ditis ante decimationem integram: &
manerent eccleſiæ priuatæ omnino de-
bitis decimis. Quod quia manifeſtè eſt
contra bonos mores, & contra ſtatuta*

eccleſiaſtica, & notabile & non diſſimulandum damnum eccleſiarum : intercludenda eſt hæc via damnificandi eccleſias. Nec excuſaris à tali ſolutione, dicens, Ego non conduco agros meos taliter pro pecunia in fraudem eccleſiaſticorum. quia licèt non faceres hac intentione, tamen, quia factum eſt in ſe fraudulentum, & redit materia in formam ſuam, ideo teneris ſoluere portionem decimarum ac ſi intendiſſes fraudem facere: & neſcio quomodò excuſeris à peccato. Sed vt nullum habeas ſubterfugium, vide quid dicat dominus Abulenſis, ſuper Mattheum, cap. 23. quæſt. Dicit enim, Si ſoluta fuerint tributa, & cenſus ante decimationem, tenentur iſti ad quos prædictæ partes perueniũt decimare eas: quia res tranſit cum onere ſuo. eo cap. Et tamẽ tũc eſſet de parte illa duplex decima danda, vna prædialis & altera perſonalis: quia vna eſt tã quàm de fructibus, & alia tanquàm de lucro. Hæc ille. Ex quo liquet manifeſtè, quòd ſi conſuetudo non decimandi pecunias excuſaret à peccato, & eximeret à debito decimandi pecunias, quæ pertinent ad decimas perſonales quæ proueniunt ex lucro: non tamen excuſat à peccato, ſed nec eximit à debito ſoluẽdi pecunias, quæ ſunt decimæ prædiales: & ad eas pertinent, quia debentur de integris fructibus. Hæc eſt procul dubio veritas, propter quam quidẽ veritatem tuendam, non male faciũt in hoc ſignanter & ſpecialiter caſu eccleſiaſtici repugnantes laicis occupantibus ſuas decimas, exigentes illas integras: Nẽ tacentes videantur fauere illorum audaciæ: quia errori, cui nõ reſiſtitur, cõſentitur. Præſertim cùm alii ab hinc quadraginta annis, alii triginta, alii à paucioribus cœperint diminuere & retinere, & ſibi vſurpare decimas de quibus nunc agitur, contra ius & fas: & contra illud Gregorij Papæ. 16. q. 7. c. decimas à laicis poſſideri apoſtolica autoritate prohibemus. Imò vt dicit dominus Altiſſiodorenſis, Theologus grauiſſimus: Similes non haberet aliud vnde viueret, quàm decimas contra ius occupatas, deberet eas potiùs reſtituere & mendicare, quàm retinere eas cum peccato mortali. Animaduertant & illud, ciuſmodi decimarum detentores hac via eos non ſolùm non diteſcere, ſed etiam citiùs depauperari, vt oſtendit diuus Hieronymus ſuper Malachiam, & habetur. 16. q. 1. cap. reuertimini. Et ſanctus Auguſtinus ibidem, cap. decimæ ſunt tributa egentium animarum. Hæc ſcripſimus, zelo patefaciendę veritatis moti, quæ iudicio meliùs ſentientis, libenter ſummittimus. Vale lector.

Tractatus de Primitiarum ratione.

Exegit quondã à nobis amicus quidam, cui abnuere fas non erat, vt compendio quodam primitiarum rationem paucis ederemus, ſicut in decimis feceramus. Quod fecimus, rem potiùs perſtringentes, quàm pertractantes: vt ſit integrum, ei qui plura ea de re noſſe voluerit, primarios autores conſulere.

Cap. 1.

Caput. I.

PRimitiæ igitur hebraicè vocantur Reſith: à res quod eſt caput: ſicut græcè ἀρχαὶ ab ἀρχή, quod eſt principium, & principatus: Latinè quoq; à primatu primitię appellantur. Ex quo euenit vt nomen primitiæ geminã obtinuerit ſignificationem. Nam interdum ſignificat id quod cętera tempore antecedit, & ſic filii primogeniti, vocantur primitiæ in Pſalmo. 77. Et percuſſit, ait, omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum. Significat & idem nomen id quod eſt dignitate præcipuum, ſecundùm quod Dominus præcepit Iſraëlitis offerri argenti & auri, lapidumq; pretioſorũ primitias: id eſt ea quę eſſent cęteris meliora, pretioſiora, atq; digniora. In eundẽ quoq; ſenſum in Numerorum libro, dixit Leuitis: Si præclara & meliora quęq; obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quaſi ex area & torculari dederitis primitias. primitię ergo dicti ſũt primi fructus ex agro ſuſcepti, qui deo offeruntur: quoniam tempore alios præcedunt: nec non dignitate pretioq; reliquis præſtant. Priora enim tempore, ſunt Deo tanquam primo rerum datori offerenda: atq; meliora tanquam optimo bonorum largitori. Quod cùm fit, rectè piéq; fit: ſi verò nõ ita fiat, impiè prauéq; fit. Exemplo ſunt duo illi omnium primi fratres Cain & Abel.
Gen. 4. Bene enim Cain nouit, aliquid eſſe deo offerendum: ſed non bene ſelegit offerẽda. Nam cùm diuinus Propheta inquit, vt offerret Cain de fructibus terrę: nõ ait de cunctis fructibus, nec de potioribus. Sed in communi ait, de fructibus terrę. Quo denotatur proculdubio offerentis tum inobſeruantia, tum inciuilitas: qui ſine delectu id quod primò obuium reperit, Deo Optimo ac Maximo obtulerit. Cui vni ſeparata, id eſt ſelecta, potiſſimaq; munera ſunt offerẽda: qua ha frater eius Abel & piè & liberaliter Deo obtulit. Obtulit enim de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum. Probè Auguſtinus: Abel, ait, de placidis potiora elegit, quæ Deo offerret, vt pius, vt vrbanus, vt deniq; ſapiens, & diligens. Cain verò velut ruſticus & negligens, velut inſipiens & improuidus, nullam fecit electionem: vt per hoc intelligatur minùs deuotus. Fuerit autem & operępretiũ ad huius ſententiæ confirmationem, afferre verba quibus apud Malachiam Prophetam Dominus ſacerdotes ſacrorum negligentes, quamuis adhuc ſub vmbra legis degentes, expoſtulauit dicẽs, Offertis ſuper altare meum panem pollutum, & dicitis, In quo polluimus te? In eo quòd dicitis, Menſa Domini polluta eſt. Si offeratis cœcũ ad immolandum, nonne malum eſt? Et ſi offeratis claudum & languidum, nonne malũ eſt? Offer illud duci tuo, ſi placuerit ei? aut ſi ſuſceperit faciem tuam? dicit Dominus exercituum. Ex hoc loco cõſtat & illud, dandum eſſe nimirum crimini, euãgelicis ſacerdotibus, ſi ad ſynaxim conficiendam, vinum euanidum, aut acetoſum, aut vappidum: aut panem carioſum, mucoſúmue, ſiue alioqui vitiatũ

Aug.

corruptumq;

corruptumq́; conſerant. Quanto autē diſcerniculo malignos decimatores oblatoreſq́; primitiarum & ſacrificatores negligētes à piis ac ſtudioſis Dominus Deus dirimat, ex ipſa eâdem ſcriptura conſtat. Ait enim: Et reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera eius non re-
Chryſ. *ſpexit. Super quo Chryſoſtomus ita philoſophatur: Quid eſt, & aſpexit? id eſt approbauit, laudauit mentē, coronauit volūtatē, & quaſi quis dicat, facto cōtētus eſt. Attēde rē mirā, omnē oblationē, dona vocauit: quia pretioſa, eximia, & immaculata obtulerat. Nō quòd nullis notis aſperſa, ſed quæ vndequâq́; pretioſa erant: tum ob mentem eius qui obtulerat: tum quia primogenita erāt, & ex illis electiſſima, & ex adipibus ipſis, id eſt ex optimis optima: ad Cain autem, & ad munera eius non reſpexit: quia & offerens Deo diſplicuit & munera eius reprobauit. Scriptum*
Prouer. 15 *eſt enim, Victimæ impiorum abominabiles ſunt, & vota iuſtorum placabilia. Neq́; enim (vt Gregorianis verbis v-*
Gregor. *tar) in omnipotentis Dei iudicio tam quid muneris, quàm à quo detur, inſpicitur. Hinc eſt quòd ſcriptum legimus, Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera eius non reſpexit. Ex qua re patēter oſtenditur, quòd non tantùm offerens à muneribus, quantum munera ab offerente, Domino placuerunt. Nanq́; Salomone teſte, Dona impiorū nō probat altiſſimus, nec reſpicit in oblationi-*
Prou. 15 *bus eorum, nec in multitudine ſacrificiorum propitiabitur peccatis eorum. Placet deniq́; Deo pius offerentis affectus, eodemq́; placet & ipſe offerens. Placent & externa munera, quum fuerint à pia caſtaq́; mente profecta. Sed hæc dicta ſint tam de offerendorum delectu, quàm de offerentium pietate.*

Caput ſecundum.

Caput hoc ſecundum ad tractatū de oblationibus plurimum facit.

E*Nimuerò ex iis ipſis, quę in proximo cap. diſſeruimus, cōſtat, nomē oblatio generaliter vſurpatū fuiſſe, prout eſt commune vniuerſis, quæ quomodocunq́; faciunt ad cultum diuinum: ad quem peragendum ſumma obſeruantia deferuntur. Attamen & eadem in ſe certa ratione diſtinguuntur: nam ad ſacrificium ea tantùm pertinent, quæ ita Deo ſacrantur, vt circa ipſa aliquid fiat, puta cū animal vel occidebatur, vel comburebatur: vel panis in Eucharistiā conſecratur: conſecrataq́; hoſtia frangitur, & comeditur. Facit & ad hoc, nominis interpretatio: ſiquidem ſacrificium à ſacrificando dicitur: quoniam cùm homo id celebrat, ſacrum facit. Oblationis verò accommodato vocabulo dicuntur, cùm ea quæ ad altare deferūtur, integra manent: vt nummi, panes, lintea, calices, vrceoli, & cætera id genus. Decimæ quoq́; nō ſunt propriè ſacrificia nec oblationes: quia teſte ſancto Tho*

ēto Thoma, nō immediatè Deo, ſed mi
niſtris diuini cultus offeruntur. Primi-
tiæ autē medium quendā locum tenent.
Nam & rationem oblationis partim
ſubeunt, quatenus Deo: quędam earum
ſponte & immediatè offeruntur: par-
tim decimarum rationem ſapiunt, qua-
tenus in vſum miniſtrorum, certaq́; ferè
quantitate reddūtur. Erant enim Iſraë
litis ſub lege ſcripta agētibus multa va
riaq́; primitiarum genera ad diuinū cul
tum pertinentia: eademq́; diuinis ſtatu-
tis mandatisq́; conſtituta, & à filiis Iſ-
raël reddenda. Nam erant quædā pri-
mogenitorum primitię, de quibus Exo
Exo. 13. di cap. 13. præceptum eſt, Separabis o-
mne quod aperit vuluā Dño. Et quod
primitiuum eſt in pecoribus tuis, quic-
quid habueris maſculini ſexus conſecra
bis Dño. Erant & primitiæ pecunia-
rum, aliarumq́; rerum neceſſariarū vtili
umq́; ad tabernaculi cōſtructionē, eiusq́;
ornamenta. De quibus Exodi cap. 25.
Exo. 25. Dominus ad Moyſen, Loquere filiis
Iſraël vt tollant mihi primitias. hic pla
nè dicit, non ſegetum primitias: ſed par
tem quandam ſeparatam deſtinatæ pe-
cuniæ cuiusq́; offerentis ad opus diui-
num, conſtruendumq́; tabernaculū: ſicut
primitiæ ſegetum, ſolent ſeparatim &
diligenter dari. Dabatur autem quan-
tum quiſq́; volebat: non autem pars de-
terminata. ſicut decima. Et hoc notat li
tera quę ſequitur, Ab omī homine, qui
offert eas vltroneus, accipies eas. Erāt
& primitiæ manipulorum hordeaceo-
rum: de quibus Leuitici cap. 23. Feretis
Leui. 23. manipulos ſpicarū, primitias meſſis ve-
ſtræ, ad ſacerdotem qui eleuabit faſci-
culum coram Dño, vt acceptabilis ſit
pro vobis. Id quod fiebat, in Azymo
rum feſto. Sicut & primitiæ duorum
panum, in feſto Pentecoſtes offereban-
tur, præcipiente Dño: Solennitatē heb Exo. 34.
domadarum facies tibi, in primitiis fru
gum meſſis tuæ triticeæ. Erant & pri
mitiæ ciborū, de quibus Ezechielis cap.
44. pręceptū eſt, Primitiua ciborū vrō Eze. 44
rum dabitis ſacerdoti, vt reponat bene
dictionē domui ſuæ. Porrò pluribus ex
enumeratis primitiis vtpote vltroneis
ſucceſſère ſpōtaneæ oblationes, ſiue pin
gues, ſiue tenues: q̄ fiunt in eccleſia Chri
ſti, vel ad peragendū ſacrificiū, vel tem
pli ædificationē: vel eæ quas dicunt ma
nuales, ad ſacerdotū ſuſtentationē, &
pauperum ſubuentionē. Et quanquā hę
oblationes ſecundū ſuam propriā ratio
nem ſint vltroneæ, in quatuor tamen ca
ſibus, quos beatus Thomas enumerat in Thomas.
articulo primo quæſtionis. 86. ſecundæ
partis ſecundi libri, cōtingit, vt aliquis
eas ſoluere quadrupliciter teneatur.
Primò quidem ex præcedenti cōuentio-
ne: ſicut cùm alicui conceditur aliquis
fundus eccleſię, vt certis tēporibus cer
tas quaſdam oblationes faciat: quod ta
men cenſus rationem habet. Huc atti-
net, quod in cap. præter hoc. diſtin. 32.
dicitur, Oblationes eccleſiæ Dei fideli
ter reddantur à laicis: aliâs à ſanctæ ec
cleſiæ communione ſeparentur. Secun-
do modo propter pręcedentem deputa
tionem ſeu promiſſionem: ſicut cùm ali-
quis offert, donatione inter viuos: vel
cùm relinquit in teſtamento eccleſiæ a-
liquam rem immobilem vel mobilem in
poſterum ſoluendam. Sonat ad idem,

caput Statuimus. 16. quæſtione prima. vbi cauetur, quòd oblationes & decimæ, quas populus dare debet, extra parochialem eccleſiam ſine conſenſu epiſcopi, non deutur. Idem confirmatur cap. propter hoc. ex diſtinctione trigeſimaſecunda, paulò antè citato.

Tertio, inquit, modo propter eccleſiæ neceſſitatem. Puta ſi miniſtri eius non habeaut aliunde, vnde ſuſtetentur. id quod triplici lege probatur; natura li, veteri, & Euangelica. Quas Apoſtolus explicat dicens, Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam? Quis plantauit vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte eius non manducat? Et nè quis hoc Apoſtolum ſuo ſenſu, & non ſecundùm legem Dei dicere putet, ſubdit, Nunquid ſecundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi, Non alligabis os boui trituranti. Et velut exponens legem addidit, Nunquid de bobus cura eſt Deo? an propter nos vtique dicit? nam propter nos ſcripta ſunt. Et ſequitur, Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? Et ſequitur, Neſcitis quòd qui in ſacrario operantur, quę de ſacrario ſunt edunt? Et qui altario deſeruiunt, cum altario participant. Ita & Dominus ordinauit, his qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. Etenim poſtquã Dominus Ieſus vetuit Euangelicos Prædicatores portare ſacculum & peram, Lucæ.10.
oſtendens eis, vnde viuerent, ſubiecit, Edentes & bibẽtes quę apud illos ſunt. Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Quartò demum modo propter conſuetudinem generalem, vbiq; terrarum in eccleſiis ſeruatam. Tenentur enim fideles in aliquibus ſolẽnitatibus, aliquas oblationes fieri conſuetas, exhibere. Id quod Gregorius Septimus fieri ſtatuit. Sic enim decreuit, de conſecra. diſtinct. 1. Omnis Chriſtianus procuret, ad Miſſarum ſolennia aliquid Deo offerre: & ad memoriam reducere quod Dominus per Moyſen dicit, Non apparebis in conſpectu meo vacuus. Etenim quanuis ſpiritualia ſemper & vbique ſunt Deo offerenda: hic tamen locus de corporalibus oblationibus eſt peculiariter intelligẽdus, ſicut ipſa litera ſimpliciter accepta manifeſtè ſonat. Ad quod & facit quòd ſimile illud legale, ad cuius memoriam omnes fideles vtriuſque ſexus reuocat, neceſſariè de oblatione ac ſacrificio corporali, ad literam, eſt intelligendum.

¶ *Quod ſi quæras, quibus diebus teneantur huiuſmodi munera ſacerdotibus offerre? Certè in ſolennitatibus ſanctorum ſolenníoribus, & diebus Dominicis, in quibus populus Chriſtianus à ſeruilibus operibus vacãs, ſpiritualibus intentus, rebus diuinis celebrandis præſens eſſe debet. Huic ſententiæ concordat gloſſ. eodem cap. Omnis Chriſtianus. ſuper verbo, vacuus. Quæ dicit, Non apparebis vacuus. ſ. à bonis operibus: vel ad literã, videlicet corporalibus donis. Et eſt conſilii id præſtare in diebus priuatis: ſed ĩ prędictis diebus feſtiuis, eſt pręcepti. Et videtur q; tales oblationes ſint ex debito exſgẽdę, & ad*

eas dandas Parochiani ſunt cogendi. argumentum. 16. cap. ſtatuimus. Sed contrà.12.quæſt.1.cap.duo. Sed credo quòd ſi ſacerdos pauper eſt, poteſt eis diuina officia ſubtrahere, niſi dẽt ei oblationes: vt extrà, de ſimonia. Cùm ſit. Thomas. *& 12. quæſtio. 2. cap. charitatem. hæc gloſſa. Sanctus autem Thomas in ſolutione ad tertium argumentum articuli primi, quæſtionis.86. ad ſecundam ſecundi, ità tradit: Illi qui oblationes debitas non reddunt, poſſunt puniri per ſubtractionem ſacramẽtorum: non per ipſum ſacerdotem, cui ſunt oblationes faciendæ: nè videatur per ſacramentorũ exhibitionem aliquid exigere: ſed per ſuperiorem aliquem. Hic autem animaduerte cum Caietano, quòd non ad rem, ſed apparentiam reſpicit ratio, dicens quare ſacerdos non debet priuare ſacramento negantem debitas oblationes: nè ſcilicet videatur pro ſacramento eas exigere. Oportet enim ſanctos, ab his quæ foris ſunt teſtimonium habere. Si tamen negaret, puniendo peccatorẽ, non eſt ſecundum veritatem ſymoniacus: vſurparet tamen ſibi ſuperioris iuriſdictionem. Sed nunc inſurgit dubium. Quid faciet ſacerdos? Si enim miniſtret ſacramentum exiſtenti in peccato mortali, peccat: ſi non miniſtret peccat. Erit ergo perplexus. Ad hoc dicitur, quòd ſacerdos debet charitatiuè monere hominem non reddentem debitas oblationes, vt ſaltem ſit paratus conſulere conſcientiæ ſuæ, iuxta boni viri iuſtum arbitrium. Et ſi quidem ità monenti conſenſerit, poteſt illi iam in bono ſtatu, per hoc exiſtenti, ſacramentum miniſtrare. Si autem ſibi non conſenſerit, proteſtari coram aliis debet, quod non id facit, quia ad ſe peruenire debent oblationes: ſed quia ille non eſt paratus conſcientiæ ſuæ conſulere, negat ei ſacramenta, donec ſuperior conſultus, quid ſit agendum, prouideat atque decernat. Eritq́; ſacerdotis eam rem ſoli Prælato denuntiare. Et iam interim teſtetur, non tanquã iudex, ſed tanquàm deuitans participare in peccato mortali cum illo pertinaci, ſe negare ei ſacramẽta. ac perinde non remanet perplexus, nec oportet eum vſurpare ſibi ſuperioris poteſtatem. Tu autem demùm animaduerte, tunc habere locum de reddendarum quarumlibet oblationum iure conſultationem, quando eſt rationabilis ambiguitas, ſint illæ tribuendæ necne. Nam cùm aliquo quatuor illorum modorum ſuprà poſitorum, obligatio illa eſt manifeſta: manifeſta eſt iniquitas & peruicacia offerre nolentis: non eſt ei dandum ſacramentum propter ſimulatam illam conſulendi voluntatem. Poſtremò cenſet ſanctus Thomas in duobus primis caſibus iuxta præſcriptum ad integrum eſſe oblationes reddendas, in duobus tamen vltimis remanere oblationem voluntariam, quantùm ad quantitatem vel ſpeciem rei oblatæ. Quòd tamen non debet tam paruũ eſſe, quòd pro nihilo reputetur: nec tale, quòd ſit inutile. Id enim nequáquam eſſet ſacerdotali indigentiæ ſubuenire: ſed illudere.*

Caput tertium.

ENimuerò primitię propriè vocabantur, quæ ex primis terræ frugibus, tritico, hordeo, typha, oleo, vino, ac cæteris ſimilibus, ex quibus decimæ dabantur, ad Dei domum, in ſacerdotum vſum deferebantur: præcipiente Domino Exodi cap. vigeſimoſecundo: Decimas tuas & primitias non tardabis offerre. Etenim primitiarum ius initium habet à natura: profectum à lege: & à voluntate complementum, Quòd enim primitiarum ius à naturali ratione originem ducat, ex his conſtiterit. Quemadmodum enim Optimo ac Maximo Deo, ſuopte ipſius maieſtatis iure ſacrificium eſt adhibendum: & ſicut ipſi veluti locupletiſſimo rerum creatori, qui tribus decadibus hominem cōſtituit, vniuerſorum quæ terra germinat, decimæ ſunt retribuendæ: & ſicut eidē tanquā perbenigno bonorum omniū donatori ſpontaneæ oblationes ſunt referendæ: ita ceu præcipuo primoq; autori frugum vniuerſarum, quas tellus ipſa pfert, ſuo ipſius primatus iure, primitiæ ſunt afferendę: & illius gratia, miniſtris eius conferendæ. Sicut ergo naturali iure tenetur homo, non ſolùm interiori mentis reuerentia, Deum colere, ſed etiam exteriori quodam opere maieſtatem eius debet venerari, id eſt ſacrum ei facere, ſacrificiumq; offerre: ita eidem tanquàm primo bonorum omniū principio, fructuum quos terra in humanos vſus profert primitias naturali iure tenetur offerre. Quemadmodùm itē naturę lege cōſtringitur homo Exo. 22.

frugum decimas, ad alendos diuini cultus miniſtros tribuere: ita obligatur eaſdem primitias in ſacrificantium commodum, & indigentium ſupplementum reddere. Et ſicut natiuo quodam gratiæ reddendæ affectu, incitatur homo peculiares quaſdam oblationes Deo tā quàm liberaliſſimo donorū ſuorum largitori, pecularia ſcilicet quędam munera referre: Ita & has primitias reddere opùs eſt. Nam vt ait ſanctus Thomas, primitiæ ad quoddam genus oblationum pertinent: quia Deo cum quadam bonorum à deo ſuſceptorum profeſſione exhibentur. Id quod ex vigeſimoſexto Deuteronomii capite conſtat. vbi & ſic habet: Suſcipiens ſacerdos cartallum de manu eius qui defert, primitias ponat ante altare domini Dei ſui. Et poſteà mandatur differenti primitias, dicere: Id circo nunc offero primitias frugum, quas dominus dedit mihi. Offerebantur itaq; ex ſpeciali cauſa ſcilicet in recognitionem diuini beneficii, quaſi aliquis profiteatur, ſe à deo fructus terræ percipere: & ideo ſe teneri ad aliquid eorum Deo exhibendū: ſecundum illud, quod Primi Paralipomenôn libri vltimo capite ſcriptum eſt, Quę de manu tua accepimus, reddimus tibi. Cùm ergo ad Dei honorem attineat, eiuſmodi bonorum ab eo receptorum profeſſio, ad ius naturale pertinet, hominem aliquid ex rebus ſibi à Deo datis, id eſt illarum primitias, ad eius honorem ipſi offerre. Præterea ſicut notum eſt, ciuiles res conſiderantibus, ciuem debere offerre principi ſuo aliquid, quo profiteatur ſe Thom. Deut. 26.

eſſe

ſe eſſe illi ſubditum: & compertum eſt
quemlibet ſeruum debere ſuum dominũ
agnoſcere, atq; ſigno quopiam ſeruitu-
tem ſuam fateri: alioqui non plus nego
tii eſſet eis cum ſuis, quam cum alienis
dominis: ſic & exploratum eſt, na-
tura duce, debere creaturam ratione
vigentem, & creatorem ſuum agnoſce
re, & ſe ſigno aliquo ab eo conditam
profiteri. Deniq; quòd illud Deo offe
rendum oportet eſſe non modò ſpiri-
tuale, ſed etiam corporale quoddam,
docet nos apertè ſatis ipſa hominis na
tura, ex corpore & anima conſtituta:
ſcilicet vt non modò intellectuali, ſed
etiam ſenſibili ſigno homo apud Deum
agat: ſicut ſenſili notione ad intellectua
lem ſuapte natura proficit. Quòd ſi
obiicias nobis, ea quæ naturali iure mor
tales conſtringunt, eis eſſe nota na-
turaliter. Non autem ſic eſſe illis no-
tam primitiarum rationem. Reſpon-
detur, non eſſe homini, cùm primùm
rationis vſum attigerit, per ſe mani-
feſtum à Deo ſe fuiſſe conditum, ab
eo pendêre, regi, eoq; indigere, vt à
miſeria liberetur, eodemq; fruatur:
non eſt ei per ſe notum, ſic vt conce-
ptis terminis confeſtim ſunt ei euiden
tes enuntiationes illæ, quas græci vo
cant ἀξιώματα: *nos, dignitates. Qua*
les ſunt, Vnumquodq; vel eſt, vel non
eſt. &, Omne totum eſt maius ſua par
te. Sed tamen eſt ei naturalis eorum co
gnitio: quia ſi naturali mentis lumine tã
tummodò diligenter vtatur, facili ra-
tiocinatione poteſt illa ſuperiora de
creatore & creatura ſibi cognoſcenda
plenè colligere: ac perinde ſcire ſeſe ob-
noxium Deo ſuo ſacrificiis, oblationi-
bus, primitiis, decimisq; in illius cultum
offerendis, atq; in illius honorem expen
dendis. De talibus ratione naturali ſa-
gaciter vtentibus Apoſtolus pronun
tiauit: Quod notum eſt dei, manifeſtum
eſt illis. Deus enim illis manifeſtauit.
Docet præterea nos generalis ferè vni
uerſarum gentium in reddendis decimis
conſenſus, earum debitum deo reddẽda-
rum, quadantenus natura conſtare. Vn
de Plinius in Hiſtoria mundi, romano- Plinius.
rum abſtinentiam commẽdans, inquit,
non guſtaſſe eos vina, aut nouas fruges
priùs quàm ſacerdotes primitias liba-
rent. An non & ab euo condito id
ipſum factitabatur? Siquidẽ tũ Cain
de frugibus terræ: tum Abel de primo Geneſ. 4.
genitis ouium munera Domino offeren
tes, non modò ſacrificârunt, ſed etiã pri
mitias obtulerunt. Id quod proculdu-
bio naturali quadam ratione inducti,
præſtiterũt. Qua de re Chryſoſtomus
doctè philoſophatur inquiens: Quæras
quis docuit hos duos primos fratres,
aliquid Deo eſſe offerendum? Certè
nemo. Neq; enim Cain doctorem ali-
quem habuit, neque Abel ſuggeſto-
rem & conſiliarium: ſed vterque
conſcientiæ ſuæ magiſterio, & ſapien
tia humano generi diuinitùs ſuppe-
ditata, ad offerendum aliquid Deo
incitatus fuit. Sciebat enim vterq;, &
clarè ſciebat, quòd congruum eſſet,
ex ſuis poſſeſſionibus aliquid Deo of-
ferre. Non quòd eo dominus indi-
geat, ſed vt ſuam gratitudinem de-
claret is qui tali beneficio indiget.
Nulla enim re indiget Deus, nulliſq;

noſtris opus habet: ſed ob ineffabilẽ miſericordiã ita noſtræ infirmitati ſe attẽperat, & propter ſalutem noſtram hæc fieri tolerat, vt dei agnitio humanę naturę virtutis ſit ſchola. hæc ille. Quibus tantus Doctor manifeſtè declarat, receptiſſimam offerendarum primitiarũ obſeruationem ab ipſa naturali intelligentia diuinitùs mortalibus indita originem duxiſſe. Nec dubium, quin ſicut Noë egreſſus ab Arca, mox Deo holocauſtum obtulit, obtulerit & Domino primitias. Idem de Patriarchis Abrahã, Iſaac, & Iacob, aliiſq; piis viris ante legem datã, credere dignũ eſt. Quæ omnia profectò præludia quædam fuerũt, quibus homines imbuebãtur, vt hiſce cultibus ſub naturali lege aſſueti, legibus, mandatis, & ſtatutis de ſacrificiis, oblationibus, primitiis, atq; decimis à Deo per Moyſen ferendis, prona mẽte obtemperarent.

Caput quartum.

ET profectò ſicut naturale ius exigit vt homo ex rebus ſibi à Deo datis aliquid exhibeat ad eius honorẽ: ita naturalis ęquitas requirit, vt ex primis frugibus primitias ei retribuat: quã naturæ ęquitatẽ lex diuina declarauit & firmauit, pręcipiẽdo, vt ſtricto iure deberẽtur, atq; redderẽtur. Eſt igitur hęc offerendarum primitiarum ęquitas, ius quoddam medium inter ius omnino naturale, qnale eſt, honorandi parentes: & omnino poſitiuum, quale eſt, Non arabis in boue & aſino. Et quia, vt ait Ariſtoteles, cuius medium eſt innominatum, certant extrema de media regione, euenit vt quidam partim doctorum ſenſerint primitias tantùm iure poſitiuo, vel legali, vel canonico deberi: quidam partim verò iure naturali. Sanctus autem Thomas medium tenuit, ni ego fallor: quod expreſſit dicens loco prius citato, Pertinet autem ad ius naturale, vt homo ex rebus ſibi datis à deo aliquid exhibeat ad eius honorem: ſed quòd talibus perſonis exhibeatur, aut de primis frugibus, aut de primis fructibus, aut in tali quantitate, in veteri lege fuit iure diuino determinatum: in noua autem lege definitur per determinationem Eccleſiæ. Elucet autem & ampliùs ſancti Thomæ mens, ex ſolutione ad primum argumentum, diſtinguentis inter proprias puraſq; ceremonias legis, quæ ſimpliciter futura Chriſti myſteria proſpiciebant: qualis erat, Agni paſchalis immolatio, & Azymorum celebratio, & inter ceremonias communiter dictas: quę tamen multum naturalis debiti in ſe continent: quale eſt ſacrificii oblatio. Sic enim ait: ceremonialia propriè erãt in ſignum futuri: & ideo præſentia veritatis ſignificatæ, id eſt Chriſti & eccleſiæ ceſſauerunt. Oblatio autem primitiarum fuit in ſignum præteriti beneficii: ex quo & debitũ recognitionis cauſatur ſecundum dictamen rationalis rationis. Et ideo in generali huiuſmodi obligatio manet. Vidiſti ſanctum Doctorem nunc in naturale, nunc in legale ius, reddendarum primitiarum debitum, reuocantẽ. Scilicet vt oſtẽderet natura & lege mixtum eſſe. Sed iam

afferamus aliquos locos ex veterilege, quibus Iſraëlitæ has primitias, ſacerdotibus deferre tenebantur. Etenim Exodi cap. 22. ſic præcepit Deus populo Iſraël: Decimas tuas & primitias nõ tardabis offerre. & rurſum capite eiuſdẽ libri. 23. Primitias frugum terrę tuę deferes in domũ Domini Dei tui. Ex his autem duobus mãdatis manifeſtum eſt Iſraëlitas diuino iure obligatos fuiſſe, reddendis inferendisq́; in templum Domini primitiis: ab earumq́; oblatione ceſſantes, peccatũ peccaſſe mortale. Id quod vel ex eo apertè liquet, quo dominus apud Malachiam prophetam queritur de iis qui primitias ſoluere negligebãt, dicens: Si affigit homo Deũ, quia vos affigitis me? Et dixiſtis, in quo confiximus te? In decimis & primitiis. vos maledicti eſtis. Etenim dubium non eſt, quin deum in re tam graui configere, id eſt offendere, peccatum ſit criminale, præſertim cùm ſit meritò maledictione plectendum. Porrò eiſdẽ rationibus quibus oſtenſum eſt, primitias ſub lege veteri fuiſſe ſacerdotibus reddendas, iure quodam naturali ſimulatq́; legali ita: imò potiùs euangelicę legis tempore, eodem iure naturali, et tamen coniũcto canonico eccleſiaſticis ſacerdotibus eædem primitiæ debentur. Id quod clarius percipies, ſi repetas ſeptem concluſiones cæteris priores, quas de iure reddẽdarum decimarum, in tractatu de decimis digeſſimus: quanuis decimæ ſtrictioris iuris videantur eſſe, quàm primitiæ. Deniq; teneri cũctos laicos, ad reddendas primitias compertum eſt ex illo Alexandri Secundi decreto, quod habetur diſtinctione trigeſimaſecunda, capit. Præter hoc. paragrapho, præcipiẽtes. vbi ſic ait: Deinde, ſubaudi, præcipimus, vt decimæ ſeu primitiæ ſeu oblationes viuorum & mortuorum eccleſię Dei fideliter reddantur à laicis, & vt ipſæ in diſpoſitione epiſcoporum ſint: quas qui retinuerit, à ſanctæ eccleſiæ cõmunione ſeparetur. Facit & ad idem quod habetur. 16. q. 7. capi. decimas. Oportet autem. congruentiùs nos decimas & primitias, quas iure ſacerdotũ eſſe ſancimus, ab omni populo accipere: quas fideles, domino præcipiente offerũt, iuxta illud vaticinium Malachię, Inferte omnem decimam in horreũ meum, vt ſit cibus in domo mea. Ex his autem conſtat, neq; clericos, neq; religioſos eſſe obnoxios reddendis primitiis, de aliqbus prædiis, ſiue eccleſiaſticis, ſiue patrimonialibus, ſi ipſi ea per ſe colãt. nã ſi laici eadẽ exerceãt, ipſi laici tenẽtur tũ decimas, tũ primitias ſacerdotibus perſoluere. Non tuquã tenentur aut clerici aut Religioſi primitias ſoluere: quia Canon ſolos laicos conſtringit obligatq́;, & nulla eſt illis ſoluendi conſuetudo, ſed potiùs deſuetudo ſcita & tolerata, per quam nec à clericis & religioſis primitiæ ſoluuntur, nec ab eis exiguntur, quanuis decimæ exigantur. Nam quanuis eccleſiæ parochiales ponunt querelas aduerſus religioſos, quòd fraudantur ab eis ſuis iuribus, vt patet extrà, de decimis, cap. Ex multiplici. & cap. commiſſum. & cap. dilecte. & ca. lugendũ. & cap. licet. & multis aliis, in quorũ nullo faciunt mentionem primitiarum: ſed decimarum tãtummodò.

Exod. 22. — Cap. 3. — Cap. 3.

quo manifeſtè inſinuãt, ſe minimè degra
uari eo ꝙ primitiæ à religioſis non ſol
uũtur. Nec id mirũ cũ primitię ſint mi
noris iuris ac oneris quam decimæ: ſicut
decimæ perſonales, quàm prędiales. Ex
quo fit, vt q fuerit, vel cõmuni iure vel
priuilegio liber à ſolutione decimarum
prędialium, ſit & immunis à ſoluendis
tum primitiis, tũ decimis perſonalibus,
ſumpto argumento à maiori ad minus
negatiuè, in his quę ſunt. eiuſdẽ generis.

Caput quintum.

ETprofectò huiuſmodi pri-
mitiæ in veteri lege in ius
ſacerdotum totæ cedebant,
nihilq́; ex eis Leuitas attin
gebat, vel in vſus ſanctuarii dabatur,
nihilq́; earum in altari cremabatur: ſed
ſicut decimæ omnino Leuitis dabantur,
ita & ſacerdotibus primitiæ. Id quod
de Numerorũ libri capite vndeuigeſi-
mo liquet. Sic enim locutus eſt domi-
Nume.19. nus ad Aarõ, alioſq́; ſacerdotes: Omnẽ
medullam olei, & vini, & frumenti,
quicquid offerunt primitiarum domi-
no, tibi dedi. Vniuerſa frugũ initia, quę
gignit humus & domino deportãtur,
cedent in vſus tuos. Et paulò pòſt:
Omnes primitias ſanctuarii, quas offe
runt filii Iſraël domino, tibi dedi, & fi-
liis tuis, & filiabus tuis iure perpetuo;
ſcilicet durante leuitico ſacerdotio. Nã
trãſlato, ſacerdotio, neceſſe eſt vt legis
trãſlatio fiat. Ideo vidẽdũ eſt, quibus
ſint iure cãonico primitiæ tribuẽdę. Et
quidem nullo iure ſunt laicis debitæ, nec
eis licet ipſas vſurpare, quandoquidem
non ſunt eccleſiaſtici miniſtri: ſed po-
tiùs iidẽ eas eccleſiaſticis miniſtris ſol-
uere tenentur, vt exploratũ eſt ex duo-
bus capitulis Decreti, in capite proxi-
mo citatis. Ex quibus etiam liquet, nul-
latenùs illas eſſe tribuendas ſacerdoti-
bus religioſis: quia religioſi nulla iura
à populo recipiunt: ſed potiùs ipſi mini
ſtris eccleſiæ ſoluunt: niſi aliquo priui
legio pontificio facti ſint ſoluendo im-
munes. Et patet extrà, de decimis, in ca
pitulis paulò antè allegatis. Enimuerò
ſi monachi, vel cœnobitæ populum ha-
beant ſibi ſubiectum, cui teneantur rem
diuinam facere, nec non ſacramenta mi
niſtrare, ius eſt eis & decimas & pri-
mitias & oblationes à parochis ſuis ac
cipere. Quibus ergo debẽtur primitię?
procul dubio eccleſiæ & miniſtris eius
vt ſecundum epiſcopi prudentiam in
vſus eccleſiaſticos diſpenſentur: vel
iuxta communis iuris diſpoſitionẽ: vel
ſecundum cuiuſq́; eccleſię conſuetudinẽ.
id quod liquet. 16. q. 7. cap. decimas. Ex
quo euenit, vt in aliquibus eccleſiis pri-
mitiæ ſint fabricæ attributæ: in aliqui
bus æditiuis, id eſt ſacrorũ cuſtodibus:
in aliis demum ipſis miniſtris. Denique
ſi quæratur, vtrùm primitiæ ſint dan
dæ eccleſiæ, in qua quis recipit ſacramẽ
tum: aut ei in cuius territorio ſunt fun
di? Reſpondetur, ſeruandam eſſe con-
ſuetudinem, vt ei dentur cui eas dari
moris eſt. Conſuetudo enim in hiſce iu-
ribus magnam vim habet. Si verò deſit
conſuetudo, quę litem dirimat, & eccle
ſia in cuius territorio ſũt fundi, primis
illis fructibus egeat, & non alia, ex bo
no & æquo indigenti dari debent. A
lioqui cùm primitiæ multùm ſapiant de
cimas perſonales, quia in lege noua non
eſt

eſt eorum quantitas determinata, ſicut veteri lege videtur, quòd ſicut decimę perſonales perſoluuntur ab eorum debitore in ſua parochia, ita & primitiæ in eâdem ſunt ſoluendæ. Id quod & Raimundus & Hoſtienſis ſentiunt.

Caput ſextum.

Iam verò ſi quis quærat, quota primarum frugum pars fuerit eis primitiis deputata, ſciat in toto Pentateucho eam non fuiſſe definitam: ſed Magiſtrorum autoritate, fuiſſe inter quadraginta & ſexaginta definitam. Ezechielisq́; tempore ſexageſimam duntaxat in templum deferri. Legimus enim
Eze. 45. *apud Ezechielem præcipiente domino, certamq́; primitiarum tunc tẽporis ſoluendarum quantitatem definiente. Et hæ ſunt primitiæ quas tolletis: ſextam partem Ephi de coro frumenti, & ſextam partem Ephi de coro hordei. menſura quoq; olei. Batus olei decima pars cori eſt: & decem bati corum faciunt: quia decem bati implent corum. Etenim corus triginta modios capiebat: & per conſequens, Batus qui eſt decima pars cori in liquidis continet tres modios. Et itidem Ephi in aridis. Su-*
Hiero. *per quo Hieronymus ſcribit: id quod & habetur extrà, de decimis, in cap. 1. ita diſſerit: δεκάδα, hoc eſt decimã partem omnium frugum Leuiticæ tribui populus ex lege debebat. Rurſum ex ipſis decimis Leuitæ, hoc eſt inferior miniſtrorum gradus, decimas dabat ſacerdotibus, & hæc eſt quę appellabatur δευτεροδεκάδα. Erant quoq; & aliæ decimæ, quas vnuſquiſq; de populo Iſraël in ſuis horreis ſeparabat, vt comederet eas cùm iret in templum in vrbe ad conuiuia Hieruſalem: & in veſtibulo tẽpli, & ſacerdotes & Leuitas inuitarent ad conuiuia. Erant autẽ & aliæ decimæ, quas pauperibus recondebant: quę greco ſermone appellantur πτωχοδεκάδαι. At verò primitiua, quę de frugibus offerebantur, nõ erant ſpeciali numero definita, ſed offerentium arbitrio derelicta: traditionemq́; accepimus, non lege præceptam, ſed magiſtrorum arbitrio inolitam. qui plurimũ, quadrageſimam partem dabat ſacerdotibus: qui minimum, ſexageſimam. licebat offerri, quodcũq; voluiſſent. Quod igitur in pentateucho dubium derelictũ eſt, hic ſpecialiter definitur, propter ſacerdotum auaritiam, Nè ampliùs à populo exigant in primitiis offerẽdis: hoc eſt vt ſexageſimam partem offerant eorum, quę gignuntur è terra. Ex eo autem quòd Hieronymus vſus eſt exigendi verbo, Panormitanus colligit, primitias non fuiſſe oblationes ſpontaneas, ſed debitas: quaſi exigere hoc loco ſignificet, ab inuito extorquere, iudicis autoritate ſuffragante. Alioqui primitiarum quantitas tota ferè defraudaretur, ſi quilibet arbitrio ſuo quantum minimum vellet, de frugibus ſuis, in primitias accommodaret. Quòd ſi quiſpiam cenſeat quotam eandem de primis frugibus ſoluendam nunc eſſe, quę olim ſolebatur: quandoquidem ſummus pontifex veteris legis ſtatutum de ſexageſima parte primitianda, reſtituit, inſerẽs illud Decretalibus epiſtolis: Reſpondemus, Papam non commemoraſſe illud,*

vt

vt eò primitialis quota decerneretur, ſed vt exemplar haberetur: non vt compellens ad eandem quotam modò perſoluendam, ſed inuitans. S.Tho. *Vnde ſancto Thomæ videtur, inter illos duos terminos, quadragenarium, videlicet & ſexagenarium, primitias nunc eſſe offerendas ſecundùm conſuetudinem cuiuſq; patriæ. Quòd ſi iterum obiicias, eodem tenore verborum, factam eſſe mentionem primitiarum & decimarum, ac perinde eandem eſſe obligationem reddendi quotam illam partem, tam de decimis, quàm de primitiis præſcriptam: Reſpondemus, quòd licèt illa duo eodē verborum tenore referantur, non tamē pari iure obligant. Et vnde id cōſtat? certè ex vtriuſq; natura: quia decimæ, vtpote omnino neceſſariæ, ſunt lege definitæ: primitiæ verò non ſunt æquè neceſſariæ, ſed commodæ & congruētes. Ideo ſicut ait Thomas, primitiarū quātitas non fuit determinata: quia primitiæ dantur per modum oblationis, de cuius ratione eſt, eam eſſe voluntariā. Super quo acutè Caietanus: Primitiarum exhibito habet in ſe duo, & ipſum rem dandam, & modum dandi ex ea. Itaq; ſi conſideretur res danda, ſic cadit ſub obligatione præcepti ſtatuētis, quòd primitiæ dentur: ſi verò conſideretur modus dandi, ſcilicet quòd datur per modum oblationis, quæ ſuapte natura eſt ſpontanea: ſic habet, quòd non ſit certa quantitas primitiarum obligata ex lege, preſertim canonica: ſed videtur relicta offerentium arbitrio, vt vnuſquiſque ſecum expendat quantum primitiarum eccleſiæ inferre debeat. Sed quia ſi quantitas primitiarum ſoluendarum offerentium arbitrio prorſus relinqueretur, in procliui eſſet, vt nimis parùm primitiarū, aut fortè nihil offerretur: prudenter inquit Sanctus Thomas, in noua lege ea quātitas definitur, per determinationem eccleſiæ: ex qua homines obligantur, vt primitias ſoluant ſecundùm conſuetudinem patriæ: & indigētiam miniſtrorum eccleſiæ. Porrò placet, hanc ſecundam ſancti Thomæ ſententiam, quatuor dictis explicare.*

1 *Quorum primum ſit: Si ſacerdotes ſic tēporalibus bonis egent, vt nec ex decimis, nec ex aliis oblationibus, quæ in Dei eccleſiā inferūtur, ſatis ſit eis, vt neceſſarium victū ac congruū habeant, honeſtūq; veſtitū: populus tenetur eis tātundem primitiarū cōtribuere, quātū eſt eis opus ad cōmodè viuendū, & honeſtè induendū, & eccleſiæ decenter vacandū. Nā & naturalis ratio dictat, miniſtris ea quibus egent, ab aliis quibus operantur, plenè ſuppeditari. Et ī lege ſcriptū eſt, & à Paulo replicatū: Non alligabis os boui trituranti.* Deut. 25. 1.Cor.9. *Et illud, Qui altario ſeruit, de altario viuere debet. Quid? quòd ad eaſdem primitias eccleſiæ indigenti reddendas tenetur etiam is, qui nūquam anteà, illas ſoluerit? Nā ſicut in propoſito caſu naturalis ratio dictat, indigētibus eſſe aliquid tribuendum: ita naturalis eorum indigētia, imò & honeſtas præſcribit, quantum ſit eis tribuendum. Nempe quantum ſufficiat eorum indigentiæ completè ſubuenire: nec ab huiuſmodi obligatione, vtpote naturali, abſolui laici poſſunt, quatouis tempore primitias ſacerdotibus mini-*

2 nimè dederint, Secundum dictum. Ceſ-
ſante prędicta eccleſiæ indigentia, qui
nunquam primitias ſoluerunt, non tenē-
tur eas de nouo ſoluere. Præſumitur
enim pro illis, aut ipſis fuiſſe ex æquo
& bono ab habente exigendi poteſta-
tem, remiſſas: aut ab eodem fuiſſe quo-
modolibet redemptas: ac perinde tales,
primitias minimè ſoluentes, nihil crimi-
nis inde contrahunt, ſuntq́; in conſcien-
tia tuti: ſi tamen parati ſint eas ſacerdo
tibus deferre, ſi eis indigeat eccleſia. Si
autem in contrarium obſtinata mente
deflexerint, haud dubium, quin mortife
rum peccatum peccent.

3 Tertium dictum. Qui ſoliti ſunt pri
mitias ſoluere, non tenentur ſeruare mo
dum illum inter quadraginta & ſexa-
ginta, quem Hieronymus ex veterum
Magiſtrorum traditione retulit. Quo
niam eccleſia Chriſti non tenetur ſerua
re ſtatuta legis, à cuius iugo illius gra
tia nos liberauit: licèt poſsit illa, noua in
ſtitutione, Chriſti vicarius imitari: ve-
luti naturali rationi conſona, & aliquā
do Deo placita. Nullatenùs autem, qua
tenùs ceremonialia fuerunt illa ſtatu-
ta, hoc tempore impunè ſeruari poſſunt.
Id enim eſſet valde impium & ſacrile-
gum. Siquidem illorū obſeruatione prę
ſignaretur Chriſtum adhuc eſſe ventu-
rum, qui iam ab hinc mille & quingen-
tis, & quinquaginta duobus annis ve-
nerit. Sed de hoc paulò antè in hoc eo-
4 dem capite exactiùs diſſeruimus. Quar
tum dictum. Soliti primitias in dei do
mum afferre, tenentur eas reddere, ſecū
dùm conſuetudinem ab ipſis anteà ſerua
tam: vel iuxta morem ſuæ ipſorum pa-
trię: præſertim vicinarum eccleſiarum.
Quòd ſi proximæ patriæ in reddendis
primitiis inter ſe differant, obligatus
primitiis poteſt eligere modum primi-
tiandi, quem propinquiores ſibi tenēt.
Sic & ille, cui Papa determinatè prę-
ciperet, primitias de nouo ſoluere, ean-
dem primitias ſoluendi rationem ſerua
re teneretur: aut certè, quē modum ipſe
vellet: niſi fortè tam parua menſura il-
las metiretur, vt meritò pro nihilo ha-
berentur. Tunc enim ab ipſo prælato cō
pellendus eſſet, vt probabilem menſurā
adhiberet. Hęc demum videtur ſanior
moderandi primitias ratio: ſiue illæ ec-
cleſiæ miniſtris, ſiue eius fabricæ ſint
accommodandæ.

Tractatus de oblationum ratione: ad quem maximè pertinet Caput ſecundum proximi tractatus: eſtq́; hoc loco in primis relegēdus.

Caput primum.

ENimuerò quærat quiſpiam, vtrùm ſit melius, Deoq́; acceptius, aliquid offerri Deo, quàm pauperibus erogari? Et quidem videtur optatius eſſe illud pauperibus diſtribui, quàm Deo offerri: dicente Domino per Oſee Prophetam: Miſericordiam volui, & non ſacrificium: & ſcientiam Dei plus quā holo-

*holocauſta. Id quod & magiſter cœ-
leſtis apud Matthæum cum phariſæis
arguẽtibus eum, quòd cũ publicanis &
peccatoribus comederet, reſpondit: Eũ
tes diſcite, qd eſt, miſericordiã volui &
non ſacrificium. Paulus quoq; apoſto-
lus, velut poſthabitis oblationibus quæ
in ſacrificium offerebantur, Hebræis
Cap.13. præcipit: Beneficentiæ autem & com-
munionis nolite obliuiſci: talibus enim
hoſtiis promeretur Deus. Ex aduerſo
autem ſtat eiuſdem Domini autoritas,
qua ſacram illam pretioſi vnguenti in
ſe effuſionem à pia muliere factam, ad
probauit: diſcipulorumq; pro pauperi-
bus ſentientium ob murmurationem re
preſſit. Eos enim obiurgãs, dixit, Quid
moleſti eſtis huic mulieri? Bonum o-
pus operata eſt in me. Pauperes enim
ſemper habetis vobiſcũ: me autẽ nõ ſẽ
per habebitis. Ad huius quæſtionis ab
ſolutionẽ ſit prima cõcluſio. Si oblatio
deo facta, & eleemoſyna homini data
abſolutè comparentur, oblatio præſtat
eleemoſynæ: Quoniam altioris virtutis,
excellentius eſt opus. Offerre autem
Deo religionis eſt actio: Donare autẽ
pauperi eſt liberalis miſericordię opus.
Melius igitur eſt deo aliquid offerre,
quàm illud homini donare. Etenim ſi re
ligio & miſericordia inter ſe comparẽ
tur, multò excellentior virtus eſt reli-
gio, quę directè in Deũ tendit, & cir-
ca eum immediatè verſatur, quàm miſe-
ricordia, quæ directè in hominem tendit
& immediatè circa eum negotiatur.
Ac proinde deuotio, adoratio, & oratio
in deũ, cęterę́q; id genus actiões ſunt ſua
pte natura eleemoſyna multò pfectiores
imò & ſacrum facere, quatenùs ad
Dei honorem fit, atq; ad eius maieſtatẽ
declarandam dirigitur, perfectius opus
eſt, quàm alere pauperes, veſtire nudos,
& reliqua corporalis miſericordiæ ope
ra. Quia illis homo propinquior, & co
gnatior, & ſimilior efficitur deo, vlti-
mo expetendorum fini, quàm his. Sicut
ſanctus Thomas docet in articulo ſexto Thom.
quæſtionis. 81. ad ſecundam ſecundi libri
partem. Secunda concluſio. Si conſyde
retur id quod offertur, quatenùs in vti
litatem ſacrificii cedit, melius eſt dare
illud homini quàm Deo: quia homo indi
get, non autem deus: qui neq; nobis neq;
noſtris, neq; ſacrificio ſibi offerendo in-
diget. Hac vtiq; ratione dominus elee
moſynam ſacrificio prætulit: commodũ
ſcilicet hominum reſpiciens: cùm dixit,
Miſericordiam volo & non ſacrificiũ.
In hanc ſententiam acutè ſanctus Tho
mas philoſophatur dicens: Deum non
colimus per exteriora ſacrificia aut mu
nera, propter ſeipſum, id eſt propter
ſuam ipſius vtilitatem: ſed propter nos
& proximos: id eſt ob noſtram proxi-
morumq; commoditatem. Non enim in
diget ſacrificiis noſtris: ſed vult illa ſi-
bi offerri, propter noſtram deuotionem
& vtilitatẽ. Et ideo miſericordia qua
ſubuenitur aliorum defectibus, eſt ſacri
ficium magis acceptum, vt pote propin
quiùs vtilitatem proximorum inducẽs:
ſecundùm illud quod habetur in vltimo
Epiſtolæ ad Hebræos capite: beneficẽ
tiæ & communionis nolite obliuiſci: ta
libus enim hoſtiis promeretur Deus. In
his enim quæ exhibentur aliis, propter
eorum vtilitatem eſt exhibitio laudabi-
lior,*

lior, quę ſit magis indigenti: quia eſt v-
tilior. Deo autẽ non exhibetur aliquid
propter eius vtilitatem, ſed propter e-
ius gloriam, noſtram autem vtilitatem.
Quare ſumma modò dictorum hæc eſt,
Si conſideres donum, quatenus affer-
tur propter Deum & Optimum &
Maximum, cui debetur honor & glo-
ria ab omnibus tam angelis quàm homi
nibus celebranda, ſacrificium pręfertur
eleemoſynæ: ſi verò illud idem expenda
tur prout ad vſum ſacrificandi commo
dũ, ſic miſericordia ſacrificio meritò pręſ-
fertur. Quoniam indigenti perutilis eſt
eleemoſyna. Oblatio verò muneris quã-
tumuis pretioſi Deo prorſus eſt inuti-
lis: vtpote ad quẽ Propheta ſapiẽter ad
modũ inquit, Deus meus es tu: quia bo
norum meorũ non eges. Ex his itáq; di-
ſcuſsis, apertè liquet. S. Thom. minimè
ſecum diſsidere. 22. q. 30. art. 4. præferen
do mĩam ſacrificio: & q. 81. ar. 6. antepo
nendo mĩæ religionẽ. Iam ſit tertia con
cluſio. Cũ Dñs ait, Mĩam volo & nõ
ſacrificiũ: haud abſolutè ſacrificii exte-
rioris oblationẽ reprobat. Quandoqui-
dem id offerri ſibi in odorem ſuauitatis
ſepè pręcipit: & ab eodem celebrando
ceſſantes grauiter increpauit. An non
& Deus homo factus ſacroſanctũ Eu
chariſtiæ ſacramentum conſtituit? &
quotidie in eccleſia ſua ſancta & catho
lica conficiendũ præcepit? ſummáq; de
uotione celebrandũ? Cur ergo ſic loqui
tur ac ſi illud omninò reprobaret? pro-
fectò vt nobis penitus ĩtimet, ſi ob vtili
tatẽ ſacrificetur, longè mĩam ſacrificio
pręſtare, id eſt, magis velle, homini indi
genti miſericorditer ſubueniri, quã ſibi
nihilo carenti ſacrificari. Sicut mauult
in nobis eſſe Dei ſcientiã, id eſt piã ſui
ipſius agnitionẽ, in hominis mente ſibi
deuota, quàm exterius holocauſtum of-
ferentis charitate vacuũ: ſicut quilibet
ordinatè volens, magis vult finẽ, quàm
ea quæ ſunt ad finem. Finis autem exte
rioris ſacrificii, quantũ ad noſtram per
tinet vtilitatẽ, eſt charitas erga Deum
& proximum acquirẽda, habenda, poſ-
ſidenda, excitanda, augenda: ac perinde
miſericordia in proximum exercenda.
Hęc eſt maxima virtus, nõ dubiũ quin
charitas, cui ſacrificiũ coniunctũ Deo
placet, à qua diſiunctũ, Deo diſplicet.
Hinc ꝓfectò Abêlis munera interio-
ri pietate cõdita, Deo placuêre: Caini
verò munera impietate cõtaminata, illi
diſplicuerũt. Huc ſanè ptinet illud qđ
Dñs aduerſus hoĩes criminoſos ſibi ſa-
crificãtes apud Eſaiã loquiť, Quô mihi
multitudinẽ victimarũ vr̃arũ? dicit dñs Cap. 1.
Plenus ſum. Holocauſta arietum, &
adipem pinguiũ, & ſanguinem vitulo-
rum & hircorum nolui: & cætera, quę
ſermo propheticus percurrit. Quô mi-
hi, ait: Quaſi dicat, Nunquid propter
meam vtilitatem iuſsi ſacrificare? Ab-
ſit. Plenus ſum: vtpote abundãtiſsimus
vniuerſorũ bonorũ fons. Idcircò explo
ratũ vobis ſit, ꝙ quantũ ad me attinet,
neq; veſtra gratiarũ actione iucundior
in memetipſo fio, neq; veſtra glorifica
tione clarior, neque honore, neq; magni-
ficis muneribus ditior, neq; ampliſsima
& multiplici oblatorum copia opulen-
tior, neq; conſilio prudentior, neq; ſcien
tiá ſapientior, neq; Imperio potentior.
Hoc enim eſt meæ propriũ maieſtatis,

vt neque creſcere, nec minui vllo modo poſſit: eo enim ſum ſimpliciter perfectus, omniúmque perfectiſſimus; quo nihil mihi addi detrahiq; poteſt, quod meam maieſtatem vel augere, vel minuere valeat. Cur ergo Clementiſſime rerum Pater hoſtias tibi offerri iubes? Procul dubio propter veſtra commoda: vt fides veſtra adaugeatur, ſpes confirmetur, charitas incendatur, fiducia cõualeſcat, deuotio excitetur: & demum pia mecum frequensq; per vos conuerſatio ineatur, familiaritas ſpiritualis exerceatur, pietasq; conſpicua omnibus gentibus reddatur. Denique ad me nulla inde redit vtilitas, ſed nec ad vos redibit ſi interior pietas exteriori cultui defuerit: ſpiritus enim ſum, per memetipſum beatus, & beatificus: ac perinde quæ mihi cognata ſunt, à vobis requiro. Cor videlicet mundũ, mentemq; piam, ſanctosq; animi receſſus, non munera pietate vacua expecto. Spiritu & veritate adorari volo. Hæc vbi ſunt, cætera omnia licèt abſint, non deſunt. Sed ſi his communita adſint, ea libenter accepto. Intellexit hoc vtique meus ille Propheta atque Rex, qui ambulauit corde perfecto coram me, quando cecinit: Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem: vtique holocauſtis non delectaberis. Sacrificiũ Deo, ſpiritus coutribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Hæc enim vbi per tuam beneficentiam præſtò fuerint: tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, id eſt quod à pia mente, de iuſto lucro, de honeſta actione, de ſpontanea voluntate fuerit oblatum.

Caput ſecundum.

IAm verò libet ex his quæ proximo cap. definita ſunt tanquã è ſummo totius huius diſputationis vertice, mathematicorum more, quædam Corollaria, quæ Græci πορίσματα vocant, congruenter deducere. In primis igitur illud, authore Hieronymo, eos longè falli, qui cùm Dei præcepta non faciant, donis variis atq; muneribus, Deum redimere ſe poſſe credunt. Quo malo periit Rex Saul, ſicut in primo Regum libro, memoriæ proditum eſt. Cap. 15. *Ad quem Samuel, Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia, quàm victima: & auſcultare, magis quàm offerre adipem arietũ. Quia quaſi peccatũ hariolãdi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Hæc autem ſic habere, declarat marginalis gloſſa, dicens, Melior eſt obedientia quàm victima. Nempe quia per victimas aliena caro, per obedientiã verò voluntas propria mactatur. Tanto ergo Deũ quiſq; citiùs placat, quãto magis repreſſa arbitrii ſui ſuperbia, gladio pcepti ſemet immolat. Hariolãdi verò pctm̃ inobedientia dicitur: vt qutanta ſit virtus obedientiæ, ex aduerſo demõſtretur. Secũdò cõſequitur & illud: iniquè quoq; & ſcelerátè facere, qui ea quę meretricio, alióue turpi lucro acquiſierunt: & qui ea quę concuſſione vel calumnia ab imbecillis, ac pauperibus extorſerunt: & qui parta per rapinam, furtum, dolos,*

fraudes,

fraudes, vſuras, ac ſimoniam, ad altare offerunt : nullatenùs enim eis talia oblata proſunt, ſed obſunt potiùs.

Addunt enim peccato peccatum: nempe iniuſtitiæ aduerſus proximum, in Deum blaſphemiam: prætendunt enim tam impia & iniqua donaria offerentes, Optimo Maximoq́; Deo tanquàm cuidam violẽtiſſimo atq; iniquiſſimo tyranno illa placere: cùm ei maximè diſpliceant. Ab his demum parùm abſunt, qui augendæ religionis prætextu, beneficia vnius eccleſiæ ad aliam trãſferri faciunt, & ex alienis baſilicas dotant, atq; ſui ſuorumq́; memoriam celebrant, vt ad poſteros porrigãt. Id quod tum rerum natura, quæ ſua cuique tribui dictat, prorſus vetat: tum lex, quæ alieni agri meſſes demetere prohibet : tum canonica quæ ſua cuique eccleſiæ iura atque prouentus ſui territorii reddi iubet. Eſto quòd ex eccleſia habente vectigalia ſuperflua, alteri eis indigenti impartiri neceſſaria & liceat & deceat. Deniq; in Carthaginenſi Concilio cautũ eſt, eorũ qui pauperes opprimunt dona, à ſacerdotibus refutari. Et quidem meritò. Quoniam, vt ait Eccleſia- Eccl.34
ſticus, Dona iniquorũ non probat Altiſſimus: nec reſpicit in oblationes iniquorum: neq; in multitudine ſacrificiorũ eorum propitiabitur peccatis. Qui offert ſacrificiũ de ſubſtãtia pauperum, quaſi qui victimat filiũ in conſpectu patris. Deniq; tantum abeſt oblatũ ex alieno ſacrificium à Deo acceptari, vt quod ex tuo offerendũ attuleris, neutiquã admittatur, niſi alienum priùs reſtitueris. Hoc enim eſt, quod Dñs Ieſus apud Matth. præcipit, dicens: Si obtu- Matth.5.
leris munus tuũ ad altare, & ibi recordatus fueris, ꝙ frater tuus habet aliq̃d aduerſus te, relinque ibi munus tuũ ante altare, & vade priùs recõciliari fratri tuo: & tunc veniẽs offer munus tuum. Non igitur ſufficit, vt munus tuũ piè offeras, ſed & iniurię ꝓximo illatę pœnitere te opus eſt: neq; ſat eſt eidẽ te reconciliari, vel veniam ab offenſo petendo, ſed oportet ei ſatiſfacere: vel illa tũ ei damnum, quo meliùs potueris, reſarciendo: ſiue ſit ille præſens, ſiue abſens: ſi abſq; magno atq; iniquo diſpendio debita ſatiſfactio ad illum peruenire queat. Vel certè decet te publicè proteſtari, promptũ eſſe atq; in parato habere ad repenſandum iniuria affecto, quicquid ius & æquitas exigat. Quid ſi offenſus ille iuſtam ſatiſfactionem ſibi oblatam, malignè non admittat? ſed prętermiſſo iuris ordine, vltionẽ manu ꝓpria capiendam perſequitur? Profectò iam ille, qui cum offenſo, quantũ in ſe eſt, redire ſatagit in gratiã, inculpatè munus ſuum altari inferre poteſt. Imò hic expetendæ recõciliationis procurator habet aliquid aduerſus eum, qui iuſtam reconciliationẽ repellit. Quid? nempe iniuſtam repulſam, propter quam minimè fas eſt ipſi repulſori munus ſuum ad altare offerre. Quid ſi ille iniuria affectus, non ſua ſed iudicis manu vlciſci prętendat? Si id non improbo vindictę appetitu incenſus, ſed probo iuſtitię zelo motus ꝓſequitur: ſublato tñ de medio ſcandalo: accedat ad altare, & in nomine Dñi munus ſuũ Deo offerat. Attamen quia hoc eſt mortalibus valde dif-

ficile, tutius eſt vel petenti veniam concedere, vel prætermiſſo ordine iuris, iuſtam admittere ſatiſfactionem, quàm apud iudicẽ aduerſum illum agere, præſertim quando reipublicę vtilitas id patitur, aut depoſcit. At quid faciet hic olim offenſor, nunc autem verus reconciliationis procurator, vt munus ſuum ad altare poſſit offerre? Procul dubio, vbi fecerit quod in ſe eſt, ad reconciliaudum: quamuis homicidium commiſerit, cuius verè pœnituit, & à quo in foro conſcientiæ eſt abſolutus: poteſt inculpatè munus ſuum ferre ad altare: quinetiam ſacram Euchariſtiam piè petere, & ſanctè percipere. Quia non tenetur hic reus explere per ſe hunc modum iudicialem, quem vltor ſanguinis exequitur. Non enim licet huic reo pſentare ſe iudici, vt ab eo occidatur: quia nemini fas eſt ad ſuiipſius occiſionem facere, niſi fidei catholicæ ratio id exigeret: licèt teneatur æqua mente iuſtum de ſe iudicium ferre. Poſtremò ſunt hæc exploratiora: quia teſte Euthymio, ſermo Domini de reconciliandis fratribus, refertur indifferenter ad eum qui affectus eſt iniuria, & ad eum qui iniuriam irrogauit. Et ſiquidem male paſſus es, iniuriam illi remitte, & patiens eſto. Quòd ſi iniuriam irrogaſti, medere iniuriæ, nihilq́; relinquas eorum quæ ad reconciliationem faciunt. Decunt igitur quòd cuius ſacrificium propter inimicitiam non ſuſcipitur, huius quoque vita omnibus ſit abominabilis. Conſequitur & illud ex ſupradictis, Deum non tam corporalium externorumq́; ſacrificiorum multitudinẽ magnitudinemq́; adprobare, quàm illud interius & ſpirituale: ſacrificiũ enim Deo ſpiritus cõtribulatus. Suffragatur & huic ſententiæ Micheas propheta, diligentiſſimè acceptabile Deo ſacrificium inquirens, atq; dicens, Quid dignum offeram Deo? Curuabo genu excelſo? Nunquid offeram ei holocauſtomata, aut vitulos anniculos? Nunquid placari põt in milibus arietum, aut in multis milibus hircorũ pinguiũ? Nunquid dabo filiũ meum pro ſcelere meo: fructum vẽtris mei pro pctõ meo? Indicabo tibi ô homo quid ſit bonũ, & quid Dñs quęrat abs te: vtiq; facere iuſtitiã & iudiciũ, & diligere miãm, & ſolicitũ ambulare corã Deo tuo. Super quo Hiero. Hieron.
Quærit à nobis Dominus, & quaſi neceſſariam habeat noſtram ſalutẽ, poſcit accipere, quod danti proſit: vt faciamus iudicium, id eſt vt nihil abſque ratione & conſilio faciamus: vt antè mẽs iudicet, quod factura ſit, & poſteà opere compleat: & miſericordiã diligamus, & non quaſi compulſi aut neceſſitate miſericordes ſimus: quoniam hilarem datorem diligit Deus. Nec dicamus, Vade hodie, & cras reuertere, & dabo tibi: cùm poſſis citò darre. Quærit vt & ambulemus corã Deo, id eſt, vt quęcunq; facimus, diuino ſint digna conſpectu, vt eam ſolicitudinem in rebus agendis adhibeamus, per quam potiùs Deo, quàm hominibus placeamus. Tale ſacrificium offerri ſibi Deus exigit, cùm in Pſalmo loquitur: Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quô oſtendam illi ſalutare Dei. Denique ſacrificiũ laudabile eſt Fides

in Chriſtum, quę per dilectionem operatur: per quam ad ipſum peruenitur Saluatorem, qui eſt vnica victima Deo acceptiſſima. Quæ licèt ſemel fuerit in ara Crucis oblata, quotidiè tamen ſuper eccleſiaſticũ altare, & in ſacramentum conſecratur, & in ſacrificium offertur. Hæc deniq; eſt hoſtia viua, hoſtia ſancta, hoſtia immaculata: quæ vniuerſam illam veterum hoſtiarum multitudinem re ipſa compleuit, ſpiritu conſummauit, vmbram excluſit, veritatem contulit.

Caput tertium.

SED iam propoſitam olim quæſtionem quodammodò repetentes, inueſtigemus, vtrùm ſtantibus ſupradictis de ſacroſancto altaris myſterio, præſtiterit id quod rectè, probè, ac piè dandum ſit, pia quidem mente in ſacratiſſimę Eucharistiæ celebrãdæ vſus, quàm in pauperum ſubuentionem, expendere. Hinc etiam quæſtioni reſpõdetur per quædam prologuia. Quorum primum ſit: Offerre aliquid in vſum ſacrificii, vel eccleſiæ, vel miniſtrorum eius, abſolutè loquendo, melius eſt & commendabilius, quàm idipſum pauperibus erogare: quia illud eſt opus altioris virtutis, nempe latriæ: hoc autem inferioris, videlicet liberalis miſericordiæ: vt ſuperiùs fuit declaratũ cap. 2. tractatus de primitiis. Secundũ dictum. Si pauperes nõ vrgeant extrema neceſſitate, vel valde magna: & inſtet deo ſacrificãdi tempus, melius eſt ei illa offerri quibus opùs eſt peragẽdo ſacrificio, vel eccleſię, vel ſacerdotibus, quã pauperibus ea dare: quia id exigit ſacrificãdi opportunitas. Nec ea ſunt cuſtodiẽda ad alẽdos in futuro incertos pauperes, quorum vſum præſens colẽdę religionis articulus exigit. Etenim virtus virtuti nõ eſt impedimẽto. Quoniã tam morales quã ſpirituales virtutes vel ità ſunt inter ſeipſas cõnexæ, vt alia aliã depoſcat: ſicut ſpes fidẽ, fortitudo prudẽtiã: vel certè adeò adinuicẽ conſentiũt, vt pro loco & tẽpore, perſona & cauſa, mutuò ſibi cedant. Sic coniugalis caſtitas fortitudini dat locũ, vt vir vxori alioqui debitũ redditurus, procul domo abſit, atq; ſtet pro patria velut quidã murus, eam ab hoſtiũ incurſu defenſurus. Sic & contemplatio diuinarũ rerum, humanarũ actioni pro negotiorũ qualitate nõ raro cedit, dicẽte Auguſtino: Otium ſanctum quærit charitas, negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Denique propter hanc laudabilem amplectendamq; virtutum alternis vicibus exercendarum opportunitatem, ſimul & ſuam ipſius perſonæ dignitatem Dominus Ieſus pientiſſimam illam pretioſiſſimi vnguenti effuſionem à religioſa muliere in ſe factã adprobauit: obtrectantiumq; illi murmur velut importunum repreſſit. Nam pium ſanctumq; fuit opus, ei qui Deus erat & homo, eiuſmodi obſequium præſtari: id enim fieri, & Crucis, & mortis, ac ſepulturę tempus iamiam inſtans, appetebat. ſ. vt adhuc mortali, & paulò poſt ab humanis receſſuro tale obſequiũ adhiberetur, quo eius maieſtas illuſtraretur, & ſepultura pſignaretur, & ſuauiſſimę glorioſę reſur

rectionis odor quodãmodò pſentiretur, cura pauperũ illud opportunius tẽpus omiſſa. Tertiũ dictum. Si eccleſiæ ſanctæ miniſtri tanta rerum indigentia laborent, quanta plebei pauperes, illis potius quàm iſtis tribuẽdum eſt: ſiquidem ſunt dignitate præſtantiores, & preter communem vtrorũq; indigentiã, accedit eccleſiæ miniſtris ius illud, quod Dominus expreſſit, dicẽs: Dignus eſt operarius cibo ſuo. Quodq; Paulus in poſterioris Epiſtolæ ad Corinthios. 6. cap. pluribus expoſuit: vt ſuperius retulimus. Quartum dictum. Si pauperes ad extremam neceſſitatem prolapſi ſint, eis potius quàm eccleſiæ tribuendum eſt: ſiquidẽ eis non poteſt tunc temporis aliter ſubueniri: & niſi confeſtim ipſis ſubueniatur, certum eſt eoſdem illicò perituros. Præterea ſi licitè poteſt quiſq; vel de alieno quòd apud ſe habet, vel aliunde occultè capto, extremæ indigentiæ ſuccurrere: multò magis tenetur quod eſt ſui iuris, egentibus, quàm eccleſiæ erogare. Et in tantùm eſt hoc verum, vt alienum illud, quod in iſtiuſmodi neceſſitatis articulo erogauit, non debeat primario Domino reſtituere: extrema enim indigentia fecit illud ſuũ ipſius indigentis. Quin & ipſa eccleſia non modò debet ex ſuperfluo pauperes alere, ſed etiam ſi neceſſitas exigat, ſacra vaſa diſtrahere tenetur: puta vt eorum pretio captiui ab hoſtibus fidei detenti redimãtur: vt docet Ambroſius in primo de Officiis libro. id quod & habetur. 11. q. 2. cap. Aurum, inquit, habet eccleſia, non vt ſeruet, ſed vt erogет, & ſubueniat in neceſſitatibus.

Quintum dictum. Quanuis pauperum egeſtas haud ſit extrema, ſed ei propinqua: vel magna, vel ferè magna: in diſtribuendis muneribus pauperes & eccleſiæ & ſacerdotibus ſunt præferendi. Etenim materialis eccleſia templum eſt lapideum ac inanime: fidelium autem cœtus, templum eſt Dei viuum & ſpirituale. Vnde Apoſtolus ad Corinthios, Templum Dei ſanctum eſtis vos. Et iterum, Corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, quem habetis in vobis. ac perinde hæc illi eſt anteponenda: quemadmodũ finis, his quæ ſunt ad finem, præfertur. Id quod Magiſter cœleſtis apertè docuit, quando Phariſæis accuſantibus eum quòd permitteret diſcipulos ſuos eſurientes ſpicas in Sabbatho vellere, manibus confricare, teneraq; grana comedere: reſpõdit, Dico autẽ vobis, quòd templo maius eſt hic. Si autem ſciretis, quid eſt, Miſericordiam volo & non ſacrificiũ neq; condẽnaſſetis innocẽtes. Dñs enim eſt filius hominis, etiam Sabbathi. Sextũ dictum. Si parentes alicuius extrema laborent egeſtate, filius tenetur potius eis ſuccurrere, quàm Deo vel homini dare: quinetiam ſublata de medio vltima neceſſitate, ſi patres alicuius his careant, quibus eis eſt opus ad commodiũ victum, congruentemq; ſibi ſtatum, filius debet eis potius tribuere, quàm Deo, qui talibus non indiget: & potius quàm aliis hominibus. Quia filius honorandis parentibus eſt obnoxius, naturali debito, diuina lege confirmato. Et in Euangelio etiam renouato, necnon communi charitatis atque gratitudinis iure

eſt eis obligatus, à quibus ſubſtantiam,
educationem, atq; doctrinã accepit. De-
niq; quia hoc in caſu offerre Deo eſt o-
mninò voluntariũ: ſuppeditare autẽ pa
rẽtibus victũ atq; cultũ eſt natura debi-
tũ atq; vrgentius. Meritò Dñs redar-
guit Phariſæos, perperàm tradentes,
melius eſſe aliquid offerre Deo, quàm
illud egenis parentibus ſubminiſtrare.
Dixit enim eis, referente Matthæo E-
Matt. 15. uangeliſta: Quare & vos tranſgredi-
mini mandatum Dei, propter traditio-
nem veſtram? Nã deus præcepit, Ho-
nora patrem & matrem. Vos autem di-
citis, quiſquis dixerit patri vel matri,
Munus quodcunq; ex me eſt, tibi pro-
derit: & non honorabit patrem ſuum
vel matrem ſuam. Etenim, vt ait Euthy-
mius, ſeniores Iudæorum docuerant iu-
Euthy. uenes, vt prætextu diuini cultus paren-
tes contemnerent. Si quis enim parentũ
peteret à filio ouem, aut vitulum, aut a-
liud quippiam, præcipiebant illis, vt di-
cerent: Munus eſt deo, quodcũq; ex me,
in tuum vertetur commodũ: hoc eſt, deo
conſecratum eſt, quodcunq; à me lucrifa-
cis. & ita docebãt eos deſpicere paren-
tes, ac legẽ tranſgredi. Ignominia ſiqui-
dem eſt, legiſq; tranſgreſsio, filios reſi-
ſtere parentibus. Septimũ dictum. Si
pauperes paucis egeant, præſertim his,
quæ facilè parantur, melius eſt eccleſiæ,
ſi eo indigeat, quàm pauperibus illud
dare: quia diuina humanis, vbi nihil eſt
quod obſtet, ſunt anteferẽda. nullus enĩ
eſt, qui dubitet, piũ eſſe donaria deo of-
ferri, vt collapſa deo dicata domus re-
ſtituatur, diruta reſarciãtur, & neceſſa-
ria cõgruaq; diuino cultui ornamẽta cõ-
parẽtur, ac reficiãtur. Nõne deus ipſe
talia munera tanquã ſibi debita exigit?
exigit vtiq; ſicut conſtat, per ea teſtimo-
nia, quæ ex Malachia propheta in ſu-
perioribus attulimus. quin & per Ag-
gæum prophetam, ceſſatoribus peſtem,
ſterilitatem, aliaq́; incommoda commi-
natur dicens, Quia domus mea deſerta
eſt & vos feſtinaſtis vnuſquiſq; in do-
mum ſuam, propter hoc prohibiti ſunt
ſuper vos cœli, nè darent rorem. Et ter-
ra prohibita eſt, nè daret germẽ ſuum:
& vocaui ſiccitatem ſuper montes &
ſuper triticum & ſuper vinum & ſu-
per oleum, quæcunq; profert humus: &
ſuper homines & ſuper iumenta & ſu-
per omnem laborem hominum. Octauũ
dictũ. Si quis reprobet oblationes, quę
in eccleſia Chriſti inter ſacra fieri ſo-
lẽt, cũ Luthero eſt cẽſendus hęreticus.
Sic enim habet quoddam Gãgrenſis cõ-
cilii decretum, Si quis oblationes, quę in
eccleſia dei fiunt, ſpernẽdas eſſe credide-
rit, memoriaſq; ſanctorum contemnen-
das, anathêma ſit. Nonũ dictũ. Si quis
communem vulgi egeſtatem hinc conſi-
deret, illinc vero tum eccleſiæ, tum eccle-
ſiaſticorum vel ſuperfluas vel abundã-
tes diuitias expendat, cognoſcet plerũ-
que, commodius eſſe hominibus, quàm
deo: id eſt pauperibus & egenis, quàm
eccleſię miniſtriſq; eius aliquid donari.
Quod intelligi volo, inuiolatis antiquis
eccleſiarum ſacerdotũq; iuribus, proba-
tiſq; offerẽdi conſuetudinibus. his enim
ſeruatis facilè amplectendũ eſt id quod
Iacobus ĩ ſua epiſtola catholica inquit,
Religio munda & immaculata apud
deum & patrem hæc eſt, viſitare pupil-

 los

los & viduas in tribulatione eorum.
Confirmatur hoc. Quoniam tam eccle
ſia, quàm miniſtri eccleſiaſtici, quod ſu-
pereſt eis ad vſus proprios, pauperibus
diſtribuère tenentur. Tum quia dona of
feruntur à diuitibus non modò in vſus
eccleſiæ, & miniſtrorum, ſed etiam pau
perum. Tum quia nihil ſuperfluum debet
retineri, quorum vſus ſit alijs vel neceſ
ſarius vel commodus. Poſtremò diligē
ter animaduerſis iis, quæ in hoc capite
digeſſimus, poteris ô ſtudioſe Lector, ſa
nè accipere ea quæ contra obmurmura
tionem diſcipulorum ſuper vnguēti pre
tioſi effuſione dominiq; excuſatione
Theoph. Theophylact⁹ ſcripſit, dicens: Quādo
quis offert Deo donum, nè auerſeris il-
lum, neq; confringas alacritatem eius,
abducens illum, vt det pauperibus: ſed
ſine implere oblationem. Quòd ſi quis
conſilio tuo indiguerit, vtrùm oporteat
facere, an pauperibus dare, an offerre
Deo: conſule illi, vt det pauperibus: at
quùm offert, indignum eſt auerſari illū.
Decet enim, honorem quem Deo debe-
mus, præferamus ſimpliciter omnibus:
etiā miſericordiæ. Noli enim, quia pro
pter miſericordiam Chriſtus ſuſcipit
in ſe miſericordiam, quaſi ſibi facta eſ-
ſet, exiſtimare quòd oporteat contemne
re deum, & eleemoſynā tantùm curare:
quia ſic ſacrilegiū liceret, & de ſacrile
gijs eſſet eleemoſyna dāda: verū nō ſic ſe
habet: qa nō eſt idē miſereri pauperū, &
colere ac honorare ipſummet chriſtum.
Audi: Pauperes enim, inquit, ſēper ha
bebitis vobiſcū: me autē nō ſemper. Vi
des igitur, quomodò aliud ſit miſereri
pauperibus: tametſi Chriſtus ſuſcipiat
perinde ac ſi in ſe collocaretur, quod
pauperibus impenditur: & aliud ſit cu
ram impendere Chriſto. Hæc ille.

Tractatus, Vtrum pro agēda re diuina ſit fas ſacerdoti præmium exigere temporale.

Articulus primus.

FVit nobis olim propo
ſita quæſtio, licerétne
pro re diuina agenda
aliquod corporale bo
num petere? Et quan
uis hęc quęſtio latiſſi
mos ſinus habeat, eam tamen reduximus
ad eam pręcipuè difficultatem diſcutiē
dam, quam in acceptanda Miſſę celebra
tione pius ſacerdos ſentire poſſit. Id
quod eo libentiùs aggreſſi ſumus quo ma
gis opùs eſt, ea in re ſacerdotem rectam
mētem habere, quietamq; conſcientiam,
nec non integram famam, prorſuſq; alie
nam ab omni tum auaritię tum ſimonię
labe. Quare ſeruantes propoſitæ quæ-
ſtionis modum, illud in primis pro ea ex
plicanda eſt adnotandum, Simoniam eſ
ſe ſtudioſam voluntatem emendi, vel vē
dendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali
annexum. Quòd ſi hæc ambitioſa cupi-
ditas mente tantùm retineatur: ab ſcho
laſticis diſputatoribus Simonia Mētā
lis appellatur. Si verò eam exterius vel
pactum vel opus ſubſequatur, Realis
nuncupatur. Eſt & aliud prænotan-
dum: Quadrupliciter aliquid dici ſpiri-
tuale. Primò eſſentialiter: qualia ſunt di

uina

*uina natura,gratia eius, fides,ſpes,cha
ritas, eptémq; ſpũs ſancti dona, aliæq;
virtutes:quorum omnium eſſentia, aut
eſt ſpiritus, aut eſt ſpiritualis. Deniq;
oẽs perfectiones, quibus homines effici
mur conſortes diuinȩ naturæ,ſunt ſpiri
tuales. Secundo modo dicitur aliquid
ſpirituale cauſaliter, ꝙ ad id quod ſit
ſpũale quadantenus producendum, ſit
cauſa. Sunt & talia ſeptem illa ſacra-
menta,quibus Chriſto credentes ſancti
ficãtur. Eis enim veluti quibuſdam di-
uinis inſtrumentis, piis mentibus ſpiri-
tualis gratia, & quæ eam comitan-
tur virtutes,diuinitùs infundũtur. Ter
tio modo vocatur aliquid ſpirituale ef-
ficienter:quales ſunt actiones ab ſpiri-
tuali gratia,honore,officio, vel quocũ
que ſpirituali munere procedentes:velu
ti,baptizare,confirmare,pœnitẽtes ab-
ſoluere,Euchariſtiam conficere,eam fi-
delibus communicare:& cætera id ge-
nus. Quarto demum modo aliquid dici
poteſt ſpirituale,vel antecedenter, vel
conſequenter. Antecedenter quidem,
id quod ſit ad ſpirituale ordinatum:qua
le eſt ius patronatus, cunctáq; vaſa ſa-
cra ad cultum diuinum peragendum or
dinata. Conſequenter autem, quod de
ſpirituali munere exoritur: quale fue-
rit proculdubio ius recipiendi decimas,
primitias,cæteráſq; oblationes:quas ſa
crorum miniſtris populus reddere tene
tur. Deniq; ſecundùm hos quatuor ſpi
ritualitatis modos,prædicta quæſtio di
ſcuti poteſt: vt iuxta primũ ſenſum quȩ
ratur, liceátne ſacerdoti petere tempo-
rale præmium pro eo,quod eſt ſpiritua
le,per eſſentiam: qualis eſt gratia tam
creata,quàm increata:quȩ Euchariſtiã
dignè ſumenti donatur. Et huic quȩſi-
to reſpondetur,nullo pacto id fieri poſ
ſe,abſq; ſimoniæ labe. Quoniam res per
eſſentiam ſuam ſpiritualis, nullo corpo
rali pretio compenſari valet: Vnde Sa* Prouer.3.
*piens in Prouerbiis, Pretioſior eſt cun-
ctis opibus ſapientia: & omnia quæ de
ſiderantur,non valent huic comparari.
Quòd ſi de ſapientia creata hoc eſt ve
rum,multò magis diuina: eſt ſic & inæ
ſtimabilis gratia ſpiritus ſancti. Vnde
beatus Petrus Simoniacam prauitatẽ
in ipſa ſui radice deteſtans, & cum ea
autorem eius Simonem illum Magum
condemnans, imprecatus eſt ei dicens:
Pecunia tua tecum ſit in perditionem;
quoniam donum Dei exiſtimaſti pecu-
nia poſsideri. Ex quo ſequitur, neq; ho-
minem neq; deum poſſe vel gratiam, vel
virtutem moralem, ſiue ſpiritualem cor
porali pretio propriè vendere: ſicut nõ
poteſt facere quòd homo ſit aſinus,con
ſtante vtriuſq; natura. Et re vera ſicut
eſt impoſsibile, totam aſininam naturã
humanæ naturȩ dignitatem adȩquare:
ita vniuerſa corporalia bona, minimum
alicuius boni per eſſentiam ſuam ſpiri-
tualis valorẽ exȩquare nequeũt. Ac pe
rinde de iure ſtricto inter bona corpo-
ralia & huiuſmodi ſpiritualia, nulla
valet eſſe iuſta commutatio: vt iam re-
ctè dixiſſe videatur Guillermus Altiſ* Altiſsio.
*ſiodorẽſis: Deus virtutem dare poteſt:
vendere non poteſt. Quòd ſi quis nobis
occurrat, & dicat hac ratiõe quoq; col
ligi, vȩnalẽ ſeruũ,nulla pecũia, nulloq;
equorũ, vel boum, vel lapidum pretio
ſorum pretio iuſtè cõparari poſſe: quo-
niam*

niam hæc omnia longè infra hominis excellentiam, ſpiritusq; dignitatem ſubſideant: quod admittere abſurdũ fuerit, cùm vulgò ſerui hiſce rebus iuſtè comparentur: is audiat Auguſtinum in libro vndecimo de ciuitate Dei, capite decimo ſexto ea de re ita differentẽ: Alius modus eſt æſtimationis rei, ſecũdum rationem naturę ſuę, ſecundùm quam viuẽtia prępomuntur non viuentibus, & ſenſitiua non ſencientibus, & rationalia irrationalibus. Alius verò eſt æſtimatiõis modus, ꝓ ſuo cuiuſq; rei vſu, ſecũdùm quem quædam non viuentia viuentibus prępomuutur: ſic panis præponitur muri, & nummi pulicibus. Quando igitur vel duobus equis vel decem milibus dipondiorum homo vænundatur, non vtique fit comparatio inter ea ſecũdùm eorundem naturarũ dignitatem, ſed ſecũdùm vtilitatis vſus æſtimationem. Vnde iuſtè fit, vt plerunq; carius comparetur equus, quàm ſeruus: & gemma quàm famula. Quòd ſi rurſus huic reſponſioni occurras, eâdem ratione ſequi, vt fas ſit ſpiritualia corporalibus commutari, non quidem ſecundum naturarũ earum dignitatem, ſed ſecundum vſus earum æſtimationem: attende non eſſe ſimile, quod induxiſti. quoniam ſerui vſus eſt corporalis, ideoq; re temporali comparari valet. At verò rei eſſentialiter ſpiritualis, maximè diuinę gratię vſus eſt omnino ſpiritualis: ac perinde ſicut res ipſa ſpiritualis per eſſentiam: ita & vſus eius nullo corporalium rerum pretio taxari valet.

Auguſt.

Secundus Articulus.

QVòd ſi quæratur iuxta ſecũdũ propoſitæ quæſtionis ſenſum, Vtrùm ſacramentum ſpiritualis boni cauſatiuũ, re temporali commutari, vendiq; valeat? Reſpondetur, poſſe id quidem fieri, non autem iure fieri. Etenim de facto vendi poteſt quod poteſt actu transferri ab vno in alterũ, ſi quidem illud eſt appretiabile: tale autem eſt ſacramentum: ſiquidem ſacramentum datur per manum ſacerdotis, quantumuis impuri, prauiq;. Alioqui fluctuaret eccleſia, nihilq; certi haberet in adminiſtrandis ſacramentis: cũ nemo ſciat, an ſit dignus odio vel amore. Non autem ſic latet eccleſiam miniſtri intentio, qui eam manifeſtis ſignis notificare valet, de cuius probitate ac fide minimè ambigitur. Deniq; ipſi miniſtro nota eſt ſua ipſius intẽtio ac ſubinde certus eſt ei ſacramenti effectus, in his qui obicem contrariæ voluntatis nec ſacramento, nec eius effectui ponere poſſunt: quales ſunt infantes baptizandi. Sed hec aliâs exactiùs diſcutienda relinquimus: dummodò ex dictis conſtet ſacramentum de facto diſtrahi poſſe. Quòd autem nullo iure, neq; diuino neq; humano illud vendi valeat, ſic probatur: Nihil poteſt ab aliquo iuſtè vendi, niſi venditor vtcunq; ſit eius dominus. Sacerdos autem non eſt ſacramentorum dominus, ſed duntaxat diſpenſator: ſecundũ illud Pauli Apoſtoli in quarto prioris ad Corinthios epiſtolæ capite: Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Non ergo illa iuſtè vendere poteſt. Accedit ad hoc expreſſum

domini

*Domini,id fieri prohibentis,mãdatum.
Sic enim apud Matthæum imperat,
Gratis accepiſtis gratis date. Hic autẽ
occurrũt nobis difficultates,neq; paucę
neq; leues ſuper his quę ſunt modò defini
ta:idq; in primis ex euãgelica parabola,
in qua proponitur ptioſa illa margari
ta,diſtractis oĩbus tp̃aris rebus emen
da. Super quo diuus Gregorius ita pro*
Gregor. *nuntiat: Regnum cœlorum quantum ha
bes, tantum valet. Hinc ſic arguitur.
Licet emere regnũ cœlorum: eſt igitur
licitè vendibile. Quòd ſi illud eſt licitè
vendibile, eſt & ſacramentum. Pla
cet hunc modũ paucis propoſitionibus
reſoluere. Quarum prima ſit. Cœlorũ
regnum haud dicitur propriè vendibile
pro re aliqua temporali:quia in eiuſmo
di commutatione non eſt reperire ſecun
dùm rationem dati & accepti æquabi*
Rom.8. *litatem:dicente Apoſtolo, Non ſunt
condignę paſſiones huius temporis ad
futurã gloriam, quæ reuelabitur in no
bis. Quòd ſi paſſionibus gratia vacuis
p deo toleratis, margaritũ illud beatifi
cum non eſt iuſtè comparabile, multò mi
nùs reliquis humanis operationibus cha
ritate Dei deſertis comparandum eſt.
Adſit & ſecunda propoſitio. Regnũ
cœlorum non ineptè dicitur emi, exten
ſo pretii vocabulo ad meritum. Meri
tis enim ſanctorum comparatur regnũ
cœlorum. Verùm huiuſmodi negotiatio
ad perfectam emptionis rationem mi
nùs attingit:quoniam meritum non con
ſtat primariè vel dono, vel actu, vel paſ
ſione exterioribus:ſed ĩteriori pióq; af
fectu, ſecundum quem quiſpiam interio
ribus actionibus ęternam vitam prome
retur. Etenim ita piè atq; ſanctè operã
ti redditur ſumma illa gloria, tanquam
æquale meritis ipſius pręmium, ſecundũ
exactam ſtrictæ iuſtitiæ commutatiuæ
rationem, ſi actum ad actum, id eſt, meri
tum ad præmium conferas: ſecundùm
illud Pauli; Repoſita eſt mihi corona
iuſtitiæ. Si verò merentem hominẽ deo
remuneratori conferas, haud reperias
deum ſtricto iure ex æquo homini ad a
liquid ei reddendũ obligari. Cui ſemper
autore Apoſtolo, Deus ipſe reſponde
re poteſt, Quid habes quod non accepi
ſti? ſi autẽ accepiſti, quid gloriaris qua
ſi non acceperis? Hac etenim ratione
quilibet iuſtus & agnoſcit & confite
tur in ſe diuinam beneficentiam, quòd
per Dei bonitatem gratis accepit: vn
de mereretur, & pro meritis pręmium:
& cum magno illo Baptiſta in laudem
Chriſti loquitur, Et de plenitudine
eius oẽs accepimus, gratiã pro gratia.
Iam forſitan hinc quiſquam inſurgat
& ita colligat: Si licet actibus interio
ribus Deo gratis vitam ęternam ab eo
promereri: ergo & exterioribus: ſiqui
dẽ exterior actus particeps eſt perfe
ctionis, quã habet interior, quo fieri im
peratur. Quòd ſi exteriori actu, vel do
no, vel poſſeſſione licet emere regnum
cœlorum, licebit & eiſdem ſacramentũ
diſtrahi. Sed profectò quiſquis ille ad
uerſarius eſt, nõ bene colligit: quia licèt
ſit fas hiſce rebus exterioribus per cha
ritatem Deo oblatis, & gratiæ au
gmentum & vitam æternam ab illo e
mere: non tamen bona ſpiritualia quæ
dat ſacerdos, ab eo licitè externis rebus
parari queunt. Quoniam gratiarũ au
gmen-*

gmenta & vita æterna ſub meritum veniunt: Gratia autem prima, quæ per ſacramenta, præcipuè per baptiſmum datur, non cadit ſub merito. Alioqui non eſſet gratia, dicente apoſtolo: Si autem gratia, iam nō ex operibus. alioqui gratia iā non eſt gratia. Demq; regnum cœlorum, quod venale nobis à Deo proponitur, Dei moneta emendum eſt: id eſt actione recta, Dei charitate formata. Prima autem ſacramentalis gratia, emi nequit, ab eo qui Dei monetam nō habet, ſed diaboli, id eſt peccati nummū. Quid ſi habeat ille gratia Dei vacuus probos alioqui mores? neq; eis ſtricto iure gratiam primam emere valet: quia eiuſmodi mores ſunt res quędā temporales, & ab humana ratione profectę, ac perinde non altiùs aſſurgunt, vt gratiā ſpiritualem, quæ ſuper tempus & hominis naturam fertur, de cōdigno attingāt. Sed & adhuc aduerſus hanc ſolutionem infeſtus oppugnator ſic argumētabitur. Habēti primam gratiam per baptiſmum, licet temporalium rerum donatione de charitate profecta abundantiorem gratiam, maiorēq; Spiritus ſanti copiam expetere atq; emere. Siquidē huiuſmodi donatio Deo eſt accepta: vtpote eius moneta, hoc eſt gratia ſignata. Multò igitur potiùs ei licebit, quod vis aliud ſacramentū vel à ſacrdote vel epiſcopo poſtulare, atq; cōparare. Sed profectò id non ſequitur: quia alterum alteri eſt diſſimile. Etenim dare temporalia Deo, vt ſpiritus ſanctus aut primò, aut abundantiùs habeatur, non eſt aliud, quàm deum ipſum ad beneuolentiam prouocare: vt quemadmodùm homo aut ſacerdoti offert, aut pauperibus propter deum temporalia donat: ita Deus velit ei ſpiritualia largiri. Sed dare temporalia ſacramentorum miniſtris pro eis acquirendis ſecundum ſe ſumptum, non eſt prouocare deum, neq; ipſum ad amicitiā inuitare, vt det nobis, vel in nobis ſpiritū ſuum augeat: cùm eiuſmodi commutatio ſit illo Dei præcepto vetita, Gratis accepiſtis, gratis date.

Articulus tertius.

SEd adhuc remanet ſcrupulus quidā, qui lectorem ſolicitet. Erat enim olim præceptum veteri populo à domino datū, Non apparebis vacuus in conſpectu meo: quo ille populus obſtringebatur certis quibuſdam diebus munera in domum Dei inferre, ad idq; naturali iure conſpirante. Vnde chriſtiani tenentur diebus dominicis & in alijs præcipuis feſtis ſacerdotibus aliquid offerre: id quod in tractatu de Primitijs & Oblationibus monſtrauimus. Quo recepto arguitur ſic: Laici tenentur temporalia pro ſpiritualibus ſacerdotibus ſuppeditare: licet ergo clericis pro temporalibus ſpiritualia laicis ſubminiſtrare. Hic ſcrupulus videtur de medio tollendus, explicata amphibologia, quam particula, Pro, tam in clauſula antecedente, quàm in conſequenti inducit. Nam ſi in illo antecedente, laici tenentur corporalia pro ſpiritualibus ſacerdotibus ſuppeditare: illa prępoſitio

tio,pro, cauſam denotet efficientem, ve
rum eſt, laicos debere corporalia pro
ſpiritualibus ſacerdotibus dare: qa ſpi
ritualia ſunt cauſa efficiens, id eſt moti
ua, ob quam laici tenentur clericis tem-
poralia offerre talia ac tanta quę ſuffi
ciant ſuo ipſorum ſtatui fulciendo: hoc
autem non eſt ſpiritualia emere, ſed fo-
uere. Si verò eadem prępoſitio, pro, de-
terminet illud verbũ, ſuppeditare, pre-
tium denotando: ſic eadem propoſitio
falſa eſt: quia vt ſuperiùs oſtendimus,
temporalia ſpiritualibus coæquari ne-
queunt. Si autem eadem dictiuncula fi-
nalem cauſam adſignificet, ita diſtingue
re opùs eſt: quoniam aut illa denotat
immediatum dandi temporalia finem:
& ſic accipitur illa particula propriè,
& prædicta propoſitio non eſt ſimpli
citer concedenda: quia ſecundùm talem
ſignificantiam non eſt proportio medii
ad finem: quia temporalis boni ad ſpirt-
tuale, nulla eſt proportio: ſiquidem in
ter ſe genere diſtãt. Aut illud, pro, cõ-
ſignificat mediatũ finem & ſubſequen-
tem, etiam vera eſt illa propoſitio: quia
tunc immediatus dationis temporalium
finis, vel eſt oblationis bonitas, vel De-
um offenſum placare, vel obligare ſacer
dotem ad aliquid repetendum. Finis au
tem medius ac proximè conſequens eſt
ea quæ licitè expetitur, ſacerdotis ora
tio. Finis verò vltimus & quaſi è late-
re conſurgens, eſt culpę ac pœnæ dimiſ
ſio, vel diuinę gratię adeptio. Sic enim
piè ac probè temporalia ſpiritualibus,
tanquàm perfectioribus bonis ſubordi-
nantur. Nam vt rectè ait Ariſtote-
les, Deterius eſt melioris gratia. Iam ve
rò quemadmodũ propoſitæ argumenta
tionis antecedẽs diſtinximus, ita & nũc
oportet eius cõſequẽs diſtinguere. Erat
autẽ hoc: Clerici tenẽtur dare ſpiritua
lia pro tẽporalibus. Nam ſi illa præpo
ſitio, pro, determinet illud verbũ, tenen
tur: verũ eſt quod dicitur. Sic enĩ illud
pro, deſignat cauſam motiuã: non quidẽ
principalẽ, ſed minùs principalẽ & inci
tatiuã. Etenĩ facilè ſacerdotes mouẽtur
ad impartienda laicis ſpũalia, à quibus
tpalia receperũt. Spũalia inquã, nõ qui
dem per eſſentiã: gratiã enim & gloriã
dabit Dñs: ſed ſacramẽta gratiæ, quo-
rum ſunt adminiſtri. Si verò illud, pro,
denotet pretiũ aut finẽ, ſiue mediatũ, ſi-
ue immediatum, falſum eſt illud conſe-
quens. Quia tẽporalia neutiquàm ſunt
finis, ſiue mediatus, ſiue immediatus ſpi
ritualiũ per ſe & abſolutè conſiderato
rum. Non enim ſuperiora ſunt gratia
inferiorũ. Si autẽ illa præpoſitio, pro,
dicat finem ſubſecundarium & admini-
culatiuum ſacerdotis intendentis habe-
re temporalia, quibus ſuſtentatus ſpi-
ritualib⁹ vacare valeat: fas eſt vtiq; ſa
cerdotibus, laicis miniſteria ſpiritualia
præſtare pro temporalibus. Siquidem
ſpiritualia miniſteria ſine temporalibus
fulcimentis diu præſtare non poſſunt.
Hæc deniq; ſic ſunt accipiẽda, vt finis
ſacerdotis in myſticis functionibus præ
cipuus, ſit Dei honor, animarúmq; ſa-
lus. Subſecundarius verò & adminicu
latorius, modeſta quædam rerum tẽpo-
ralium acquiſitio ad ſupplendam rerum
indigentiam, non modò naturaliũ, ſed e-
tiam eorum, quæ ſunt neceſſaria ad de-
centẽ eccleſiaſtici ſtatus authoritatem:

quin & ad ſubuentionem pauperum, aliarúmq́; perſonarum, quibus ipſe ſacerdos iure naturali atq; diuino prouidere tenetur. Ex prædictis exploratum eſt, modeſtam in ſacerdotibus voluntatem acquirendi cōmoda temporalia ad prędictum vſum, poſſe cauſam eſſe, non modò ſine qua ſpiritualiter non miniſtraretur: ſed etiam incitatiuam, per quam ſacerdos inducatur ad præſtandum officium quādo aliunde non teneretur: aut quum nō poteſt omnibus horis ſacris intereſſe, eligat eas, quibus maiores fructus, copioſiórq; merces ſunt aſſignata ſibi vtilia & ad pios vſus neceſſaria. Cuncta denique ſupradicta ſancti Thomæ Aquinatis authoritate confirmantur. Cuius verba ſunt hæc, quæ ille poſuit in articulo ſecundo ad quæſtionem centeſimam ſecundæ partis ſecundi libri. Ait itáque, Accipere pecuniam pro ſpirituali ſacramentorum gratia, eſt ſimonia: quod nulla conſuetudine poteſt excuſari: quia conſuetudo non præiudicat iuri naturali. Accipere autem aliqua ad ſuſtentationem eorum qui ſacramenta miniſtrant, ſecundùm ordinem eccleſiæ & conſuetudines approbatas, non eſt ſimonia nec peccatum. Non autem id ſumitur, tanquàm præmium mercedis, ſed tanquàm ſtipendium neceſſitatis. Vnde ſuper illud Apoſtoli, prioris ad Timotheum epiſtolæ, Qui benè præſunt preſbyteri, duplici honore digni ſunt: Auguſtinus Auguſti. *ità pronūtiat: Accipiant ſuſtentationem neceſſitatis à populo, mercedem diſpenſationis à Domino.*

Quartus Articulus.

CÆterū vt adducta Auguſtini ſentētia fiat notior, operæpretiū fuerit, diſcutere tertium propoſitæ ab initio quæſtionis ſenſum. Is erat, vtrū ſacerdoti liceat petere aliqd ex pacto ſtipendio ſuſtētationis. Pro quo explicando illud in primis cōſtet, ſtipendium ſuſtentationis nequaquā mercedis rationē habere: ſed ſubuentionis neceſſariæ vel cōmodę eccleſiaſticis miniſtris. Ac perinde qui dat illis aliquid tēporale, puta pecuniā, aut triticū, aut veſtem, aut cætera id genus, pro eorum ſuſtentatione, minimè dat ea in pretium operarum laboriſue eorum: ſed in victum atq; veſtitum, vt habentes alimentum & quibus tegantur, diuinis myſteriis gratis vacare queant. Eſt & ſecundò animaduertendum, ſuſtentationis ſtipendiū bifariā poſſe viro eccleſiaſtico obuenire. Primò gratuita populi oblatione, vel prælati authoritate. Secūdò ex pacto & cōuentione, inter ſacerdotē & populū initā. Iam ſit prima propoſitio. Si ſtipendiū cotidianæ ſuſtentationis, vel gratuitò, vel ſuperioris authoritate alicui clerico impendatur, non exigit neceſſitatem in eo pro cuius ſuſtentatione donatur. Id quod ex eo compertū haberi poteſt quòd epiſcopo quāuis diuiti, viſitāti tamen parochias, à parochis ſecundum iura debetur ea, quæ vulgò procuratio dicitur. Conſtat & idem, eò quòd fas eſt ſacerdotibus haud indigentibus accipere nonnulla vtilia, quaſi quædam ſtipendia: idq́; per conſuetudinē approbatam:

batam: quæ aut malã radicem aut violentam exactionem non habuerit. Id quod præcipuè verum eſt quando illud laicus, aut gratis offert, aut ſponte ſoluit: imò & ſtante tali conſuetudine, populo conſentiẽte præſcripta, poſſent talia à nolentibus reddere, iuſtè exigi, gratia ſeruandæ bonæ conſuetudinis, & fidelis pietatis, & honoris diuini, & eccleſiaſticæ dignitatis. Ac perinde non tantùm in priuatum ſuum ipſorum clericorum vſum, quantum in diuini cultus fauorem. At verò dictæ conſuetudinis prætextu non poteſt aliquid à ſacerdote exigi per ſacramentorum ſubtractionem, nec ſua ipſius autoritate à laicis auferri. Sed vt inquit ſanctus Thomas in articulo tertio quæſtionis centeſimæ ad ſecundam ſecundi: ſpiritualibus priùs exhibitis, licitè poſſunt ſtatutæ & conſuetæ oblationes, & quicunque alii prouentus, à nolentibus, attamen ſoluere potentibus, à ſacerdotibus exigi: ſuperioris nempe prælati authoritate intercedente, dummodò puſillorum offendiculum caueatur, & in exigendi ea intentione, non mentiatur iniquitas ſibi. Adimpleatúrque illud, Ab omni ſpecie malæ abſtinete vos. Secunda propoſitio. Stipendium cotidianæ ſuſtẽtationis licitè conſtituitur ex pacto reddẽdum ſacerdoti, eo indigenti. Etenim quoniam ſi tale ſtipendium ſic eſt neceſſarium, vt ſine eo miniſter ſalua ſuæ perſonæ conſiſtentia, ſtatuſq́; ſui honeſtate, diuina exercere nequeat officia: liquet eiuſmodi ſtipendiũ non minùs in pactum iuſtè reuocari, quã reliqua ad diuinum miniſteriũ exequendum neceſſaria, & cõmoda, atq́; decentia. Nam ſicut ſacerdos ad alicuius inſtantiam Euchariſtiã celebraturus, iure ſuo poteſt, ſub pacto à procurãte Miſſam agi, exigere vt ei ſuppeditet locum ſacrum, calicemq́;, ſanctasq́; veſtes, atq́; vinum & panẽ, ſine quibus ſacramentũ ritè recteq́; confici nequit: ità poteſt iuſtè paciſci ſuã ipſius ſuſtentationẽ, ſine qua nequit ſacris deſeruire myſteriis. Confirmatur & hoc eccleſiaſtica conſuetudine ſcita & tolerata, à catholica eccleſia approbata: qua fit, vt ſacerdotes egeni per annũ altario miniſtraturi in aliqua baſylica de annua ſuſtentatiõe ei reddẽda abſq́; vllo cõſciẽtiç ſcrupulo paciſcãtur. Accedit & validiſſima Caietani acutiſſimi viri ratio. Ea eſt: Velle ſtipendiũ annuæ ſuſtẽtationis non eſt velle tẽporale pro ſpirituali. Ex pacto ergo eiuſmodi ſtipendiũ exigere, non eſt vendere ſpirituale pro temporali. Siquidem pactũ actionum materiam nõ mutat. Quare huiuſmodi pactio nec eſt ambitioſa, neq́; iniqua. Quòd ſi nobis obiicias haud pauca ſummi Pontificis iura prohibere, nè eccleſiaſtica miniſteria ſub pacto diſponãtur: hanc obiectionem quibuſdã dictis repellere tentabimus, quorum ſit primũ: Pacta quibus eccleſiaſtica miniſteria ſimpliciter & abſolutè agẽda conſtituũtur, ſunt ſimoniaca iureq́; prohibita: vt ſi quis in hæc verba paciſcatur, Ego volo tantã pecuniam mihi reddendã, ſi pro te ſum celebraturus, aut pro quouis ſacerdotali miniſterio pro te exequendo. Secundũ dictũ. Pacta, quibus eccleſiaſtica miniſteria ſecundùm quid, & cum quadam

Thomas. Caietan.

limitatione agenda conſtituuntur, nec illicita ſunt, neque lege prohibita. Verbi gratia: Si quis ſacerdos ſic pangat, Si ego miniſtraturus tibi ſum in ſpiritualibus, volo tantum pecuniarum pro ſuſtentationis meæ congruo ſtipendio: quia minori ſubuentione, expetito miniſterio commodè incumbere minùs valebo. Deniq; pactiones ſic ab indigētibus miniſtris limitatę, neq; apud Deum, qui rectum cor videt, ſunt ſimoniacę: neque apud eccleſiam, cui miniſtri indigentia eſt nota, & pactio manifeſta: non quidem abſoluta, ſed conditionalis, conditione eam inculpabilē reddente. Ex quo videtur ſacerdotem victus atque veſtitus indigum, non modò per annum, ſed per menſem, imò & per diem, paciſci poſſe, priùs quàm rem diuinam agat. Poteſt enim liberè dicere eis qui eum ad Miſſam agendam pro ſe inuitant: Vobis indigentia mea facilè conſtiterit, ſi vultis me pro vobis hodie ſacrum facere, oportet vos ſuppeditare mihi ſufficiens hodiernæ ſuſtentationi ſtipendium. Alioqui alium expectabo, qui me ſufficienter alat. Nec enim video in hoc caſu vllam differentiam inter pactionem annuam, & menſtruam, & diurnam, niſi ſecundùm aut diuturnius aut breuius ſpatium temporis. Siquidem conuētionis huiuſmodi ratio nequâquā temporis diuerſitate mutatur. Cùm ſubuentionem iſtiuſmodi expetere, nec eſt per ſe malum, nec vllam mali ſpeciem includit. Tertium dictum. Sacerdoti habenti aliunde, quibus honeſtè vitam ducat, altarióque deſeruiat, non licet cum populo ſuper ſtipendio quotidianæ ſuſtentationis tanquā ſibi abſolutè neceſſario. ſed tanquàm ſimpliciter ei debito, pactum inire. Nam cùm eo abſolutè nō indigeat, nequit niſi mentiendo de eodē velut ſibi abſolutè neceſſario paciſci. Certum eſt enim eum mētiri qui prętendit abſolutè indigere ſe ſubuētione qua abſolutè non eget. Forſitan occurrat aliquis huic dicto illa Seruatoris nr̄i ſententia, Dignus eſt operarius cibo ſuo: accedēte & apoſtolo dicēte, Nemo militat ſuis ſtipēdiis. Ac perinde licere ſacerdoti diuiti pro miniſterio ſuo ſuſtētationis ſtipendiū paciſci. Sed ad hoc reſpondemus, tam Dn̄m q̄ apoſtolū eius in ſuis eloquiis pręcipuè prętēdere debere populum in primis egēti miniſtro neceſſaria tribuere: nè ipſe ab eo illa mēdicare cogatur, aut alio aliquo labore, ſiue arte, eadem minùs decēter acquirere. Nā quòd idem Apoſtolus ſuis manibus acquirebat quæ ſibi ſuiſq; comitibus erāt neceſſaria, ſupererogationis apoſtolicę fuit. Id enim ſapiētiſſimè faciebat, tum ad vitandum puſillorum ſcandalū: tum ad reprimendam Pſeudapoſtolorū auaritiam: tum ad habendum quod pauperibus diſtribueret. Deniq; nequâquam Apoſtolus citatis verbis prætendit, licêre ſacerdoti opulento pactionem facere de quotidianæ ſuſtentationis ſtipendio, tanquàm abſolutè ei neceſſario: ſiquidem mentiretur egeſtatē quam non patitur: mendacium autem iuſti contractus ſubiectū eſſe non valet. Nonne tēporalia ſpiritualibus ſubſeruire debēt? Debent vtiq;. Sed pro quotidianę ſubuentionis ſtipēdio tanq̄ abſolutè neceſſario, neutiquā diuitibus, ſed pauperibus

ſubueni-

ſubuenire ſac erdotibus laici debent.
Debitũ enim huiuſmodi non reſpicit ſa
cerdotẽ ſimpliciter, ſed indigentẽ ſacer-
dotẽ. Neq; hinc ſequitur quin ſacerdos
opulentum habens patrimonium poſſit
cum populo paciſci ſuper ſtipendio quo
tidianæ ſuſtentationis. Nam licèt non
paciſcatur pro eo tanquàm abſolutè, id
eſt omnimodo ſibi neceſſario, poteſt ta-
men de eodẽ pangere tanquã ſimpliciter
ſibi debito: & pro officio quod exercet
id ipſum laici tenentur ei reddere quo
alatur: cũ non teneatur iure ſtricto ale-
re ſe bonis ſuis, vel patrimonialibus, vel
aliunde acquiſitis. Hinc etiã conſtat, ſa
cerdotem diuitẽ cui pingue patrimoniũ
acceſſit poſteà quã curã agebat anima
rum poſſe licitè accipere à populo tẽpo
rales reditus, ſiue decimas & primitias
ſiue alias oblationes, quæ tum hac, tum
aliis de cauſis ei debẽtur: nẽpe vel ratio
ne laudabilis conſuetudinis, vel eccleſia-
ſtico iure, vel ſuperioris authoritate, at
q; legitimo ipſius beneficii titulo. Hęc
deniq; ſentẽtia ità tẽperata, quæ veluti
media incedit inter extremas illas, nõ vi
detur mihi dura: cũ per eam ferè cuncta
quę ad hanc rem pertinẽt peruia expedi
taq; pateant, ſacerdotibus tam diuiti-
bus quàm pauperibus. Quinetiam Ioan
nes Gerſoneus aliiq; tractatores cõtra
riam Caietani ſententiæ ſententiam fo
uẽtes, ſanctorũ authoritate cõpulſi, tan
dem ad hoc deuoluuntur vt ingenuè fa-
teantur, clericos quibus ſua patrimonia
ſufficiũt, haud debere eccleſiaſticos pro
uentus ſibi ſumere, vt eis diteſcant, aut
eis fundos multiplicẽt, aut cognatos ex
pauperibus diuites faciãt. Sed vt ea in
digentibus atq; pauperibus iuxta ſuam
cuiuſq; conditionẽ diſtribuãt. Eſto plus
aliquid, cæteris paribus cognatis, quàm
aliis dare poſſint. Suffragatur & no
bis, quod Ioannes Gerſoneus in tracta-
tu de ſolicitudine eccleſiaſtica, dicit: Cõ
tingit aliquãdo præter & vltra neceſ
ſitatem præſertim aliqua recipere quẽ-
piam non pro ſolo ſacerdotalis perſonę
ſtatu, ſed etiã ad aliorũ maximè, qui à
nobis pendent, commodã prouidentiam,
piamq; ſubuentionẽ. Et ſecundũ hoc a-
pertè ille in nr̃as partes cõceſſiſſet, ſi ani
maduertiſſet, ꝙ cùm ex regula diui Au
guſtini ſacerdos nõ omnibus indigenti-
bus, ſiue pauperibus: id enim impoſſibi
le fuerit: ſed illis tantũmodò ſuis donis
ſubuenire teneatur, qui aliqua propin-
quitate vel cognationis, vel loci, vel tẽ-
poris, vel accepti beneficii, vel exhibiti
officii, vel peculiaris curæ ei coniuncti
ſunt. Id q̃d ad eiuſdem ſtatus decentiã
procul dubio attinet. Recipere eñ ſa-
cerdotẽ tẽporalia ad ꝓprię perſonę ſta
tusq; ſuſtentationẽ, & recipere eadem
ad propinquorũ ſubleuationẽ, ad eandẽ
receptionis rationem pertinet: ſcilicet
ad proprii ſtatus ſacerdotalis ſuſtenta
tionis ſtipendium. Suſtentationis enim
nomine non ſolùm victus & veſtitus,
ſed etiam quicquid eſt ei opùs ad decen
tiam ſui ſtatus, & eorum quorum cura
ipſi incumbit, cõtinetur. Nec enim men
dicare ſacerdotẽ decet vt habeat vnde
ſubueniat cognatis ſuis: ſiue ſenibus, ſi
ue paruulis, ſiue alioqui indigẽtibus, aut
amicis pauperib⁹, aut famulis, vel paro
chis, quibus naturali iure, tũ charitatis
pietate, quantũ põt ſubuenire tenetur.

illuminandos, & purgandos, & perficiendos homines, quò tãdem filiorũ Dei adoptionẽ conſequãtur. Indicio eſt nulli licere prædicatorium munus obire, niſi ad id vtcunq; diuinitùs miſſus fuerit: ſecundum illud Pauli ad Romanos capite decimo, Quomodò prædicabunt, niſi mittantur? Eſt igitur prędicandi munus ab auctoritate ſpũali, actioq; eius eſt ſpiritualis, ac perinde pecunia in æſtimabilis. Adhæc ex diuina autoritate prædicat pdicans, & diuinæ legationis officio fungitur. Tenetur igitur contentus agere ſtipendiis ſuſtentationis à delegante eum ſibi taxatis: ac perinde non poteſt rurſus licitè locare ſemet populo, qui cum delegatore Deo ſemel pactus eſt. Quare Petri Paludani ſentẽtia infirmatur, eò quòd facultas theologiã docendi, licet ſit circa diuiniſſimã ſcientiã, principiũ tamen habet humanum: quia & ab homine datur, & ad humanum præſtandum auxilium eſt inuenta: poteſtatis autem prædicandi verbum Dei, principium eſt diuinum. Et ea ad ſpiritualem opem in perfectionibus diuinis mortalibus infundendis, prædicatoribus ab ipſo Deo impenditur. Deniq; in tantum harum poteſtatum altera præſtat alteri, vt teneat ſãctus Thomas, contingere Theologicum doctorẽ diſputare de peccato, in quo eſt, in culpatè: quod ſi faceret prædicator, peccaret. Ex quo & illud quoq; cõſtat, licere Theologo non minùs quàm Canoniſtæ mercedem accipere, cùm in cauſis vſurariis, aut cõiugalibus, aut ſimoniacis, aut aliis atq; aliis contractibus: & in his, quæ ad ſuſpenſionem, irregularitates, excommunicationes, & interdicta, & ſchiſmata, & hæreſes pertinent, aut cõſilium, aut ſententiam profert, ratione laboris, vel ſolicitudinis, & operarum ſuarum, ſumptuumq; quos diſcendo fecit, æquam mercedem expetere, & exigere, atq; recipere. Non enim Theologos, qui diuinam ſcientiam ſtudioſis laboribus & ſuis ſumptibus didicerunt, concludit illud Chriſti præceptum, Gratis accepiſtis, gratis date: ſed eos, qui illam diuinitùs ſibi infuſam, ſicut prophetæ & apoſtoli, acceperunt. Quicunq; enim diuina munera, & virtutes, & facultates vel adminiſtrandi ſacramenta, vel ędẽdi miracula, & cętera id genus, diuinitùs acceperunt: gratis ea adhibere tenentur. Vt ſit illius loci ſenſus: Id quod purè ex gratia ſine aliquo veſtro labore ac merito à Deo accepiſtis, gratis date: id eſt nihil omnino pro illo pro ximis diſtribuẽdo accipiatis. Tunc enim hoc ſuis diſcipulis præcepit cùm mirabilium operum patrandorum, eis poteſtatem prębuit: vt ex decimo euangelii ſecundum Matthęũ capite claret. Enimuerò, quia idem propè ſemper eſt & theologicus magiſter & euangelii prędicator, caueat ſibi Theologicus magiſter, nè talem mercedem exigendi libertate abutens, offendiculum euangelio ponat: memineritq; Paulum non modò talia minùs exegiſſe, ſed oblata ſibi reſpuiſſe, manibusq; ſuis laborantẽ ſibi comitibusq; ſuis victum comparaſſe, propter introductos falſos fratres, qui exiſtimabant, quæſtum eſſe pietatem: & nè infirmos offenderet, omnemq; malę cupiditatis ſpeciem à ſe fugaret.

Articulus

Articulus ſextus.

IAm verò velut nouum aliquid, vt lectoris faſtidiomedeamur Secundum prologuiũ ſubiiciamus: quod eſt, Mixta ex re ſpirituali & temporali in quibus id quod principaliter quæritur eſt ſpirituale, nequaquam licet certa mercede locari: quoniam ſicut principale, quod eſt ipſum ſpirituale, non poteſt ſub locatæ operationis pactione poni: ita nec tẽporale, qđ ei accedit. Id quod ex prædicta regula conſtat, Acceſſorium ſequitur ſuum principale. Ex quo manifeſtè ſequitur, actus qui ſunt ex prĩcipio ſuo ſpirituales non poſſe licitè ſub operarum locatarum pacto poni, quantum ad tẽporale per ſe ipſis acceſſoriũ. Tales actiones ſunt, euangelium prędicare, baptizare, ſacrificium offerre, ad ſacros ordines dignos atq; idoneos promouere, & alię iſtiuſmodi. Probatio autẽ huius ꝓloquii hæc eſt: Licèt enĩ tam labor & induſtria, quàm humana opera & diligentia in ſacramentorum adminiſtratione, & euangelicæ gratiæ prędicatione, ſint temporalia quędam: quia tamen æſtimandorum eorum ratio eſt aliquid ſpirituale, haud eſt fas illa aut vendere, aut mercede locare: id quod de ſacro oleo, necnon ſancto chriſmate cõſtat: quorum quodlibet eſt aliquod corporale: quia tamen non æſtimantur, niſi ſanctitatis eis additę reſpectu, nullo modo ea vænundari, vera pietas patitur. Nullus enim rem adeò per ſe paruam atq; vilem tam magno pretio compararet, niſi pro eius ſanctitate obtinenda. Præterea, is cui ſpiritualis poteſtas cõmittitur, ad commodum eius vſum, in diſpenſandis ſpiritualibus rebus ex ipſa cõmiſſione ſuopteq; officio obligatur: ſi aliquid igitur pro eiuſdem poteſtatis vſu recipiat, non intelligitur operas ſuas locare, quas ex ſuſcepto officio impendere debet: ſed ipſum ſpiritualis gratiæ vſum vendere, meritò præſumitur. Eccleſia ideo huiuſmodi operarum locatarum pacta iniri vetat, quia ſuapte natura ſunt iniqua: & non è contrario cenſentur ſimoniaca, quia ſunt probibita. Per ſe (inquam) talia ſunt & illicita & impia. Quid? quòd etſi nonnulli è regione contendant, tales pactiones nõ natura, ſed lege illicitas eſſe: in iure põtificio eas reprobãte nobiſcũ plenè ſẽtiũt. Nec huic noſtræ ſententiæ aduerſatur illud Apoſtoli in priori ad Corinthios epiſtola: Quis vnquam ſuis ſtipendiis militat? Non enim Apoſtolus loquitur de locatarum ſtipendio operarũ, quod mercedis rationem propriè obtinet: ſed agit de neceſſariæ ſubuentionis ſtipendio: id quod ex apoſtolicæ argumentationis concluſione apertè liquet. Poſt multa nãq; ab ipſa rerum natura, & lege, & humana conſuetudine, ac demum ex euangelio grauiter & appoſitè ad id vnum allegata, tandem concludit, licêre diuinæ gratiæ prædicatoribus ex euangelio viuere: idq; ipſum Dominum ordinaſſe teſtatus eſt. Adde quòd ibidem apoſtolus ipſe declarat, de illorum vſu ac eſu quæ huic vitæ degendę ſunt neceſſaria, procul dubio accipienda eſſe illa Domini verba, Dignus

eſt

rectionis odor quodammodò p̄ſentiretur, cura pauperũ in aliud opportunius tẽpus omiſſa. Tertiũ dictum. Si eccleſiæ ſanctæ miniſtri tanta rerum indigentia laborent, quanta plebei pauperes, illis potius quàm iſtis tribuẽdum eſt: ſiquidem ſunt dignitate præſtantiores, & prȩter communem vtrorũq; indigentiã, accedit eccleſiæ miniſtris ius illud, quod Dominus expreſſit, dicẽs: Dignus eſt operarius cibo ſuo. Quodq; Paulus in poſterioris Epiſtolæ ad Corinthios. 6. cap. pluribus expoſuit: vt ſuperius retulimus. Quartum dictum. Si pauperes ad extremam neceſſitatem prolapſi ſint, eis potius quàm eccleſiæ tribuendum eſt: ſiquidẽ eis non poteſt tunc temporis aliter ſubueniri: & niſi confeſtim ipſis ſubueniatur, certum eſt eoſdem illicò perituros. Prȩtereà ſi licitè poteſt quiſq; vel de alieno quod apud ſe habet, vel aliunde occultè capto, extremæ indigentiæ ſuccurrere: multò magis tenetur quod eſt ſui iuris, egentibus, quàm eccleſiæ erogare. Et in tantum eſt hoc verum, vt alienum illud, quod in huiuſmodi neceſſitatis articulo erogauit, non debeat primario Domino reſtituere: extrema enim indigentia fecit illud ſuũ ipſius indigentis. Quin & ipſa eccleſia non modò debet ex ſuperfluo pauperes alere, ſed etiam ſi neceſſitas exigat, ſacra vaſa diſtrahere tenetur: puta vt eorum pretio captiui ab hoſtibus fidei detenti redimãtur: vt docet Ambroſius in primo de Officiis libro. id quod & habetur. 12. q. 2. cap. Aurum, inquit, habet eccleſia, non vt ſeruet, ſed vt erogat, & ſubueniat in neceſſitatibus.

Quintum dictum. Quamuis pauperum egeſtas haud ſit extrema, ſed ei propinqua: vel magna, vel ferè magna: in diſtribuendis muneribus pauperes & eccleſiæ & ſacerdotibus ſunt præferendi. Etenim materialis eccleſia templum eſt lapideum ac inanime: fidelium autem cœtus, templum eſt Dei viuum & ſpirituale. Vnde Apoſtolus ad Corinthios, Templum Dei ſanctum eſtis vos. Et iterum, Corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, quem habetis in vobis. ac perinde hæc illi eſt anteponenda: quemadmodũ finis, his quæ ſunt ad finem, præfertur. Id quod Magiſter cœleſtis apertè docuit, quando Phariſȩis accuſantibus eum quòd permitteret diſcipulos ſuos eſurientes ſpicas in Sabbatho vellere, manibus confricare, teneraq; grana comedere: reſpõdit, Dico autẽ vobis, quòd templo maius eſt hic. Si autem ſciretis, quid eſt, Miſericordiam volo & non ſacrificiũ neq; condẽnaſſetis innocẽtes. Dñs enim eſt filius hominis, etiam Sabbathi. Sextum dictum. Si parentes alicuius extrema laborent egeſtate, filius tenetur potius eis ſuccurrere, quàm Deo vel homini dare: quinetiam ſublata de medio vltima neceſſitate, ſi patres alicuius his careant, quibus eis eſt opus ad commodũ victum, congruentemq; ſibi ſtatum, filius debet eis potius tribuere, quàm Deo, qui talibus non indiget: & potius quàm aliis hominibus. Quia filius honorandis parentibus eſt obnoxius, naturali debito, diuina lege confirmato. Et in Euangelio etiam renouato, necnon communi charitatis atque gratitudinis iure

eſt

eſt eis obligatus, à quibus ſubſtantiam, educationem, atq; doctrinã accepit. Deniq; quia hoc in caſu offerre Deo eſt omninò voluntariũ: ſuppeditare autẽ parẽtibus victũ atq; cultũ eſt natura debitũ atq; vrgentius. Meritò Dñs redarguit Phariſæos, perperàm tradentes, melius eſſe aliquid offerre Deo, quàm illud egenis parentibus ſubminiſtrare. Dixit enim eis, referente Matthæo E-
Matt. 15. uangeliſta: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei, propter traditionem veſtram? Nã deus præcepit, Honora patrem & matrem. Vos autem dicitis, quiſquis dixerit patri vel matri, Munus quodcunq; ex me eſt, tibi proderit: & non honorabit patrem ſuum vel matrem ſuam. Etenim, vt ait Euthymius, ſeniores Iudæorum docuerant iu-
Euthy. uenes, vt prætextu diuini cultus parentes contemnerent. Si quis enim parentũ peteret à filio ouem, aut vitulum, aut aliud quippiam, præcipiebant illis, vt dicerent: Munus eſt deo, quodcũq; ex me, in tuum vertetur commodũ: hoc eſt, deo conſecratum eſt, quodcunq; à me lucrifacis. & ita docebãt eos deſpicere parentes, ac legẽ tranſgredi. Ignominia ſiquidem eſt, legiſq; tranſgreſsio, filios reſiſtere parentibus. Septimũ dictum. Si pauperes paucis egeant, præſertim his, quæ facilè parantur, melius eſt eccleſiæ, ſi eo indigeat, quàm pauperibus illud dare: quia diuina humanis, vbi nihil eſt quod obſtet, ſunt anteferẽda. nullus enĩ eſt, qui dubitet, piũ eſſe donaria deo offerri, vt collapſa deo dicata domus reſtituatur, diruta reſarciãtur, & neceſſaria cõgruaq; diuino cultui ornamẽta cõparẽtur, ac reficiãtur. Nõne deus ipſe talia munera tanquã ſibi debita exigit? exigit vtiq; ſicut conſtat, per ea teſtimonia, quæ ex Malachia propheta in ſuperioribus attulimus. quin & per Aggæum prophetam, ceſſatoribus peſtem, ſterilitatem, aliaq; incommoda comminatur dicens, Quia domus mea deſerta eſt & vos feſtinaſtis vnuſquiſq; in domum ſuam, propter hoc prohibiti ſunt ſuper vos cœli, nè darent rorem. Et terra prohibita eſt, nè daret germẽ ſuum: & vocaui ſiccitatem ſuper montes & ſuper triticum & ſuper vinum & ſuper oleum, quæcunq; profert humus: & ſuper homines & ſuper iumenta & ſuper omnem laborem hominum. Octauũ dictũ. Si quis reprobet oblationes, quę in eccleſia Chriſti inter ſacra fieri ſolẽt, cũ Luthero eſt cẽſendus hęreticus. Sic enim habet quoddam Gãgrenſis cõcilii decretum, Si quis oblationes, quę in eccleſia dei fiunt, ſpernẽdas eſſe crediderit, memoriaſq; ſanctorum contemnendas, anathema ſit. Nonũ dictũ. Si quis communem vulgi egeſtatem hinc conſideret, illinc verò tum eccleſiæ, tum eccleſiaſticorum vel ſuperfluas vel abundãtes diuitias expendat, cognoſcet plerũque, commodius eſſe hominibus, quàm deo: id eſt pauperibus & egenis, quàm eccleſię miniſtriſq; eius aliquid donari. Quod intelligi volo, inuiolatis antiquis eccleſiarum ſacerdotũq; iuribus, probatiſq; offerẽdi conſuetudinibus. his enim ſeruatis facilè amplectendũ eſt id quod Iacobus ĩ ſua epiſtola catholica inquit, Religio munda & immaculata apud deum & patrem hæc eſt, viſitare pupil-

los & viduas in tribulatione eorum. Confirmatur hoc. Quoniam tam eccleſia, quàm miniſtri eccleſiaſtici, quod ſupereſt eis ad vſus proprios, pauperibus diſtribuere tenentur. Tum quia dona offeruntur à diuitibus non modò in vſus eccleſiæ, & miniſtrorum, ſed etiam pauperum. Tum quia nihil ſuperfluum debet retineri, quorum vſus ſit aliis vel neceſſarius vel commodus. Poſtremò diligẽter animaduerſis iis, quæ in hoc capite digeſſimus, poteris ô ſtudioſe Lector, ſanè accipere ea quæ contra obmurmurationem diſcipulorum ſuper vnguẽti pretioſi effuſione dominiq; excuſatione

Theoph. *Theophylact⁹ ſcripſit, dicens: Quãdo quis offert Deo donum, nè auerſeris illum, neq; confringas alacritatem eius, abducens illum, vt det pauperibus: ſed ſine implere oblationem. Quòd ſi quis conſilio tuo indiguerit, vtrùm oporteat facere, an pauperibus dare, an offerre Deo: conſule illi, vt det pauperibus: atquùm offert, indignum eſt auerſari illũ. Decet enim, honorem quem Deo debemus, præferamus ſimpliciter omnibus: etiã miſericordiæ. Noli enim, quia propter miſericordiam Chriſtus ſuſcipit in ſe miſericordiam, quaſi ſibi facta eſſet, exiſtimare quòd oporteat contemnere deum, & eleemoſynã tantùm curare: quia ſic ſacrilegiũ liceret, & de ſacrilegiis eſſet eleemoſyna dãda: verũ nõ ſic ſe habet: qa nõ eſt idẽ miſereri pauperũ, & colere ac honorare ipſummet chriſtum. Audi: Pauperes enim, inquit, ſẽper habebitis vobiſcũ: me autẽ nõ ſemper. Vides igitur, quomodò aliud ſit miſereri pauperibus: tamẽ ſi Chriſtus ſuſcipiat perinde ac ſi in ſe collocaretur, quod pauperibus impenditur: & aliud ſit curam impendere Chriſto. Hæc ille.*

Tractatus, Vtrum pro agẽda re diuina ſit fas ſacerdoti præmium exigere temporale.

Articulus primus.

F*Vit nobis olim propoſita quæſtio, licerétne pro re diuina agenda aliquod corporale bonum petere? Et quamuis hęc quęſtiola latiſſimos ſinus habeat, eam tamen reduximus ad eam pręcipuè difficultatem diſcutiẽdam, quam in acceptanda Miſſę celebratione pius ſacerdos ſentire poſſit. Id quod eo libentiùs aggreſſi ſumus quo magis opùs eſt, ea in re ſacerdotem rectam mẽtem habere, quietamq; conſcientiam, nec non integram famam, prorſuſq; alienam ab omni tum auaritię tum ſimonię labe. Quare ſeruantes propoſitæ quæſtionis modum, illud in primis pro ea explicanda eſt adnotandum, Simoniam eſſe ſtudioſam voluntatem emendi, vel vẽdendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum. Quòd ſi hæc ambitioſa cupiditas mente tantùm retineatur: ab ſcholaſticis diſputatoribus Simonia Mẽtalis appellatur. Si verò eam exterius vel pactum vel opus ſubſequatur, Realis nuncupatur. Eſt & aliud prænotandum: Quadrupliciter aliquid dici ſpirituale. Primò eſſentialiter: qualia ſunt diuina*

uina natura, gratia eius, fides, ſpes, charitas, eptémq; ſpũs ſancti dona, aliæq; virtutes: quorum omnium eſſentia, aut eſt ſpiritus, aut eſt ſpiritualis. Deniq; oẽs perfectiones, quibus homines efficimur conſortes diuinę naturæ, ſunt ſpirituales. Secundo modo dicitur aliquid ſpirituale cauſaliter, ꝙ ad id quod ſit ſpũale quadantenus producendum, ſit cauſa. Sunt & talia ſeptem illa ſacramenta, quibus Chriſto credentes ſanctificãtur. Eis enim veluti quibuſdam diuinis inſtrumentis, piis mentibus ſpiritualis gratia, & quæ eam comitantur virtutes, diuinitùs infundũtur. Tertio modo vocatur aliquid ſpirituale efficienter: quales ſunt actiones ab ſpirituali gratia, honore, officio, vel quocũque ſpirituali munere procedentes: veluti, baptizare, confirmare, pœnitẽtes abſoluere, Euchariſtiam conficere, eam fidelibus communicare: & cætera id genus. Quarto demum modo aliquid dici poteſt ſpirituale, vel antecedenter, vel conſequenter. Antecedenter quidem, id quod ſit ad ſpirituale ordinatum: quale eſt ius patronatus, cunctáq; vaſa ſacra ad cultum diuinum peragendum ordinata. Conſequenter autem, quod de ſpirituali munere exoritur: quale fuerit proculdubio ius recipiendi decimas, primitias, cæteráſq; oblationes: quas ſacrorum miniſtris populus reddere tenetur. Deniq; ſecundum hos quatuor ſpiritualitatis modos, prædicta quæſtio diſcuti poteſt: vt iuxta primũ ſenſum quęratur, liceátne ſacerdoti petere temporale præmium pro eo, quod eſt ſpirituale, per eſſentiam: qualis eſt gratia tam creata, quàm increata: quę Euchariſtiã dignè ſumenti donatur. Et huic quęſito reſpondetur, nullo pacto id fieri poſſe, abſq; ſimoniæ labe. Quoniam res per eſſentiam ſuam ſpiritualis, nullo corporali pretio compenſari valet: Vnde Sapiens in Prouerbiis, Prouer. 3. *Pretioſior eſt cunctis opibus ſapientia: & omnia quæ deſiderantur, non valent huic comparari. Quòd ſi de ſapientia creata hoc eſt verum, multò magis diuina: eſt ſic & inæſtimabilis gratia ſpiritus ſancti. Vnde beatus Petrus Simoniacam prauitatẽ in ipſa ſui radice deteſtans, & cum ea autorem eius Simonem illum Magum condemnans, imprecatus eſt ei dicens: Pecunia tua tecum ſit in perditionem; quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Ex quo ſequitur, neq; hominem neq; deum poſſe vel gratiam, vel virtutem moralem, ſiue ſpiritualem corporali pretio propriè vendere: ſicut nõ poteſt facere quòd homo ſit aſinus, conſtante vtriuſq; natura. Et re vera ſicut eſt impoſſibile, totam aſininam naturã humanæ naturę dignitatem adęquare: ita vniuerſa corporalia bona, ne minimum alicuius boni per eſſentiam ſuam ſpiritualis valorẽ exęquare nequeũt. Ac perinde de iure ſtricto inter bona corporalia & huiuſmodi ſpiritualia, nulla valet eſſe iuſta commutatio: vt iam rectè dixiſſe videatur Guillermus Altiſſiodorẽſis:* Altiſsio. *Deus virtutem dare poteſt: vendere non poteſt. Quòd ſi quis nobis occurrat, & dicat hac ratiõe quoq; colligi, vęnalẽ ſeruũ, nulla pecũia, nulloq; equorũ, vel boum, vel lapidum pretioſorum pretio iuſtè cõparari poſſe: quoniam*

*niam hæc omnia longè infra hominis ex
cellentiam, ſpiritusq; dignitatem ſubſi-
deant: quod admittere abſurdũ fuerit,
cùm vulgò ſerui hiſce rebus iuſtè compa
rentur: is audiat Auguſtinum in libro
vndecimo de ciuitate Dei, capite deci-*
Auguſt. *mo ſexto ea de re ita diſſerentẽ: Alius
modus eſt æſtimationis rei, ſecũdum ra
tionem naturę ſuę, ſecundùm quam viuẽ
tia prę ponuntur non viuentibus, & ſen
ſitiua non ſencientibus, & rationalia
irrationalibus. Alius verò eſt æſtima
tiõis modus, ꝓ ſuo cuiuſq; rei vſu, ſecũ
dùm quem quædam non viuentia viuen
tibus prę ponuntur: ſic panis præponi-
tur muri, & nummi pulicibus. Quando
igitur vel duobus equis vel decem mili
bus dipondiorum homo vænundatur,
non vtique fit comparatio inter ea ſecũ
dùm eorundem naturarũ dignitatem, ſed
ſecũdùm vtilitatis vſus æſtimationem.
Vnde iuſtè fit, vt plerunq; carius com-
paretur equus, quàm ſeruus: & gemma
quàm famula. Quòd ſi rurſus huic re-
ſponſioni occurras, eâdem ratione ſequi,
vt fas ſit ſpiritualia corporalibus com
mutari, non quidem ſecundum naturarũ
earum dignitatem, ſed ſecundum vſus ea
rum æſtimationem: attende non eſſe ſi-
mile, quod induxiſti. quoniam ſerui vſus
eſt corporalis, ideoq; re temporali com
parari valet. At verò rei eſſentialiter
ſpiritualis, maximè diuinę gratię vſus
eſt omnino ſpiritualis: ac perinde ſicut
res ipſa ſpiritualis per eſſentiam: ita &
vſus eius nullo corporalium rerum pre
tio taxari valet.*

Secundus Articulus.

*QVòd ſi quæratur iuxta ſecũ
dũ propoſitæ quæſtionis ſen
ſum, Vtrùm ſacramentum
ſpiritualis boni cauſatiuũ, re tempora-
li commutari, vendiq; valeat? Reſpon-
detur, poſſe id quidem fieri, non autem
iure fieri. Etenim de facto vendi poteſt
quod poteſt actu transferri ab vno in
alterũ, ſi quidem illud eſt appretiabile:
tale autem eſt ſacramentum: ſiquidem ſa
cramentum datur per manum ſacerdo-
tis, quantumuis impuri, prauiq;. Alio-
qui fluctuaret eccleſia, nihilq; certi ha-
beret in adminiſtrandis ſacramentis: cũ
nemo ſciat, an ſit dignus odio vel amo-
re. Non autem ſic latet eccleſiam mini
ſtri intentio, qui eam manifeſtis ſignis
notificare valet, de cuius probitate ac
fide minimè ambigitur. Deniq; ipſi mi-
niſtro nota eſt ſua ipſius intẽtio ac ſub
inde certus eſt ei ſacramenti effectus,
in his qui obicem contrariæ voluntatis
nec ſacramento, nec eius effectui pone-
re poſſunt: quales ſunt infantes bapti-
zandi. Sed hec aliâs exactiùs diſcutien
da relinquimus: dummodò ex dictis con-
ſtet ſacramentum de facto diſtrahi poſ
ſe. Quòd autem nullo iure, neq; diuino
neq; humano illud vendi valeat, ſic pro
batur: Nihil poteſt ab aliquo iuſtè ven
di, niſi venditor vtcunq; ſit eius domi-
nus. Sacerdos autem non eſt ſacramen-
torum dominus, ſed duntaxat diſpen-
ſator: ſecundũ illud Pauli Apoſtoli in
quarto prioris ad Corinthios epiſtolæ
capite: Sic nos exiſtimet homo vt mini-
ſtros Chriſti, & diſpenſatores myſte-
riorum Dei. Non ergo illa iuſtè vende
re poteſt. Accedit ad hoc expreſſum*

domini

Domini, id fieri prohibentis, mãdatum.
Sic enim apud Matthæum imperat,
Gratis accepiſtis gratis date. Hîc autẽ
occurrũt nobis difficultates, neq; paucę
neq; leues ſuper his quę ſunt modò defini
ta: idq; in primis ex euãgelica parabola,
in qua proponitur p̃tioſa illa margari
ta, diſtractis oĩbus tp̃aris rebus emen-
Gregor. *da. Super quo diuus Gregorius ita pro*
nuntiat: Regnum cœlorum quantum ha
bes, tantum valet. Hinc ſic arguitur.
Licet emere regnũ cœlorum: eſt igitur
licitè vendibile. Quòd ſi illud eſt licitè
vendibile, eſt & ſacramentum. Pla-
cet hunc modũ paucis propoſitionibus
reſoluere. Quarum prima ſit. Cœlorũ
regnum haud dicitur propriè vendibile
pro re aliqua temporali: quia in eiuſmo-
di commutatione non eſt reperire ſecun
dùm rationem dati & accepti æquabi
Roma.8. *litatem: dicente Apoſtolo, Non ſunt*
condignę paſsiones huius temporis ad
futurã gloriam, quæ reuelabitur in no-
bis. Quòd ſi paſsionibus gratia vacuis
p̄ deo toleratis, margaritũ illud beatifi
cum non eſt iuſtè comparabile, multò mi
nùs reliquis humanis operationibus cha
ritate Dei deſertis comparandum eſt.
Adſit & ſecunda propoſitio. Regnũ
cœlorum non ineptè dicitur emi, exten-
ſo pretii vocabulo ad meritum. Meri-
tis enim ſanctorum comparatur regnũ
cœlorum. Verùm huiuſmodi negotiatio
ad perfectam emptionis rationem mi-
nùs attingit: quoniam meritum non con
ſtat primariè vel dono, vel actu, vel paſ
ſione exterioribus: ſed ĩteriori pióq; af-
fectu, ſecundum quem quiſpiam interio-
ribus actionibus ęternam vitam prome
retur. Etenim ita piè atq; ſanctè operã
ti redditur ſumma illa gloria, tanquam
æquale meritis ipſius prẹmium, ſecundũ
exactam ſtrictæ iuſtitiæ commutatiuæ
rationem, ſi actum ad actum, id eſt, meri
tum ad præmium conferas: ſecundùm
illud Pauli; Repoſita eſt mihi corona
iuſtitiæ. Si verò merentem hominẽ deo
remuneratori conferas, haud reperias
deum ſtricto iure ex æquo homini ad a-
liquid ei reddendũ obligari. Cui ſemper
autore Apoſtolo, Deus ipſe reſponde
re poteſt, Quid habes quod non accepi-
ſti? ſi autẽ accepiſti, quid gloriaris qua
ſi non acceperis? Hac etenim ratione
quilibet iuſtus & agnoſcit & confite
tur in ſe diuinam beneficentiam, quòd
per Dei bonitatem gratis accepit: vn-
de mereretur, & pro meritis prẹmium:
& cum magno illo Baptiſta in laudem
Chriſti loquitur, Et de plenitudine
eius oẽs accepimus, gratiã pro gratia.
Iam forſitan hinc quiſquam inſurgat
& ita colligat: Si licet actibus interio
ribus Deo gratis vitam ęternam ab eo
promereri: ergo & exterioribus: ſiqui
dẽ exterior actus particeps eſt perfe-
ctionis, quã habet interior, quo fieri im-
peratur. Quòd ſi exteriori actu, vel do
no, vel poſſeſsione licet emere regnum
cœlorum, licebit & eiſdem ſacramentũ
diſtrahi. Sed profectò quiſquis ille ad-
uerſarius eſt, nõ bene colligit: quia licèt
ſit fas hiſce rebus exterioribus per cha
ritatem Deo oblatis, & gratiæ au-
gmentum & vitam æternam ab illo e-
mere: non tamen bona ſpiritualia quæ
dat ſacerdos, ab eo licitè externis rebus
parari queunt. Quoniam gratiarũ au-
gmen-

gmenta & vita æterna ſub meritum veniunt: Gratia autem prima, quæ per ſacramenta, præcipuè per baptiſmum datur, non cadit ſub merito. Alioqui non eſſet gratia, dicente apoſtolo: Si autem gratia, iam nō ex operibus. alioqui gratia iā non eſt gratia. Demq; regnum cœlorum, quod vænale nobis à Deo proponitur, Dei moneta emendum eſt: id eſt actione recta, Dei charitate formata. Prima autem ſacramentalis gratia, emi nequit, ab eo qui Dei monetam nō habet, ſed diaboli, id eſt peccati nummū. Quid ſi habeat ille gratia Dei vacuus probos alioqui mores? neq; eis ſtricto iure gratiam primam emere valet: quia eiuſmodi mores ſunt res quędā temporales, & ab humana ratione profectę, ac perinde non altiùs aſſurgunt, vt gratiā ſpiritualem, quæ ſuper tempus & hominis naturam fertur, de cōdigno attingāt. Sed & adhuc aduerſus hanc ſolutionem infeſtus oppugnator ſic argumētabitur. Habēti primam gratiam per baptiſmum, licet temporalium rerum donatione de charitate profecta abundantiorem gratiam, maiorēq; Spiritus ſancti copiam expetere atq; emere. Siquidē huiuſmodi donatio Deo eſt accepta: vt pote eius moneta, hoc eſt gratia ſignata. Multò igitur potiùs ei licebit, quod uis aliud ſacramentū vel à ſacrdote vel epiſcopo poſtulare, atq; cōparare. Sed profectò id non ſequitur: quia alterum alteri eſt diſsimile. Etenim dare temporalia Deo, vt ſpiritus ſanctus aut primò, aut abundantiùs habeatur, non eſt aliud, quàm deum ipſum ad beneuolentiam prouocare: vt quemadmodùm homo aut ſacerdoti offert, aut pauperibus propter deum temporalia donat: ita Deus velit ei ſpiritualia largiri. Sed dare temporalia ſacramentorum miniſtris pro eis acquirendis ſecundum ſe ſumptum, non eſt prouocare deum, neq; ipſum ad amicitiā inuitare, vt det nobis, vel in nobis ſpiritū ſuum augeat: cùm eiuſmodi commutatio ſit illo Dei præcepto vetita, Gratis accepiſtis, gratis date.

Articulus tertius.

Sed adhuc remanet ſcrupulus quidā, qui lectorem ſolicitet. Erat enim olim præceptum veteri populo à domino datū, Non apparebis vacuus in conſpectu meo: quo ille populus obſtringebatur certis quibuſdam diebus munera in domum Dei inferre, ad idq; naturali iure conſpirante. Vnde chriſtiani tenentur diebus dominicis & in aliis pręcipuis feſtis ſacerdotibus aliquid offerre: id quod in tratactu de Primitiis & Oblationibus monſtrauimus. Quo recepto arguitur ſic: Laici tenentur temporalia pro ſpiritualibus ſacerdotibus ſuppeditare: licet ergo clericis pro temporalibus ſpiritualia laicis ſubminiſtrare. Hic ſcrupulus videtur de medio tollendus, explicata amphibologia, quam particula, Pro, tam in clauſula antecedente, quàm in conſequenti inducit. Nam ſi in illo antecedente, laici tenentur corporalia pro ſpiritualibus ſacerdotibus ſuppeditare: illa prępoſitio

tio, pro, cauſam denotet efficientem, verum eſt, laicos debere corporalia pro ſpiritualibus ſacerdotibus dare: q͠a ſpiritualia ſunt cauſa efficiens, id eſt motiua, ob quam laici tenentur clericis temporalia offerre talia ac tanta quę ſufficiant ſuo ipſorum ſtatui fulciendo: hoc autem non eſt ſpiritualia emere, ſed fouere. Si verò eadem prępoſitio, pro, determinet illud verbũ, ſuppeditare, pretium denotando: ſic eadem propoſitio falſa eſt: quia vt ſuperiùs oſtendimus, temporalia ſpiritualibus coæquari nequeunt. Si autem eadem dictiuncula finalem cauſam adſignificet, ita diſtinguere opùs eſt: quoniam aut illa denotat immediatum dandi temporalia finem: & ſic accipitur illa particula propriè, & prædicta propoſitio non eſt ſimpliciter concedenda: quia ſecundùm talem ſignificantiam non eſt proportio medii ad finem: quia temporalis boni ad ſpirituale, nulla eſt proportio: ſiquidem inter ſe genere diſtãt. Aut illud, pro, cõſignificat mediatũ finem & ſubſequentem, etiam vera eſt illa propoſitio: quia tunc immediatus dationis temporalium finis, vel eſt oblationis bonitas, vel Deum offenſum placare, vel obligare ſacerdotem ad aliquid repetendum. Finis autem medius ac proximè conſequens eſt ea quæ licitè expetitur, ſacerdotis oratio. Finis verò vltimus & quaſi è latere conſurgens, eſt culpę ac pœnæ dimiſſio, vel diuinę gratię adeptio. Sic enim piè ac probè temporalia ſpiritualibus, tanquàm perfectioribus bonis ſubordinantur. Nam vt rectè ait Ariſtoteles, Deterius eſt melioris gratia. Iam verò quemadmodũ propoſitæ argumentationis antecedẽs diſtinximus, ita & nũc oportet eius cõſequẽs diſtinguere. Erat autẽ hoc: Clerici tenẽtur dare ſpiritualia pro tẽporalibus. Nam ſi illa præpoſitio, pro, determinet illud verbũ, tenentur: verũ eſt quod dicitur. Sic enĩ illud pro, deſignat cauſam motiuã: non quidẽ principalẽ, ſed minùs principalẽ & incitatiuã. Etenĩ facilè ſacerdotes mouẽtur ad impartienda laicis ſpũalia, à quibus tpalia receperũt. Spũalia inquã, nõ quidem per eſſentiã: gratiã enim & gloriã dabit Dñs: ſed ſacramẽta gratiæ, quorum ſunt adminiſtri. Si verò illud, pro, denotet pretiũ aut finẽ, ſiue mediatũ, ſiue immediatum, falſum eſt illud conſequens. Quia tẽporalia neutiquàm ſunt finis, ſiue mediatus, ſiue immediatus ſpiritualiũ per ſe & abſolutè conſideratorum. Non enim ſuperiora ſunt gratia inferiorũ. Si autẽ illa præpoſitio, pro, dicat finem ſubſecundarium & adminiculatiuum ſacerdotis intendentis habere temporalia, quibus ſuſtentatus ſpiritualib⁹ vacare valeat: fas eſt vtiq; ſacerdotibus, laicis miniſteria ſpiritualia præſtare pro temporalibus. Siquidem ſpiritualia miniſteria ſine temporalibus fulcimentis diu præſtare non poſſunt. Hæc deniq; ſic ſunt accipiẽda, vt finis ſacerdotis in myſticis functionibus præcipuus, ſit Dei honor, animarúmq; ſalus. Subſecundarius verò & adminiculatorius, modeſta quædam rerum tẽporalium acquiſitio ad ſupplendam rerum indigentiam, non modò naturaliũ, ſed etiam eorum, quæ ſunt neceſſaria ad decentẽ eccleſiaſtici ſtatus authoritatem:

quin & ad ſubuentionem pauperum, aliarúmq; perſonarum, quibus ipſe ſacerdos iure naturali atq; diuino prouidere tenetur. Ex prædictis exploratum eſt, modeſtam in ſacerdotibus voluntatem acquirendi cõmoda temporalia ad prędictum vſum, poſſe cauſam eſſe, non modò ſine qua ſpiritualiter non miniſtraretur: ſed etiam incitatiuam, per quam ſacerdos inducatur ad præſtandum officium quãdo aliunde non teneretur: aut quum nõ poteſt omnibus horis ſacris intereſſe, eligat eas, quibus maiores fructus, copioſiórq; merces ſunt aſſignata ſibi vtilia & ad pios vſus neceſſaria. Cuncta denique ſupradicta ſancti Thomæ Aquinatis authoritate confirmantur. Cuius verba ſunt hæc, quæ ille poſuit in articulo ſecundo ad quæſtionem centeſimam ſecundæ partis ſecundi libri. Ait itáque, Accipere pecuniam pro ſpirituali ſacramentorum gratia, eſt ſimonia: quod nulla conſuetudine poteſt excuſari: quia conſuetudo non præiudicat iuri naturali. Accipere autem aliqua ad ſuſtentationem eorum qui ſacramenta miniſtrant, ſecundùm ordinem eccleſiæ & conſuetudines approbatas, non eſt ſimonia nec peccatum. Non autem id ſumitur, tanquàm præmium mercedis, ſed tanquàm ſtipendium neceſſitatis. Vnde ſuper illud Apoſtoli, prioris ad Timotheum epiſtolæ, Qui benè præſunt preſbyteri, duplici honore digni ſunt: Auguſtinus Auguſti. *ità pronũtiat: Accipiant ſuſtentationem neceſſitatis à populo, mercedem diſpenſationis à Domino.*

Quartus Articulus.

CAEterũ vt adducta Auguſtini ſentẽtia fiat notior, operæpretiũ fuerit, diſcutere tertium propoſitæ ab initio quæſtionis ſenſum. Is erat, vtrũ ſacerdoti liceat petere aliqd ex pacto ſtipendio ſuſtẽtationis. Pro quo explicando illud in primis cõſtet, ſtipendium ſuſtentationis nequaquã mercedis rationẽ habere: ſed ſubuentionis neceſſariæ vel cõmodę eccleſiaſticis miniſtris. Ac perinde qui dat illis aliquid tẽporale, puta pecuniã, aut triticũ, aut veſtem, aut cætera id genus, pro eorum ſuſtentatione, minimè dat ea in pretium operarum laboriſue eorum: ſed in victum atq; veſtitum, vt habentes alimentum & quibus tegantur, diuinis myſteriis gratis vacare queant. Eſt & ſecundò animaduertendum, ſuſtentationis ſtipendiũ bifariã poſſe viro eccleſiaſtico obuenire. Primò gratuita populi oblatione, vel prælati authoritate. Secũdò ex pacto & cõuentione, inter ſacerdotẽ & populũ initã. Iam ſit prima propoſitio. Si ſtipendiũ cotidianæ ſuſtentationis, vel gratuitò, vel ſuperioris authoritate alicui clerico impendatur, non exigit neceſſitatem in eo pro cuius ſuſtentatione donatur. Id quod ex eo compertũ haberi poteſt quòd epiſcopo quãuis diuiti, viſitãti tamen parochias, à parochis ſecundum iura debetur ea, quæ vulgò procuratio dicitur. Conſtat & idem, eò quòd fas eſt ſacerdotibus haud indigentibus accipere nonnulla vtilia, quaſi quædam ſtipendia: idq; per conſuetudinẽ approbatam:

batam: quæ aut malā radicem aut violentam exactionem non habuerit. Id quod præcipuè verum eſt quando illud laicus, aut gratis offert, aut ſponte ſoluit: imò & ſtante tali conſuetudine, populo conſentiēte præſcripta, poſſent talia à nolentibus reddere, iuſtè exigi, gratia ſeruandæ bonæ conſuetudinis, & fidelis pietatis, & honoris diuini, & eccleſiaſticæ dignitatis. Ac perinde non tantùm in priuatum ſuum ipſorum clericorum vſum, quantum in diui ui cultus fauorem. At verò dictæ conſuetudinis prętextu non poteſt aliquid à ſacerdote exigi per ſacramentorum ſubtractionem, nec ſua ipſius autoritate à laicis auferri. Sed vt inquit ſanctus Thomas in articulo tertio quæſtionis centeſimæ ad ſecundam ſecundi: ſpiritualibus priùs exibibitis, licitè poſſunt ſtatutæ & conſuetæ oblationes, & quicunque alii prouentus, à nolentibus, attamen ſoluere potentibus, à ſacerdotibus exigi: ſuperioris nempe prælati authoritate intercedente, dummodò puſillorum offendiculum caueatur, & in exigendi ea intentione, non mentiatur iniquitas ſibi. Adimpleatùrque illud, Ab omni ſpecie mali abſtinete vos. Secunda propoſitio. Stipendium cotidianæ ſuſtētationis licitè conſtituitur ex pacto reddēdum ſacerdoti, eo indigenti. Etenim quoniam ſi tale ſtipendium ſic eſt neceſſarium, vt ſine eo miniſter ſalua ſuæ perſonæ conſiſtentia, ſtatusq́; ſui honeſtate, diuina exercere nequeat officia; liquet eiuſmodi ſtipendiū non minùs in pactum iuſtè reuocari, quā reliqua ad diuinum miniſteriū exequendum neceſſaria, & cōmoda, atq; decentia. Nam ſicut ſacerdos ad alicuius inſtantiam Euchariſtiā celebraturus, iure ſuo poteſt, ſub pacto à procurāte Miſſam agi, exigere vt ei ſuppeditet locum ſacrum, calicemq́;, ſanctasq́; veſtes, atq; vinum & panē, ſine quibus ſacramentū ritè recteq́; confici nequit: ità poteſt iuſtè paciſci ſuā ipſius ſuſtentationē, ſine qua nequit ſacris deſeruire myſteriis. Confirmatur & hoc eccleſiaſtica conſuetudine ſcita & tolerata, à catholica eccleſia approbata: qua fit, vt ſacerdotes egeni per annū altario miniſtraturi in aliqua baſylica de annua ſuſtentatiōe ei reddēda abſq; vllo cōſciētię ſcrupulo paciſcātur. Accedit & validiſſima Caietani acutiſſimi viri ratio. Ea eſt: Velle ſtipendiū annuæ ſuſtētationis non eſt velle tēporale pro ſpirituali. Ex pacto ergo eiuſmodi ſtipendiū exigere, non eſt vendere ſpirituale pro temporali. Siquidem pactū actionum materiam nō mutat. Quare huiuſmodi pactio nec eſt ambitioſa, neq; iniqua. Quòd ſi nobis obiicias haud pauca ſummi Pontificis iura prohibere, nè eccleſiaſtica miniſteria ſub pacto diſponātur: hanc obiectionem quibuſdā dictis repellere tentabimus, quorum ſit primū: Pacta quibus eccleſiaſtica miniſteria ſimpliciter & abſolutè agēda conſtituūtur, ſunt ſimoniaca iureq́; prohibita: vt ſi quis in hæc verba paciſcatur, Ego volo tantā pecuniam mihi reddendā, ſi pro te ſum celebraturus, aut pro quouis ſacerdotali miniſterio pro te exequendo. Secundū dictū. Pacta, quibus eccleſiaſtica miniſteria ſecundùm quid, & cum quadam

Thomas. Caietan.

D ii limita-

limitatione agenda conſtituuntur, nec illicita ſunt, neque lege prohibita. Verbi gratia: Si quis ſacerdos ſic pangat, Si ego miniſtraturus tibi ſum in ſpiritualibus, volo tantum pecuniarum pro ſuſtentationis meæ congruo ſtipendio: quia minori ſubuentione, expetito miniſterio commodè incumbere minùs valebo. Deniq; pactiones ſic ab indigẽtibus miniſtris initatę, neq; apud Deum, qui rectum cor videt, ſunt ſimoniacę: neque apud eccleſiam, cui miniſtri indigentia eſt nota, & pactio manifeſta: non quidem abſoluta, ſed conditionalis, conditione eam inculpabilẽ reddente. Ex quo videtur ſacerdotem victus atque veſtitus indigum, non modò per annum, ſed per menſem, imò & per diem, paciſci poſſe, priùs quàm rem diuinam agat. Poteſt enim liberè dicere eis qui eum ad Miſſam agendam pro ſe inuitant: Vobis indigentia mea facilè conſtiterit, ſi vultis me pro vobis hodie ſacrum facere, oportet vos ſuppeditare mihi ſufficiens hodiernæ ſuſtentationi ſtipendium. Alioqui alium expectabo, qui me ſufficienter alat. Nec enim video in hoc caſu vllam differentiam inter pactionem annuam, & menſtruam, & diurnam, niſi ſecundùm aut diuturnius aut breuius ſpatium temporis. Siquidem conuẽtionis huiuſmodi ratio nequâquã temporis diuerſitate mutatur. Cùm ſubuentionem iſtiuſmodi expetere, nec eſt per ſe malum, nec vllam mali ſpeciem includit. Tertium dictum. Sacerdoti habenti aliunde, quibus honeſtè vitam ducat, altarióque deſeruiat, non licet cum populo ſuper ſtipendio quotidianæ ſuſtentationis tanquã ſibi abſolutè neceſſario. ſed tanquàm ſimpliciter ei debito, pactum inire. Nam cùm eo abſolutè nõ indigeat, nequit niſi mentiendo de eodẽ velut ſibi abſolutè neceſſario paciſci. Certum eſt enim eum mẽtiri qui prętendit abſolutè indigere ſe ſubuẽtione qua abſolutè non eget. Forſitan occurrat aliquis huic dicto illa Seruatoris nr̃i ſententia, Dignus eſt operarius cibo ſuo: accedẽte & apoſtolo dicẽte, Nemo militat ſuis ſtipẽdiis. Ac perinde licere ſacerdoti diuiti pro miniſterio ſuo ſuſtẽtationis ſtipendiũ paciſci. Sed ad hoc reſpondemus, tam Dñm q̃ apoſtolũ eius in ſuis eloquiis pręcipuè prętẽdere debere populum in primis egẽti miniſtro neceſſaria tribuere: nè ipſe ab eo illa mẽdicare cogatur, aut alio aliquo labore, ſiue arte, eadem minùs decẽter acquirere. Nã quòdidem Apoſtolus ſuis manibus acquirebat quæ ſibi ſuiſq; comitibus erãt neceſſaria, ſupererogationis apoſtolicę fuit. Id enim ſapiẽtiſſimè faciebat, tum ad vitandum puſillorum ſcandalũ: tum ad reprimendam Pſeudapoſtolorũ auaritiam: tum ad habendum quod pauperibus diſtribueret. Deniq; nequâquam Apoſtolus citatis verbis prætendit, licère ſacerdoti opulento pactionem facere de quotidianæ ſuſtentationis ſtipendio, tanquàm abſolutè ei neceſſario: ſiquidem mentiretur egeſtatẽ quam non patitur: mendacium autem iuſti contractus ſubiectũ eſſe non valet. Nónne tẽporalia ſpiritualibus ſubſeruire debẽt? Debent vtiq;. Sed pro quotidianę ſubuentionis ſtipẽdio tanq̃ abſolutè neceſſario, neutiquã diuitibus, ſed pauperibus

ſubuenire ſacerdotibus laici debent. Debitũ enim huiuſmodi non reſpicit ſacerdotẽ ſimpliciter, ſed indigentẽ ſacerdotẽ. Neq; hinc ſequitur quin ſacerdos opulentum habens patrimonium poſſit cum populo paciſci ſuper ſtipendio quotidianæ ſuſtentationis. Nam licèt non paciſcatur pro eo tanquàm abſolutè, id eſt omni modo ſibi neceſſario, poteſt tamen de eodẽ pangere tanquã ſimpliciter ſibi debito: & pro officio quod exercet id ipſum laici tenentur ei reddere quo alatur: cũ non teneatur iure ſtricto alere ſe bonis ſuis, vel patrimonialibus, vel aliunde acquiſitis. Hinc etiã conſtat, ſacerdotem diuitẽ cui pingue patrimoniũ acceſſit poſteà quã curã agebat animarum poſſe licitè accipere à populo tẽporales reditus, ſiue decimas & primitias ſiue alias oblationes, quæ tum hac, tum aliis de cauſis ei debẽtur: nẽpe vel ratione laudabilis conſuetudinis, vel eccleſiaſtico iure, vel ſuperioris authoritate, atq; legitimo ipſius beneficii titulo. Hęc deniq; ſentẽtia ità tẽperata, quæ veluti media incedit inter extremas illas, nõ videtur mihi dura: cũ per eam ferè cuncta quę ad hanc rem pertinẽt peruia expeditaq; pateant, ſacerdotibus tam diuitibus quàm pauperibus. Quinetiam Ioannes Gerſoneus aliiq; tractatores cõtrariam Caietani ſententiæ ſententiam fouẽtes, ſanctorũ authoritate cõpulſi, tandem ad hoc deuoluuntur vt ingenuè fateantur, clericos quibus ſua patrimonia ſufficiũt, haud debere eccleſiaſticos prouentus ſibi ſumere, vt eis ditescant, aut eis fundos multiplicẽt, aut cognatos ex pauperibus diuites faciãt. Sed vt ea indigentibus atq; pauperibus iuxta ſuam cuiuſq; conditionẽ diſtribuãt. Eſto plus aliquid, cæteris paribus cognatis, quàm aliis dare poſſint. Suffragatur & nobis, quod Ioannes Gerſoneus in tractatu de ſolicitudine eccleſiaſtica, dicit: Cõtingit aliquãdo præter & vltra neceſſitatem præſertim aliqua recipere quẽpiam non pro ſolo ſacerdotalis perſonę ſtatu, ſed etiã ad aliorũ maximè, qui à nobis pendent, commodã prouidentiam, piamq; ſubuentionẽ. Et ſecundũ hoc apertè ille in nr̃as partes cõceſſiſſet, ſi animaduertiſſet, q̃ cùm ex regula diui Auguſtini ſacerdos nõ omnibus indigentibus, ſiue pauperibus: id enim impoſſibile fuerit: ſed illis tantũmodò ſuis donis ſubuenire teneatur, qui aliqua propinquitate vel cognationis, vel loci, vel tẽporis, vel accepti beneficii, vel exhibiti officii, vel peculiaris curæ ei coniuncti ſunt. Id q̃d ad eiuſdem ſtatus decentiã procul dubio attinet. Recipere enĩ ſacerdotẽ tẽporalia ad ꝓprię perſonę ſtatuſq; ſuſtentationẽ, & recipere eadem ad propinquorũ ſubleuationẽ, ad eandẽ receptionis rationem pertinet: ſcilicet ad proprii ſtatus ſacerdotalis ſuſtentationis ſtipendium. Suſtentationis enim nomine non ſolùm victus & veſtitus, ſed etiam quicquid eſt ei opus ad decentiam ſui ſtatus, & eorum quorum cura ipſi incumbit, cõtinetur. Nec enim mendicare ſacerdotẽ decet vt habeat vnde ſubueniat cognatis ſuis: ſiue ſenibus, ſiue paruulis, ſiue alioqui indigẽtibus, aut amicis pauperib⁹, aut famulis, vel parochis, quibus naturali iure, tũ charitatis pietate, quantũ põt ſubuenire tenetur.

Quintus Articulus.

TAndem ad quartum ſenſum principalis quæſtionis ventum eſt. An videlicet ſit fas ſacerdoti locatarum operum ſtipendium paciſci? Id eſt, an liceat ſacerdoti conuentionem facere, de ſtipendio recipiendo pro ſpirituali actione: qualis eſt baptizare, & cætera id genus. Pro huius autem dubii congrua ſolutione illud præferamus, locatarum ſtipendium operarum, mercedis rationem propriè habere, ſecundũ illud quod in Matthæi Euange-
Mat. 20. lio legimus: *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Ex quo liquet eum qui pro locatis operibus aliquid accipit, debitam ſibi mercedem, quaſi laboris pretium accipere: id enim hoc nomen, locatio, laboris connotat. Supponamus & illud, quòd authore ſancto Thoma Aquinate, actus aliquis dicitur ſpiritualis, dupliciter: Primò quidem ex parte principii: quando talis actus alicui perſonæ conuenit propter aliquid ſpirituale quod ei ineſt: ſicut epiſcopo conſecrare baſilicas: ſacerdoti ſacrificare vel baptizare. Secundo autem modo aliquis actus dicitur ſpiritualis ex parte finis: qualis eſt docere liberales artes, quarum finis eſt veritas, quæ res eſt ſpiritualis: non tamen ex parte principii. Cùm talis actus poſſit à gentili philoſopho non habente principium aliquod tale, id eſt, ſpiritualem poteſtatem, exerceri. Tertiò demum eſt præſupponendum, aliud eſſe loqui de Miſſæ celebratione abſolutè & ſimpliciter, quæ eſt actio per ſe ſpiritualis, per ſe ſpiritualē poteſtatem conſequẽs, & ab agente per ſe intenta: & aliud loqui de celebranda Miſſa in tali loco & diei hora, & toties in hebdomada: & laborioſo itinere, & aliis huiuſmodi, quæ non ſunt per ſeipſa ſpirituali poteſtati coniuncta. Supponitur & quartò, quædam eſſe mixta ex temporali & ſpirituali, in quibus principale quæſitum eſt temporale, acceſſorium verò ſpirituale: quædam autem è diuerſo, in quibus id quod præcipuè quæritur, eſt ſpirituale: acceſſoriũ verò temporale. Iam verò his quatuor prænotatis tribus proloquiis eſt nobis proxima quæſtio dirimenda: quorum ſit primum, Opera ex temporali & ſpirituali mixta, in quibus principale quæſitum eſt temporale, licitè poſſunt certa mercede locari: quoniam in eis locãdis minimè appretiatur illud ſpũale acceſſorium, ſed ipſum principale comitatur: ſecundùm illud peruulgatum dictum: Acceſſoriũ ſequitur ſuum principale. Attamẽ hoc primum proloquium conſtantis tũc eſt veritatis, quando ipſum temporarium principaliter quæſitum, propter ſpirituale ei accedens carius nullatenus æſtimatur. Quoniam ipſum ſpirituale ſiue ſit principale ſiue acceſſorium, non poteſt eſſe conſtituẽdi temporalis valoris ratio, hinc fit vt fundus adornatus iure patronatus ſpiritualis, nequeat cariori pretio diſtrahi, quã ſi eo careret. Ex eódem & illud exploratum ſit, fas eſſe locare eas operas temporales, quæ ſunt acceſſoriè ſpirituales: nempe tantũ modò ex parte finis dum modò talis æſtima-

ſtimatio duntaxat fiat ipſarum operarum ratione, & nihil ei accreſcat illius finis reſpectu. Cãtores igitur & organiſtę cùm cõducuntur, vt in locis cultui diuino dedicatis inter ſacra modulẽtur, iuſtè ac piè operas ſuas modulatorias æquabili pretio ſub pacto locare valent: quoniam præcipuum, quod ab eis quæritur, eſt clara, & intenta, iucũdaq; vox, artis opus, & humana induſtria: hęc autem minimè ſunt ſpiritualia, etſi ad finem ſpiritualem referenda conducãtur. Idem quoq; licet aduocatis, & liberalium artiũ, atq; naturalis vel moralis philoſophię magiſtris: haud vænũdantibus ipſam veritatem, ſed ſuas ſolũ operas. Siquidem principaliter humanum ab eis auxilium expetitur, vel ad iuſtitiam obtinendam, vel ſcientiam acquirendam. Siquidem patronus ſiue aduocatus, clienti ſuo cuius cauſam defendit, tẽporale patrocinium opemq; prorſus humanam impendit, ac ſubinde pecuniâ æſtimabilem. Scientiarum quoq; doctores maximam diſcipulis ad eas diſcẽdas opem afferunt, dum eos ad ſtudium, & labores, & vigilias tolerandas incitant: ſummaq; induſtria diſcenda ita eis proponunt, explicant & declarant, ſciẽdiq; compendia edocent, vt ab illis directi, quæ eis ꝓponũtur, facilè perdiſcãt. Quæ omnia humana ſunt, ac perinde humanis pretiis comparabilia, atq; vendibilia, quatenus hæc comparantur laboribus, & ſumptibus, & vigiliis, atq; ſollicitudinibus: atq; iam parta ſeruantur, & ſudoribus curiſq; expetentibus impertiuntur. Neque quia peritior aduocatus patrocinando, & doctior magiſter docendo minùs laborat, quàm imperitior aduocatus, aut indoctior magiſter, minorem debet mercedẽ recipere: quia olim magis laborando acquiſiuit ſibi maiorem vel patrocinandi, vel docendi facultatem: merces autem ei reddenda non modò præſentibus, ſed etiam præteritis laboribus, curis, atq; ſumptibus reſpondere debet. Eâdem item ratione magiſter theologicus poteſt piè ac iuſtè pacta mercede diuinam ſapientiam diſcipulos docere: non vtiq; ipſam venditans, ſed laborum ſuorum prẽmiũ accipiens. Nec ab eo percipiendo prohibetur: quia ad doctoralem dignitatẽ ab ſcholaſtico cancellario ꝓmotus fuit: id enim fit, non vt detur ei aliqua ſpiritualis earum dignitas, quas Deus gratis dat: ſed nè indocti docendi autoritatem ſibi vſurpent. Quòd ſi nobis opponas, Dei Prophetas, & apoſtolos, & prædicatores: quibus non licuit vnquã ex pacto operas ſuas locare: Reſpondemus, & Prophetas & Apoſtolos gratis & abſq; vllo labore diuina myſteria tum ſuſcepiſſe, tum tradidiſſe, ideò non licuiſſe eis operas ſuas pretio æſtimaſſe: vtpote minimè laborioſas. Eſto eis licuerit, cotidianæ ſuſtentationis ſtipendium capere. Iam verò Theologiam docere, atq; Euangelium prædicare, in hac cauſa longè diſsimiliter ſeſe habent. Nam Theologicus Doctor propter humanum, ſicut in aliis ſcientiis, auxilium quæritur: Sic vt humanus ſit operator, licèt eius finis ſit diuinus: prædicator antẽ operator eſt diuinus, vtpote quoddam Spiritus ſancti inſtrumentum quo Deus vtitur ad

illuminandos, & purgandos, & perficiendos homines, quò tãdem filiorũ Dei adoptionẽ conſequãtur. Indicio eſt nulli licêre prædicatorium munus obire, niſi ad id vtcunq; diuinitùs miſſus fuerit: ſecundum illud Pauli ad Romanos capite decimo, Quomodò prædicabunt, niſi mittantur? Eſt igitur prędicandi munus ab auctoritate ſpũali, actioq; eius eſt ſpiritualis, ac perinde pecunia in æſtimabilis. Adhæc ex diuina autoritate prædicat p̃dicans, & diuinæ legationis officio fungitur. Tenetur igitur contentus agere ſtipendiis ſuſtentationis à delegante eum ſibi taxatis: ac perinde non poteſt rurſus licitè locare ſemet populo, qui cum delegatore Deo ſemel pactus eſt. Quare Petri Paludani ſentẽtia infirmatur, eò quòd facultas theologiã docendi, licet ſit circa diuiniſſimã ſcientiã, principiũ tamen habet humanum: quia & ab homine datur, & ad humanum præſtandum auxilium eſt inuenta: poteſtatis autem prædicandi verbum Dei, principium eſt diuinum. Et ea ad ſpiritualem opem in perfectionibus diuinis mortalibus infundendis, prædicatoribus ab ipſo Deo impenditur. Deniq; in tantum harum poteſtatum altera præſtat alteri, vt teneat ſãctus Thomas, contingere Theologicum doctorẽ diſputare de peccato, in quo eſt, in culpatè: quod ſi faceret prædicator, peccaret. Ex quo & illud quoq; cõſtat, licêre Theologo non minùs quàm Canoniſtæ mercedem accipere, cùm in cauſis vſurariis, aut cõiugalibus, aut ſimoniacis, aut aliis atq; aliis contractibus: & in his, quæ ad ſuſpenſionem, irregularitates, excommunicationes, & interdicta, & ſchiſmata, & hæreſes pertinent, aut cõſilium, aut ſententiam profert, ratione laboris, vel ſolicitudinis, & operarum ſuarum, ſumptuumq; quos diſcendo fecit, æquam mercedem expetere, & exigere, atq; recipere. Non enim Theologos, qui diuinam ſcientiam ſtudioſis laboribus & ſuis ſumptibus didicerunt, concludit illud Chriſti præceptum, Gratis accepiſtis, gratis date: ſed eos, qui illam diuinitùs ſibi infuſam, ſicut prophetæ & apoſtoli, acceperunt. Quicunq; enim diuina munera, & virtutes, & facultates vel adminiſtrandi ſacramenta, vel ędẽdi miracula, & cętera id genus, diuinitùs acceperunt: gratis ea adhibere tenentur. Vt ſit illius loci ſenſus: Id quod purè ex gratia ſine aliquo veſtro labore ac merito à Deo accepiſtis, gratis date: id eſt nihil omnino pro illo proximis diſtribuẽdo accipiatis. Tunc enim hoc ſuis diſcipulis præcepit cùm mirabilium operum patrandorum, eis poteſtatem prębuit: vt ex decimo euangelii ſecundum Matthęũ capite claret. Enimuerò, quia idem propè ſemper eſt & theologicus magiſter & euangelii prędicator, caueat ſibi Theologicus magiſter, nè talem mercedem exigendi libertate abutens, offendiculum euangelio ponat: memineritq; Paulum non modò talia minùs exegiſſe, ſed oblata ſibi reſpuiſſe, manibusq; ſuis laborantẽ ſibi comitibusq; ſuis victum comparaſſe, propter introductos falſos fratres, qui exiſtimabant, quæſtum eſſe pietatem: & nè infirmos offenderet, omnemq; malę cupiditatis ſpeciem a ſe fugaret.

Articulus

Articulus ſextus.

IAm verò velut nouum aliquid, vt lectoris faſtidiom edeamur Secundum prologuiũ ſubiiciamus: quod eſt, Mixta ex re ſpirituali & temporali in quibus id quod principaliter quæritur eſt ſpirituale, nequaquam licet certa mercede locari: quoniam ſicut principale, quod eſt ipſum ſpirituale, non poteſt ſub locatæ operationis pactione poni: ita nec tẽporale, ꝙ̄ ei accedit. Id quod ex prædicta regula conſtat, Acceſſorium ſequitur ſuum principale. Ex quo manifeſtè ſequitur, actus qui ſunt ex prĩcipio ſuo ſpirituales non poſſe licitè ſub operarum locatarum pacto poni, quantum ad tẽporale per ſe ipſis acceſſoriũ. Tales actiones ſunt, euangelium prędicare, baptizare, ſacrificium offerre, ad ſacros ordines dignos atq; idoneos promouere, & alię iſtiuſmodi. Probatio autẽ huius ꝓloquii hæc eſt: Licèt enĩ tam labor & induſtria, quàm humana opera & diligentia in ſacramentorum adminiſtratione, & euangelicæ gratiæ prędicatione, ſint temporalia quędam: quia tamen æſtimandorum eorum ratio eſt aliquid ſpirituale, haud eſt fas illa aut vendere, aut mercede locare: id quod de ſacro oleo, necnon ſancto chriſmate cõſtat: quorum quodlibet eſt aliquod corporale: quia tamen non æſtimantur, niſi ſanctitatis eis additę reſpectu, nullo modo ea vænundari, vera pietas patitur. Nullus enim rem adeò per ſe paruam atq; vilem tam magno pretio compararet, niſi pro eius ſanctitate obtinenda. Præterea, is cui ſpiritualis poteſtas cõmittitur, ad commodum eius vſum, in diſpenſandis ſpiritualibus rebus ex ipſa cõmiſſione ſuopteq; officio obligatur: ſi aliquid igitur pro eiuſdem poteſtatis vſu recipiat, non intelligitur operas ſuas locare, quas ex ſuſcepto officio impendere debet: ſed ipſum ſpiritualis gratiæ vſum vendere, meritò præſumitur. Eccleſia ideo huiuſmodi operarum locatarum pacta iniri vetat, quia ſuapte natura ſunt iniqua: & non è contrario cenſentur ſimoniaca, quia ſunt prohibita. Per ſe (inquam) talia ſunt & illicita & impia. Quid? quòd etſi nonnulli è regione contendant, tales pactiones nõ natura, ſed lege illicitas eſſe: in iure põtificio eas reprobãte nobiſcũ plenè ſẽtiũt. Nec huic noſtræ ſententiæ adverſatur illud Apoſtoli in priori ad Corinthios epiſtola: Quis vnquam ſuis ſtipendiis militat? Non enim Apoſtolus loquitur de locatarum ſtipendio operarũ, quod mercedis rationem propriè obtinet: ſed agit de neceſſariæ ſubuentionis ſtipendio: id quod ex apoſtolicæ argumentationis concluſione apertè liquet. Poſt multa nãq; ab ipſa rerum natura, & lege, & humana conſuetudine, ac demum ex euangelio grauiter & appoſitè ad id vnum allegata, tandem concludit, licêre diuinæ gratiæ prædicatoribus ex euangelio viuere: idq; ipſum Dominum ordinaſſe teſtatus eſt. Adde quòd ibidem apoſtolus ipſe declarat, de illorum vſu ac eſu quæ huic vitæ degendę ſunt neceſſaria, procul dubio accipienda eſſe illa Domini verba, Dignus eſt

eſt operarius mercede ſua. Id quod idẽ magiſter cœleſtis clarius apud Matthęum expreſsit, dicens: Dignus eſt operarius cibo ſuo. Facit & ad idem, quod dominus apoſtolis ſuis ſine ſacculo & pera ad euangelium prædicandum emiſsis, cibum potumq́;, id eſt cotidianæ ſuſtentationis ſtipendium ab auditoribus capere præcepit. Enimuerò iam accedat tertium proloquium. Quæcunq; temporalia, quæ non per ſe ſed per accidens ſpiritualibus accedunt, rectè poſſunt pacto cõſtitui. Etenim illa regula, Acceſſorium ſequitur principale: eſt accipiẽda de eo, quod per ſe, nõ autem per accidens, principali accedit. Et profectò ex ordinis ſuſceptione ad accidenter ei coniunctum nullus ſacerdos eſt obligatus: ideoq; de nouo ſeſe ad illud præſtandum adſtringens, ſui obligationem ad illud temporale ſpirituali per accidens accedens, interpoſito pacto iuſtè locare valet. Quã ob rẽ conſtat, ſacerdotem probè locare poſſe ſui ipſius perſonæ obligationem, per quam ſemet conſtringit, toties in hebdomade, vel menſe, vel anno, tali loco, atque certo tempore, vel remoto vel propinquo, adſiſtere, vt ibi ad procurantis votum ſacrum faciat: quoniam hæc temporalia ſunt, & quędam notabilia proprię libertatis impedimenta, atq; ex accidenti ſacris functionibus adiuncta. Ex quo etiam colligitur, diuitem quoq; ſacerdotem hac ratione, ſi non ſit aliunde reddendo miniſterio obligatus, ad id alicubi præſtandũ, operas ſuas locare abſq; crimine poſſe. Eſto teneatur puſillorum offendiculũ vitare, auaritiæ malum pellere, ab omni ſpecie mali ſe prohibere, & quod ei ſuperfuerit, in vſus pauperum diſtribuere. Quod ſupereſt, inquit, date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis. Si tamen illa iure tuo, & nullius cum iniuria dederis. Poſtremò ex modò explicatis illud quandoq; aperitur, ſacerdotem diarium, qui non per notabile tẽpus, ſed ad horam prout occurrit, qui ab eo petat Miſſam celebrandam, officium exhibet, non poſſe eiuſmodi operas pretio taxare: quia ille non plus temporis in faciendã re diuina inſumit, quàm id quod ad eam peragendam per ſe exigitur: & ideo non eſt ab actione ſpirituali ſeiungendum, cùm ſit ei coniunctum velut intrinſeca ipſius menſura. Pii deniq; & modeſti ſacerdotis eſſe arbitror, ſibi ab his temporariis lucris, quantum humana infirmitas patitur, temperare: ſemperq́; illud Domini præceptum, Gratis accepiſtis, gratis date, mente verſare: nè illa diſpenſatione, quam ille declarauit dicẽs, Dignus eſt operarius mercede ſua, ad explẽdam ſuam ipſius auaritiam, abutatur. Medio deniq; ô diuine miniſter tutiſsimus ibis, ſi inter indigentiam, & abundantiam, eo quod re vera ſatis eſt, contentus vixeris. Id quod præſtare curabis, ſi animaduerteris illud quod apud Lucam dominus pronuntiauit, Dignus eſt operarius mercede ſua, non ad pręſens tantùm, ſed etiam ad futura præmia referẽdum eſſe. Gregor. *Nam vt doctè Gregorius ait, ſunt enim iam de mercede operarii ipſa alimenta ſuſtentationis, vt hic merces de labore prædicationis habeatur, quæ illic de veritatis viſione perficitur. Qua in re conſyderãdum eſt*

quòd

quòd vni noſtro operi duæ mercedes debentur. Vna in via, quę nos in labore ſuſtentat: altera in patria, quæ nos in Reſurrectione remunerat. Merces igitur, quę in pręſenti nobis datur, hoc in nobis debet agere, vt ad ſequentem mercedem robuſtiùs tendatur. Verus ergo quiſq; prædicator, non ideo prædicare debet, vt in hoc tempore accipiat: ſed ideo mercedem recipere, vt prædicare valeat. Quiſquis nanq; ideo prędicat, vt hic laudis vel muneris mercedem recipiat, ęterna mercede ſe priuat. Paulus item domini ſententiam animo verſans, in priori ad Timotheum epiſtola præſcribit vt eccleſiaſticis miniſtris pro eorum dignitate quotidiana ſtipēdia à fideli populo præbeantur. Qui bene, ait, pręſunt preſbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim ſcriptura, Non alligabis os boui trituranti. Et, dignus eſt operarius mercede ſua. Super quo Ambroſi. pulchrè
Ambroſ. *tradit: Boni enim diſpenſatores ac fideles non ſolùm honore ſublimi debent digni iudicari, ſed terreno, vt non contriſtentur indigentia ſumptuum, ſed magis gaudeant fide ſua & doctrina. Inſtantior enim fit, ſi non minetur inopia: & creſcit in illo autoritas, cùm videt ſe etiam ĩ præſenti laboris ſui fructum percipere, non vt abundet, ſed vt non deſit. Tanta enim merces debetur euangelizantibus verbum Dei vt inde penuria non contriſtentur, nec abundā*
Auguſti. *tia extollantur. Hinc & Auguſtin. Neceſſitatis eſt accipere, charitatis eſt prębere: non tamen vænale eſt euāgelium, vt pro his prædicetur, ſed pro æternis. Si enim ſic vendunt, magnam rem vili vendunt. Accipiant ergo ſuſtentationem neceſſitatis à populo, mercedem diſpenſationis à Domino. Non enim à populo redditur quaſi merces illis, qui ſibi ĩ charitate euāgelii ſeruiūt: ſed tantùm ſtipendium datur, in quo, vt poſſint laborare, paſcantur.*

Caſus cuiuſdam exacta diſcuſſio, ad Simoniacā labem intercidendam pertinens.

FVIT nobis olim caſus propoſitus, vt ſuper eo, quid nobis videretĩ, ſimpliciter diceremus. Is eſt: Petrus, non inquam ille Apoſtolorum princeps, Ioanni cuidam, non quidem illi Euangelii ſcriptori, beneficiū quoddam renuntiauit: Quæritur, vtrùm Ioannes licitè poſſit dare fructus illius beneficii Martino illius Petri filio, vel nepoti, ſibi vſurpandos? Reſpōdemus quòd vel in tranſlatione illius beneficii interuénit ſimonia vel exterior, vel interior, vel neutra. Quòd ſi interuenit ſimonia conuentionalis expreſſa, ſcilicet exterioribus verbis vel ſignis inter dantem & accipientem, de tribuendis Martino, illius beneficii ꝓuentibus, nullo modo licet Ioanni, eos Martino reddere: quia nullū ius habuit percipiēdi tales fructus ſibi, neq; donandi alteri, cùm non habuerit legitimum titulum

quo

quo illud beneficium ſuum ipſius eſſet. Quin potiùs tenetur ad reſtituendos illos fructus, quos receperit, vel dederit alteri, deductis tamen expenſis factis in eis colligendis, aliiſq; conſumptis in eccleſiæ vtilitatem. Imò & ipſe quoq; Martinus ſi Ioannes non reſtituerit, tenetur eccleſiæ oēs fructus inde perceptos reddere, ſi pactum nouit, aut eis factus eſt locupletior: quia nō poteſt hic iuſtè poſſidere, quod ille iure donare nequiuerit. Siquidem minimè licuit Petro, transferre in Ioannem illius beneficii titulum, appoſita cōditione, quòd eius beneficii fructus nepoti ſuo traderentur. Nefas enim eſt, vt pro tēporali bono, ſpirituale commutetur. Præſertim id prohibente Domino, cùm ait: gratis accepiſtis, gratis date. Quin etiam Ioannes ille tenetur, in ſuperioris manu idem beneficium reſignare, vt docet ſanctus Thomas articulo ſexto quæſtionis centeſimæ, ad ſecundam ſecundæ, in ſolutione ad tertium argumentum. Si verò fuit ſimonia tantùm mentalis, nullo exteriori ſigno manifeſtata, ſed ſola intentione & interiore voluntate perpetrata: ſunt authores non contemnēdi, tam Theologi, quā Canoniſtę, dicentes in hoc quoq; caſu teneri Ioannē ad reſignandum beneficiū, & ad fructus ex eo perceptos reſtituēdos: eò quòd talis ſimonia, tam iure naturali, quàm diuino ſit prohibita. Sed his reſpondet Caietanus, quòd in ſimonia mentali actus exterior ſecundùm ſuam formam non eſt prohibitus: quia nulla interuenit commutatio ſpiritualis pro temporali, licèt interiori actui accedat malitia emendi & vendendi alterū pro altero. Et quia talis beneficii datio & acceptio non eſt illicita per ſe, ſed tātùm per accidens, & ideo ex tali datione Ioanni non prohibetur acquiſitio legitimi tituli, ac perinde habet ius recipiendi eiuſdem beneficii prouētus. Huius enim ſententiæ eſt ſanctus Thomas in ſolutione ad ſextum prædicti articuli, dicens quòd quo ad deum, ſola voluntas facit ſimoniacum: ſed quo ad pœnā eccleſiaſticam exteriorem, mētalis ſimoniacus nō punitur vt ſimoniacus, vt ab renūtiare teneatur: ſed de mala intentione pœnitere. Quem ſequūtur & alii egregii doctores, innixi illi capitulo, mādato. extrà, de ſimo. Vbi Gregorius Nonus inquit: Ad reſignationes ſpiritualium & temporalium quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente vtrinque taliter acquiruntur, in quo caſu delinquentibus ſufficit, per ſolam pœnitētiam ſuo ſatiſfacere creatori, eos pro ſimonia huiuſmodi, non teneri dicimus. Deniq; magna eſt hac de cauſa inter autores controuerſia, quam decidere, nō opis eſt noſtrę. Verùm ſicut qui ſententiam ſancti Thomæ ſecutus fuerit, videbitur quòd non ſit ad contrariam impellendus: ita neq; qui priorem ſecutus, beneficium & fructus eius à ſe ablegauerit, potiùs fecit quo laudetur, quàm quo reprehendatur. Et hoc quidem haud vtique prçciperem, ſed conſulerem: non vtique vt illi laqueum inniicerem, ſed vt lōgius à periculo diſcederet. Etenim putârim equidem, quòd in caſu huiuſmodi ſimoniæ mētalis, nō licebit Ioanni donare Martino Petri nepoti eiuſmodi beneficii bona, ſi ea donatio habeat ſpeciem

mali, proximis noxium, videlicet ſi ex ea ſequatur ſcandalum, id eſt, grauis apud probos viros ſuſpicio, quod inter Petrum & Ioannem fuit expreſſa verbis vel aliquibus ſignis inuicem cognita conuentio, de tribuendo Petri cognatis beneficiales prouentus. Scriptū enim eſt, Ab omni ſpecie mala prohibete vos. Et illud, Si ſcandalizatur frater meus, non comedam carnes in æternū. Et Dn̄s cōminatur, Vę homini illi, per quē ſcandalū venit. Quòd ſi in collatione talis beneficii neutra interceſſit pactio ſimoniaca, nec vlla grauis de labe ſimoniaca ſuſpicio, de talium bonorū donatione ſuboriatur, licebitne illa Martino à Ioanne donari? Sanè diſtinctione eſt opùs vt benè reſpōdeatur. Nam ſi ille Petri nepos eſt diues, aut nihilo indiget, ad perſonæ ſtatusq; ſui ſuſtentationē, nullo mō ſunt et illa tribuēda: quoniā eccleſiaſtica bona in ſolos vſus eccleſiarū, & clericorū & pauperū aliorūq; piorum operū duntaxat, expendenda ſunt. Si verò ſit ille pauper, fas eſt ei, ex illis bonis ſubuenire: imò potiùs & ampliùs eidem, quàm alteri tribuendū. Hoc eñ tum æquitatis, tū gratitudinis ratio depōſcit. Confirmatur deniq; prædicta authoritate ſancti Thomæ in articulo quinto quæſtionis priùs citatę ad ſecundū reſpondentis. Si aliquis aliquid ſpūale alicui conferat, gratis propter conſanguinitatem, vel quancunq; carnalē affectionē; eſt quidem illicita & carnalis collatio: non tamen ſimoniaca, quia nihil ibi accipitur. Vnde hoc non pertinet ad cōtractum emptionis, vel venditionis, in quo fundatur ſimonia. Si autem aliquis dat beneficium eccleſiaſticū alicui hoc pacto vel intentione, vt exinde ſuis cōſanguineis prouideat, eſt manifeſta ſimonia. Quin etiam ſecundum eũ ſi detur beneficium conſanguineo, vt conferens illud magnificetur, vel fiat potentior, vel eius parentela exaltetur: aut aliquid aliud huiuſmodi prætēditur: procul dubio ſimonia committitur. Siquidem dans, reſpicit rem temporalem, pro ſpirituali obtinendam. Si autem quis cognato vel amico det potiùs, quàm extraneo beneficium, quia eſt eò tam dignus & idoneus quàm alter, non peccat: imò benè facit. Quia cęteris paribus, quiſq; poteſt in talibus rebus diſtribuendis, cognatos & amicos aliis præferre: dummodò nō oīa in illis coaceruet, ſed aliis pro ſua cuiuſq; dignitate ſua portio ſeruetur: Qua in re à quibuſdam prælatis plurimùm abberrari ſolet: qui omnia beneficia ſuis cognatis quãuis indignis & ineptis, prætermittentes dignos & idoneos, contra ius & fas, auenter condônant. Ex ſupradictis demū forſan compertū eſſe poterit, quàm prauè agūt iſ qui eccleſiaſtica bñficia aliorū quorūlibet, vt aiunt, capitibus deponunt, vt ea interim dum deponentium nepotes adoleſcunt, in ſe ſuſtineant, vt adultis conferāt. Talis enim pactio ſiue expreſſa ſiue mētalis, Do vt des, iniuſta & impia eſt: & vt quidam exiſtimant ſimoniaca, atque eccleſiæ Chriſti, vt experimento conſtat, valde pernicioſa. Sic enim fit vt veluti hæreditaria ſucceſſione acquiratur beneficia, & plurima poſſideat qui nec vel vno dignus eſt & idoneus: ac perinde multi tum digni, tum

diſtributiões pro omnibus horis. Hen. in cap. quia nonnulli. de cler. non reſid. quia talia ſtatuta & cõſuetudines grauant eccleſias, & tendant ad diminutionem cultus diuini. Ad hoc. c. ex parte. de cõſti. c. 1. de conſue. in cuius fauorem fuerunt introductę diſtributiones quotidianę, vt beneficiati faciliùs conuenirent ad diuina. ar. Cle. ſi Dñm. in fin. de reli. & vene. ſanc. & ex ambitione procedunt: Ad hoc. ff. de decre. ab or. fa. l. ambitioſa. de conſti. c. cùm oẽs. Et quia denarius diurnus non debetur niſi integrè tota die operanti. d. c. quia nonnulli. de magiſ. ſuper ſpecula. & quia darent materiam vagãdi aliis horis, ſic peccãdi. ad hoc. c. ex parte. de cõſue. no. Guil. & Geſ. in Cle. 1. de celebra. Miſſ. vbi etiam dicunt, q. ſi in eadẽ ciuitate ſunt tres eccleſię collegiatę, in quarũ vna ſic ordinauerũt Canonici, q. qui erit in matutinis lucrabitur oẽs diſtributiones deputatas aliis horis ac ſi in eis ſingulis intereſſet. In alia, qui ĩ veſperis, idẽ. Et in reliqua, qui in Miſſa, idẽ. Et ſic, qui eſſet canonicus earũ omniũ lucrari poſſet oẽs diſtributiões eorũ, & omniũ horarũ vna die. quod huiuſmodi ſtatutum non valet, per ea quę dicta ſunt: & hic patet. Hen. in. c. de multa. de præben. Alber. in tract. ho. q. 24.

Vtrum Miſſa pro duobus celebrata tantum valeat vtriuis eorum, quantũ ſi pro eorum alterutro ſeorſim celebraretur.

Articulus Primus.

HAEC profectò quæſtio quantùm eſt ardua & implexa, tantùm eſt explicatu neceſſaria, & ſcitu digna. De qua cùm ſint varię authorũ ſententiæ, eam præcipuè nunc Deo duce ſequar, quæ mihi cõmodior ac tutior viſa fuerit. Pro cuius dilucidatiõe primùm notare cõuenit, Miſſã trifariã expendi poſſe: videlicet quatenus eſt & ſacramẽtum, & ſacrificiũ, & precatio. Secũdò conſiderandũ eſt, Miſſę fructũ æſtimari ex re ipſa, &, vt ſcholaſtici loquũtur ex ope operato: vel ex operãtis effectu, qui eſt vel eccl'ia, vel eius miniſter, vel fidelis quiſpiã, qui Miſſam faciendã procuret. Suppouatur & tertiò, eiuſmodi fructũ eſſe multiplicẽ, delectationẽ videlicet ſpũalem, meritũ amplioris tũ gratię tũ glorię, petitorũ impetrationẽ, & debitorũ ſatiſfactionẽ. Cõſtare quartò oportet eundẽ Miſſę fructũ multifariã accõmodari poſſe, generaliter. ſ. & ſpecialiter, & ſpecialiſſimè: & vtiq; ad ſacerdotẽ ſacrũ facientẽ fructus ille ſpecialiſſimè pertinet. Generaliter autẽ attribuitur toti eccleſiæ, id eſt, vniuerſis atq; ſingulis corporis Chriſti membris: ſpecialiter demũ cõuenit ille alicui pſonę per quandã ſpecialem applicationẽ, profectã ex particulari intentione atq; deuotione, tum fidelis Miſſã pro ſe celebrandã procurãtis, tum ſacerdotis eam pro illo offerẽtis. Secũdũ quam quidẽ deuotionẽ & charitatis feruorem, tam Miſſam procurans, q̃ celebrãs, eius fructus fiunt participantes: vt docet. S. Thom. 3. Summæ libro. q. 79. art. 5.

Articulus Secundus.

*POſſe autem ſacerdotē cele-
brantem applicare aliquo
modo alicui certæ perſonæ
virtutem ſacrificii, probat
Scotus duplici authoritate Auguſt.*
Auguſti. *Altera in Enchiridio. Non eſt,ait,ne
gandū defunctorū animas releuari,cùm
pro illis ſacrificiū mediatoris offertur.
Ex quo cōſtat, tum ꝙ celebrans pōt de
functis accōmodare hoc ſacrificiū, tum
ꝙ ipſi defuncti ipſo oblato à pœnis rele
uantur. Altera,q̃ habetur in ſermone
de cathedra. S. Petri: Oſtendā, inquit,
qua ratione animas defunctorū iuuare
poſſunt ſacerdotes. Adhibeant pro eis
ſanctorū preces, & ſacerdotali eos ꝓſe
quutione Dño cōmendēt. Iuuātur ergo
animæ defunctorū, hoc ipſo ꝙ ſacerdos
eis ſacrificii virtutē applicat. Eſtq́; id
congruentiſſimū. Nam ſi in magna do
mo nō decet patrēfamilias per ſe exequi
cuncta, quæ domeſticis ſunt diſtribuēda
ſecundū eorum tum exigentiā, tum indi
gentiam: ſed ea per miniſtros ei muneri
obeundo ꝓfectos peraget: multò magis
in eccleſia dei, q̃ eſt domus eius, oportet
eundē ordinē ſeruari: & per ſacerdotes
qui ſunt miniſtri Chriſti in celebrando
euchariſtię ſacrificio virtutē eius illius
familiaribus vel diſpēſatoriè, vel diſpo
ſitiuè accōmodari. Pertinet itáq; ad ma
ieſtatē Chriſti, vt quædā adiunctis ſibi
miniſtris ꝑficiat. Attinet & ad magni
ficā miniſtrorū dignitatē, vt in rebus to
tius naturæ vim ſuperātibus, ipſius dei
cooperatores fiant. Nihil enī homini di
uinius cōtingere pōt, q̃ diuinitatis fieri
ſuopte modo participē: nec excellētius,
quā Dei fieri cooperatorē: & idcirco
quanq̃ non ſit cuiuſlibet inſtrumenti ap
plicare huic vel illi prīcipalis agētis in-
tentū opus: tñ inſtrumenti animati qua-
lis eſt ſacerdos, excellentē in eccleſia di-
gnitatis gradū habens, intereſt non ſo-
lùm ſacrificiū offerre Deo, ſed etiā eius
accōmodare efficaciam. Siquidē eſt di-
ſpenſator myſteriorū Dei. Ex quo fit,
vt quanuis ſacerdos gradū illum gra-
tiæ perſonalis, quē ipſe ſibi acquirit ex
euchariſtiæ conſecratione, eiuſq́; deuo-
ta ſumptione in aliū trāſferre nequeat:
poteſt tamen alios fructus ſacrificii, vt
miniſter eccleſię & diſpēſator myſterio
rum Dei, aliis accōmodare: tum diſpen
ſatoriè vt tribuātur dignis, tū diſpoſiti
uè apud Deū interpellādo, vt illius gra
tia pręuēti diſponantur indigni, qui di-
gnificati eorundē fructuū participes fi
ant. Sed de applicatione huius valoris
Miſſæ ſpecialiſſimi, imò & generalis,
poſteà exactiùs dicetur. De ſpeciali au
tē difficultas eſt nūc explicāda. Dice-
ret fortè aliqs ſacerdotē habere quidē
facultatē applicādi Miſſæ fructū, ſed
non eſſe ratā eius applicationē, niſi certę
volūtatis diuinæ limitationi, quæ eſt
munerum ſpiritualiū autor, ad amuſſim
cōſentiat. Sed non eſt ita. Nam cū De
us id ſacerdotibus reuelare nō ſoleat,
nunquā ſacerdos certus eſſet, applicatio
nē, quā facit, efficacē eſſe. Dicendū igi-
tur eſt, ſacerdotē nō ſolùm habere facul
tatē applicādi ſacrificiū, ſed habere eā
quodāmō illimitatā, vt pro volūtate ſua
applicetur illud oībus ac ſingulis, ſicut
fuerit applicabile. quid? qđ nō ſolū Miſ
ſæ celebrator, ſed etiā procurator pōt p*

ſuam deuotionem ſpecialiter applicare ſacrificium à ſe procuratũ, viuis, vel defunctis quibus voluerit. Sicut & orationes, & ieiunia, & eleemoſynas, quas pro eis fecerit. Sunt autẽ quædã applicatiões iam factę, quas violare nõ licet. Curati enim recipiẽtes decimas obligati ſunt ſuis parochis, vt ꝑ eis ſacra ſpecialiter faciãt. Obligati ſunt & Canonici ĩ eccleſiis ſuis, & oẽs ſacerdotes, qui in eccleſiis collegialibus reſident, vel in aliis collegiis degunt, tenentur pro collegiis, & collegiorũ inſtitutoribus Miſſas celebrare. Hac eadẽ ratione religioſi obnoxii ſunt ad orandũ & ſacrificandum pro iis qui monaſteria inſtituerũt, eorũq; habitatoribus neceſſaria victui & veſtitui reliquerunt. Quin & religioſi, qui ex mẽdicimonio viuunt, pro benefactoribus eis eleemoſynas porrigentibus ſacrificia & oratiões Deo offerre, tum diuino, tũ naturali iure, imò & legitimo pacto, atq; rationabili, vel expreſſo, vel tacito, idẽ præſtare tenetur. In quo ſacerdotes, qui nulli eccleſiæ, aut capellę ſunt aſtricti, liberiorẽ habent facultatẽ applicandi Miſſam, cui voluerint: niſi diario, vel menſtruo, velannuo ſtipendio conſtringãtur ad diuinum officium in aliquo loco & tẽpore pro aliquo celebrandũ. Quod ſyncerẽ & integrè ꝑſoluere debet, iuxta rationabilẽ ac legitimã vtriuſq; tam procurãtis, q̃ celebrãtis Miſſam, intentionẽ, vt fiat velut mutua vtrinq; cõpenſatio: & aliorũ copia aliorum inopiã ſuppleat, dum ſeminantibus corporalia, ſpiritualia accommodantur. Sicut Apoſtolus in capite nono prioris ad Corinth. epiſtola luculentè docet. Quid ſi ſacerdos ab vno accepit ſtipendiũ, & alteri ſacrificiũ applicet? vtri eorũ valebit? Reſponſio ſanior videtur: Quòd ſi talis ſacerdos ſit eccleſiæ rector, qui pro populo ſacrificare tenetur, nequit de iure alteri, q̃ populo applicare: & ſi alteri applicauerit, nihil ei ꝓderit, ſed populo, cui eſt publicè aſtrictus. Quia ſicut valorẽ Miſſę generalẽ non põt alteri accõmodare, q̃ toti eccłię vt ei valeat: ita nec valorẽ ſpecialẽ q publica obligatiõe populo debetur. Quòd ſi fuerit ſacerdos obligat⁹ obligatione particulari alicui certæ pſonæ de ſacrificãdo pro ea, & alteri ſpeciale ſacrificiũ applicauerit: huic & non illi proderit. Quia neutri eorũ niſi ex applicatione actuali valere põt. Sed applicat in caſu poſteriori, & non priori: ergo poſteriori ꝓdeſt. Siquidẽ ſacerdos eſt dñs ſacrificii, quantũ ad eius executionẽ, & accõmodationẽ: niſi forte dicatur, ſummũ ſacerdotũ principẽ Chriſtũ Ieſum corrigere perfidi ſacerdotis malitiã, & ei cui legitimè debebatur, ſacrificii fructum reddere. Vtcunq; ſit, perfidè agit talis ſacerdos. Ac perinde alteri eorum damnum illatum repetito ſacrificio reſtituere tenetur.

Articulus Tertius.

Delectatio ſpiritualis proueniens ex eo quòd Miſſa celebratur, & offertur Deo in odorem ſuauitatis, cõmunis eſt cunctis in charitate Dei manentibus. Quoniam ſi charitas non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, omnia

omnia facit in Chriſto communia. In Chriſto inquam: Quia omnes Chriſtum diligentes delectautur quacunq; actione, atq; ſancto opere, quæ in Chriſti gloriã fiunt, à quocunq; fiant. Amicus enim vt vult amico bona, ita eo quòd ei adſunt, oblectatur. Quòd ſi quodlibet opus honorificũ Chriſto placet, eſt & delectabile diligentibus ipſum: omnibus eis placet, & eſt delectabilis miſſæ celebratio: ſiquidem eadem eſt ſummũ & honorificentiſſimum ſacrificium Chriſto adhibendum. Cui nullum maius ſacrum fieri poteſt, eò quòd in ſe Deum hominem cõtinet. Deducitur autem hinc pulchrum corollarium. Quod? Hoc vtiq;: Quòd quãtum ad hũc ſpiritualis delectationis fructum plus confert Miſſę celebratio meliori pro quo peculiariter non exercetur, quàm minùs bono, pro quo ſpecialiter offertur. Quoniam hoc modo tantũ cuilibet valet Miſſa, quanta eſt eius charitas: ac perinde habenti plus charitatis magis valet, eoq; ampliùs delectatur, & ſpiritualiter nutritur. Et ſecundùm hoc vera videtur opinio Præpoſitini, quòd habens ampliorem charitatem ampliùs de quolibet bono in Deum relato delectatur: & plus ei placet, & prodeſt. Et eſt aptiſſima ſimilitudo, qua vtitur ad id oſtendendum. Quæ talis eſt: Sicut ſi candela accendenda pro aliquo diuite illuminando, lucendo non minùs prodeſt aliis præſentibus cum eo manentibus, quàm ipſi diuiti: imò & ampliùs ſi cęteri oculos habeant perſpicaciores: ita & bonum opus cùm ſit luminoſum quoddam ſpiritale, non modò affulget ei pro quo fit, ſed etiam aliis ſpiritu pręſentibus, & charitate coniunctis: tantoque magis prodeſt cuilibet, etiamſi pro eo ſpecialiter non offeratur, quanto eſt per lumẽ vel fidei, vel glorię perfectior & per charitatem efficacior, atq; capacior ad percipiendum gaudium de conſummatione corporis Chriſti. Ex quo & illud ſequitur, quod eſt, vt ait ſanctus Doctor quęſtione tertia ad quadrageſimamquintam diſtinctionem libri quarti Sententiarum: Beatus ſuperior plus gaudet de inferioris bono, quã inferior ipſe de eodem ſuo ipſius bono. Thomas. Adſcribam verba eius: quãuis, inquit, in regno cœlorum minor gaudet non ſolùm de bono ſuo, ſed etiam de bono ſuperioris: non tamen tantùm gaudet de eo quantùm ſuperior: quia ratio gaudii in omnibus erit Deus: & ideò quanto aliquis plus gaudet de Deo, tanto plus gaudebit de quocunq; alio. Vnde ſuperior plus gaudebit de bono inferioris, quàm ipſe inferior. Eſto quòd inferior intenſiùs minori ſuo bono delectabitur, quàm maiori ſuperioris bono: non modò quia natura ſibi proximior eſt, ſed etiã quia charitas ſicut priùs, ita & vehemẽtiùs inclinat habẽtem ſe ad ſe in deo & propter deum diligendum, quàm quemuis alium pręter Deum: licèt latiùs oblectetur de ampliori alterius gloria, quã ſua: ſicut eſt illa maius charitatis obiectum: ſicut docet ſanctus Thomas in tredecimo viceſimæquartę quæſtionis ad ſecundam ſecundi partem articulo. Ex quo & illud probabile videtur, quòd ſecundùm amorem concupiſcentiæ charitate tamen formatum, eſt Miſſa illa delectabilior ei pro quo ſpecialiter cele-

bratur, quàm alijs, licèt charitate perfectioribus. Quia cùm valor illius ſecundum talem applicationem ſit ſolùm illius, cui ex deuotione & intentione tã ipſius, quàm celebrantis ea ſpecialiter accommodatur, intenſiùs de eâdem gaudebit quàm alter ad quem fructus ille multiplex de eiuſmodi euchariſtia proueniẽs, neq; totus neq; æqualiter pertinet. Siquidẽ vnicuiq; plus eſt amabile propriũ bonum, quàm alienum. His aſſentitur Petrus Paludanus quæſtione ſecunda ad diſtinctionem quadrageſimamquintam quarti libri Sententiarum. Deniq; huiuſmodi interior delectatio, quæ ex ſanctis operibꝰ piis animis accedit, aliter de aliis percipitur. Nam de beatis iam ſpiritibus ſiue humanis, ſiue angelicis eò ſentitur quòd tam ſummo bono, vltimoq; expetendorum fine facie ad faciẽ fruũtur. De iis autem quorum peccata in Purgatorio loco diluuntur, quòd eorum cruciatus minuuntur, tandẽq; omnino tolluntur, vt purgati ad cœlum euolent. De viatoribus demũ, quia bonorũ multiplicatione vel nouiter infuſa, vel addita ſingulis eccleſiæ membris gratia totius corporis myſtici perfectio augetur: & ipſe Chriſtus in quantum homo nouis ſuorum profectibus hilareſcit. Cũcta deniq; credentium bona opera alia aliis inuicem proſunt per mutuam charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis.

Articulus Quartus.

EVchariſtia cùm ſecũdùm rationem qua eſt ſacramentum ſicut alia ſacramenta ſoli ſumenti proſit, dupliciter ei, directè videlicet & comitanter confert. Directè quidem euchariſtia cuilibet ſe dignè ſumenti ad nutrimentum ſpirituale ſemper valet. Quodlibet enim ſacramentum bene ſuſceptum, accipienti ipſum directè valet ad id ad quod eſt principaliter inſtitutum. Euchariſtiæ autem ſacramentũ eſt principaliter inſtitutum ad nutritionem ſpiritualem, quæ per vnionem ad Chriſtum, eiusq; membra perficitur. Caro mea, inquit, verè eſt cibus: & sãguis meus verè eſt potus. Et iterum: Qui mãducat meam carnem, & bibit meum ſanguinẽ, in me manet, & ego in eo. Et iterũ: Qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Porrò Euchariſtia quatenus eſt ſacramentum comitanter confert dignè ſumenti ſe ad remiſſionem nonnunquam mortiferę, ſemper autem venialis, atq; cuiuſlibet pœnę pro peccato debitę. Quòd autem Euchariſtia nonnunquam à peccato lethifero liberet, ex eo primùm patet, quòd tam voto, quàm actu percepta eſt ſumenti ablutio ſcelerũ: ſecundum illud Prophetę non vanè Deum orantis: Ab occultis meis mũda me Domine. Si quis enim nullam criminis conſcientiam habens, nullumq; peccandi lethaliter affectum in corde retinens, cùmq; peccata ſua confitenda vel conterenda perſcrutaretur, aliquod latens inculpatè non inuenit: vel de illo aut non ſingulariter dolens, vel non perfectè dolens, deuotè ac reuerenter ad euchariſtiã accedat: piè creditur quòd charitatis gratiam acquiret, quæ cõtritionem perficiat, & peccatorum remiſſionem conferat. Peccatum item veniale tollit. Siquidẽ

quidem eſt illa ſpirituale nutrimentum ad inſtaurandum id, quod vel deuotionis tempore, vel leui culpa deperditum eſt: Ambroſi. *dicente Ambroſio in libro de Sacramẽtis, Iſte panis ſumitur in remediũ quotidianæ infirmitatis. i. culpæ venialis & teporis ſpũs eam comitantis. Præterea hoc ſacramentum habet, ſicut & cætera, ſalutares quoſdam & gratuitos effectus ex diuina inſtitutione ad efficaciter per ipſum operandum, deo ſe determinante quoties ritè celebratur, & non indignitate contraria, quamuis negatiua percipitur. Eſto quod ſacerdos ipſe anteà in gratia non erat, imò poſito qđ eſt impoſſibile, recepto tamen quod nullus mortalium eſſet in gratia, poſſet hoc ſacramentum in celebrante ipſum non indignè contrariè ad quoſdam ſpirituales effectus concurrere. Sicut Baptiſmus in caſu prædicto ritè celebratus ab infante tollit peccatum originale, & per ipſum gratia infunditur: & in adulto, in quo non inuenit obicem contrariæ voluntatis ſuum habet effectum: videlicet vt emundatum ab omni peccato tã originali, quàm actuali infuſa Dei gratia ſanctificet. Siquidem ad baptiſmi ſubſtantiam nec gratia, nec fides requiritur in baptizante: ſed ſufficit, quòd vtatur debita materia atq; forma, intendens facere quod Chriſtus fieri inſtituit. Mirabilia ſunt hæc, ſed & veriſſima, & totis votis amplectenda: quia mirifica ſunt ſacramenta quę in vi ſanguinis Chriſti Dei & Hominis mirificentiſſimi operantur. Deniq; Euchariſtiæ ſacramento ſiue ritè celebrato, ſiue ritè ſuſcepto; ſemper aliquid pœnę debitę remittitur. Per ipſum enim fit vnio ſumentis ad Chriſtum, eiuſq; membra per charitatẽ, quę eſt res, atque ſpiritualis eius effectus: non modò quã charitas eidem communicato vel infunditur, vel augetur: ſed etiam quando deuotionis feruore dilectio ipſa actu exercetur. Per feruorem autem charitatis non ſolùm culpa, ſed etiam pœna remittitur, multò magis quã actu eidem charitati cõtrario, pœnę reatus contrahatur. Potentius enim eſt bonum, quàm malum. Ex quo & illud clareſcit, quòd quantò charitatis feruor eſt maior, tanto peccati diſplicentia vel formalis, vel virtualis eſt maior: ac perinde illius remiſſio eſt maior: dicente de Magdalena Dño Simoni: Amen dico tibi remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm. Patet itaq; quòd ex deuota euchariſtiæ ſumptione, quãtenus ſacramentum eſt, non ſolùm nutritur & augetur gratia, quę eſt pcipuus eius effectus: ſed etiam interdùm mortalis culpa, & ſemper aliqua venialis ſi adſit deletur, & concomitanter aliquanta pœna remittitur.*

Articulus quintus.

Tam verò ponam aliam propoſitionem de Euchariſtia quatenus eſt ſacrificium. Euchariſtia quatenus ſacrificium, certum quendam & finitum fructum ex ipſo, id eſt ex opere operato affert ei à quo, vel pro quo celebratur, præter eum quem præſtat vtriq; eorum ſecundùm ſuam ipſorum deuotionẽ. Pro hac concluſione firmanda ſunt aliqui prænotanda. Quorum

rum primum ſit: Si miſſa præciſè conſideretur, prout eſt ſacrificium, & oblatio quędam, poteſt eius valor dupliciter ęſtimari. Vno modo abſolutè ſecundũ ſe quatenus eſt oblatio Chriſti Ieſu: & victima quę offertur eſt Deus & homo: & ſi quantitas huius ſacrificii eſt infinita valore, ſicut res in eo contenta eſt infinita perfectione: ac perinde hoc ſacrificium ſimpliciter in ſe æſtimatum eſt infinitè Deo gratum acceptumq́; infinitè placatiuum & ſatiſfactorium, atq; meritorium, Eſt igitur huius ſacrificii effectus quodammodò infinitus, ſicut & Paßionis ipſius Chriſti in cruce morientis. Eſt enim hoc ſacrificium ratiõe contẽti in eo gratius & acceptius Deo quã ſit ei exoſum omẽ pctm̃: & excellẽtius, atq; perfectius, quàm omnis gratia gloriaq́; ſanctorũ ſiue hoĩm ſiue angelorũ. Non tñ cũ offertur in altari à ſacerdote, nẽpę ab homine puro, efficit tantum, quantũ effecit, quando fuit in cruce oblatum à Chriſto, id eſt Deo Homine. Nam illic huius hoſtiæ oblatio fuit illimitati valoris ex perſonę diuinæ maieſtate. Hic verò finiti ex offerentis, vel procurantis finita dignitate. Idcircò ſecundo modo poteſt taxari eiuſdem ſacrificii valor ex parte celebrantis ipſum atq; offerentis, quatenus ab eo ſanctè exercetur, & piè procuratur, & religioſè alicui applicatur. Et hinc habet quoq; acceptionem quandam apud Deum, iuxta illud Geneſeos, Reſpexit Dominus ad Abel, & ad mune- Geneſ.4.
ra eius. Priùs enim ad perſonam, quàm ad ſacrificia reſpexit. Quia ex offerentis pietate ſacrificiũ acceptatur. Hinc etiam illa paupercula vidua, quę duo tã- Luc.21.
tum æra ſiue minuta miſit in gazophylacium, plus omnibus miſiſſe à Dominõ prædicatur: & meritò. Quoniam magno Gregorio teſte, nõ tam pẽſat Deus quantum ab homine offeratur, quàm ex quo animo, & quali deuotione offeratur. Hinc paßio Chriſti accepti ßima fuit Patri, ac infinitè grata: quia promptiſsima voluntate, atq; ſumma deuotione fuit illi oblata. Quam quidem hoſtiã ſi ſolus Iudæus crucifixor obtuliſſet, minimè Deo placuiſſet, ſed maximè diſplicuit. Nam re vera, ſicut quidam cecinit:

Actio diſplicuit, paßio grata fuit.

Ex quo & illud liquet, Euchariſtiam non omnino pleneq́; reſpectu rei contentæ Deo acceptam eſſe vt nouum fructũ præbeat: ſed oportêre de nouo celebrari peculiariq́; actione offerri. Siquidẽ hoc tale tantumq́; bonum in hoc ſacrificio cõtentum, æquale ſibi eſt quando reſeruatur in pyxide, & fideliũ vſui cuſtoditur: & quando denuò in altari conſecratur: & tamen non æqualiter eccleſię cõfert, cùm ſeruatur, & cùm celebratur. Nam ſi tantundem hic & illic valeret, non opùs eſſet ſingulis diebus iterum, iterũq́; celebrari, confici, & offerri. Hæc ita ſe habere author eſt diuus Thomas. Cuius verba placet adſcribere ex articulo quinto quæſtionis ſeptuageſimænonæ ad tertiam partem. Dicit enim: Eucha- Thomas.
riſtia in quantum ſacrificium habet vim ſatiſfactoriam, & quantum ad quantitatem oblati, & quantum ad donationẽ hominis offerentis: ſed in ſatiſfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm

quàm quantitas oblati. Et è veſtigio infert: Quamuis ergo oblatio hæc ex ſua quantitate ex parte rei contentæ ſufficiat ad ſatiſfaciendum pro omni pœna: tamen fit ſatiſfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus ſecundùm quantitatem ſuæ ipſorum deuotionis. Et eâdem quæſtione Articulo ſeptimo ad ſecundum, idem autor inquit: Sicut paſſio Chriſti prodeſt quidem omnibus quantum ad ſufficientiam, & ad remiſſionem culpæ, & ad adeptionē gratię & glorię: ſed effectum nō habet niſi in illis qui paſſioni eius cōiunguntur per fidem & charitatem: ita & hoc ſacrificium, quod eſt memoriale paſſionis Dominicæ, non habet effectum, niſi in illis qui coniunguntur huic ſacramento per fidem & charitatē. Vnde & Auguſtinus dicit ad Renatū: Quis offerat corpus Chriſti niſi pro his, qui ſunt membra Chriſti? Vnde in Canone Miſſæ non oratur pro his, qui ſunt extra eccleſiam. Illis autem prodeſt plus, vel minùs ſecundùm modum deuotionis eorum.

Auguſti.

Vult dicere ſanctus Thomas, quòd ſicut infinitus effectus Chriſti crucifixi eſt ſecundùm ſufficiētiam, & ad omnes homines & ad vniuerſos glorię & gratiæ gradus extenditur, & non ſecundū efficientiam: quia non omnes vocati ad eum veniunt: neq; omnes venientes eodē deuotionis gradu accedunt. Concurrit enim ſecundùm naturam cauſę vniuerſalis indeterminatę, & ſecundum ſe non determinatæ ad hūc vel illum, ſiue hominē, vel gradum: ita & hoc ſacrificium ex ſua ipſius ratione eſt infinitę ſufficientiæ, & indeterminatæ efficaciæ. Et ſicut efficacia paſſionis Chriſti determinatur ad hunc vel illū per aliud atq; aliud ſacr̄m: ita efficacia huius ſacrificii dirigitur ad hunc vel illum ſiue fidelem, ſiue gratiæ gradum per hanc vel illam deuotionem. Ex his manifeſtè patet, quòd neq; ex parte ipſius ſacrificii id eſt ex opere operato, neq; deuotione operantis vlli hominum applicatur tota eius virtus, quæ eſt infinita. Alioqui vna ſola Miſſa aliquis eriperetur, à tota Purgatorii pœna: nec vn⁹ potiùs aut citi⁹ quā ali⁹ inde liberaretur: imò & toti mūdo vnica Miſſa ſufficeret, & fruſtra adhiberentur aliæ pœnitētiæ ſatiſfactorię. Caietanus autem tenet, quòd ſacrificiū Miſſæ non ſolùm non habet effectum in aliquo ſingulari infinitum, ſed neq; finitum ex opere operato. Quia cùm ſit infinitę virtutis, non habet ex ſe vnde definiatur ad finitum effectum, ac perinde non eſſet aſsignabilis ratio, quare tātam & non maiorem ſatiſfactionem pręſtaret. Sed hic nodus facile diſſoluitur, aſſignando pro cauſa diuinam voluntatem, quæ potuit, & voluit definire huic ſacrificio propter eius excellentiam certum ſatiſfactionis gradū, ſecluſa deuotionis ratione. Sicut fecit in ſacramēto baptiſmatis: quod ex opere op̄ato habet certos & finitos effectus, quos efficit in regeneratis infantibus abſq; vlla eorum deuotione. Vt quemadmodùm Euchariſtia put eſt ſacr̄m certā gratiā ex opere op̄ato indignè ſuſcipiente efficit: ita & ſecundū q̄d eſt ſacrificium finitam quādam ſatiſfactionē quantā Deus vo luit & nouit operatur. Et q̄uis olim in publica quadam diſputatione Caietani

ſententiam

ſententiā tanquam probabilem tenuerimus: hęc tamen nobis videtur probabilior, quam cæteri omnes autores comprobant. Et profectò huius ſententiæ videtur eſſe ſanctus Thomas ſuper diſtinctione quadrageſima quinta quarti libri Sententiarum, quæſtione ſecunda, articulo primo quæſito tertio. Vbi propoſita quęſtione, Vtrū ſuffragia facta per malos mortuis proſint, reſpondet: Quòd in ſuffragiis quę fiunt per malos duo poſſunt conſiderari. Primū. Ipſum opus operatum: ſicut ſacrificiū altaris. Et quia noſtra ſacramenta ex ſeipſis efficaciam habent abſq; opere operantis, quam æqualiter explent per quoſcunq; fiant, quantum ad hoc ſuffragia facta per malos defunctis proſunt. Animaduertēdum autem, quòd ſanctus Thomas arguit hic ab efficacia ſacramenti ex opere operato, tanquam à notiori ad ſimilem ſacrificii efficaciam tanquam minùs notā. Alioqui nihil probaret. Quia ſacramentum non habet efficaciam ex opere operato niſi in eo, qui illud præcipit: ſacrificium autem defuncti non recipiunt in ſe. Sed fructus eius ex opere operato ad eos peruenit ex Chriſti inſtitutione, volentis quòd hoc maximū & ſummum ſacrificium ſemper habeat aliquem effectum, etſi omnes offerentes ſint peccatores. Præterea in eadem quæſtione articulo quarto, ponit differentiā inter ſacrificium Miſſæ & alia ſuffragia. Quòd alia ſolùm ex opere operantis defunctis proſunt: hoc autem etiā ex opere operato. Quid? quod idem ſanctus Thomas in articulo quinto ex tertia parte ſuperiùs allegato, non tam abſolutè quàm comparatiuè loquitur, dicens: In quantum verò Euchariſtia eſt ſacrificiū, habet vim ſatiſfactiuam: ſed in ſatiſfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis. Et in reſponſione eiuſdem articuli ad ſecundum, dicit: Quòd alia ſacrificia & oblationes non operantur remiſſionē totius pœnę, neq; quantum ad quantitatem oblati, ſicut hoc ſacrificiū; neq; quātum ad deuotionem hominis: ex qua contingit, quòd etiam hic non tollitur tota pœna. Quare probabilius eſt hoc ſacrificium quoties celebratur habere ex ſeipſo certum quendam & finitum effectū ex clemētia diuina præſcriptum, præter eum fructum, quem præſtat iuxta deuotionem procurantium, aut ipſum celebrātium. Eſto quòd ſanctus Thomas videatur quorundam verborum ſpecie fructū illum determinatum deuotioni tantùm celebrantis, vel procurantis, & aliorum deuotioni attribuere, & non ipſi per ſe ſacrificio. Fuit enim propenſior in commendando fructum, qui prouenit ex opere operantis, quàm ex opere operato: tū quia nulli conuenit fructus ille ex opere operato, qui non habuerit deuotionem erga hoc ſacrificium: tum quia fructus ex deuotione proueniens creſcit vel decreſcit ſecundùm deuotionis proportionem. Quin & putárim equidem, quòd ſicut adultus ad baptiſmum accedens tanto maiorem gratiam ex vi ſacramenti acquirit, quanto maiori cum deuotione illud ſuſcipit: ita in eo cui Euchariſtiæ ſacrificium accommodatur, tanto maiorem præbet effectum, quanto maiorem erga ipſum deuotionem habet, vel habuit.

Thomas.

habent. Diſtributor enim eiuſmodi fructus eſt Chriſtus, impartiens id quod eſt commune vnicuique ſecundum ſuam dignitatem: id eſt bene affectum voluntatem, & idoneam capacitatem.

Articulus ſextus.

QVotieſcunque celebratur Miſſa, quãdam generali quadã applicatione offertur pro cunctis fidelibus, tam viuis quàm defunctis purgandis, illuminandis, ac perficiendis. Id quod ex Miſſæ Canone conſtat. Sicut enim Chriſtus generaliter paſſus eſt pro omnibus, ſic & ſacrificium hoc paſſionis eius memoratiuum pro omnibus fidelibus viuis ac defunctis generaliter offertur. Et profectò hæc generalis oblatio cuiuſlibet ſacrificii quantumcunque ſpecialiter offeratur, non ſolùm fit à ſacerdote Miſſam celebrante, ſed etiam à toto myſtico Chriſti corpore, & à quolibet eius membro vbicunque ſit. Omnis enim fidelis in communi, actu vel habitu conſentit, & expetit, & exigit, à miniſtris eccleſiæ ſacrificium paſſionis Chriſti memoratiuum in ſalutem omnium credentium quotidie repeti, in peccatorum remiſsionem, & gratiarum augmenta. Hinc & Eccleſia Chriſti ſponſa, & ſalutis credentium diligentiſsima procuratrix, poteſtate à Chriſto accepta, quodlibet Miſſæ ſacrificium quantũuis alicui ſingulari perſonæ à ſacerdote applicetur, illud vniuerſis fidelibus accõmodat, & eis prodeſſe vult. Sic enim fit, vt omnibus ſpiritualis fructus capacibus proſit, vt quilibet eorum dicere poſsit, Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. Prodeſt igitur fructus hic Miſſæ ſatiſfactorius cunctis fidelibus habentibus charitatem. Eſt enim charitas vinculum perfectionis, omnia Chriſti, & eccleſiæ bona ſuis membris communia reddens. Ex quo liquet, iniuſtè excommunicatos eiuſdem generalis fructus eſſe participes. Licet enim eccleſia prohibeat pro publicè excommunicatis ſacrificium publicum celebrari, & pro eis precationes nominatim fieri: non tamen intendit iniuſtè excommunicatos Miſſarum beneficio priuari: neque vetat priuatas pro eis precationes fieri. Si enim id prætenderet, perperàm erraret, eſſetque error poſterior peior priore: vtpote alter ex ignorantia, alter ex malitia ſubortus. Quid ſi illud intenderet ſacerdos? Profectò ipſe iniuſtè excommunicatus minimè deſtitueretur illo fructu generali. Quoniam ſicut iuſta excommunicatio non tollit charitatem, ſed eam per mortiferum peccatum pertinaci animo retentum ſublatam eſſe requirit: ita ſi ſit iniuſta, neque charitatem tollit, neque ſanctorum communionem, neque generalem fructum ex communi ſacrificio prouenientem. Siquidem eccleſia cum, qui per errorem eſt excommunicatus, iuſtè merito, ſed numero duntaxat à fidelium ſocietate excludit, vt diuus Auguſtinus teſtatur. Quòd autem non ſolùm dixi ſed etiam vniuerſaliter dixi iniuſtè excommunicatos

Etenim non

nem non priuare excõmunicatum generalibus ſanctæ eccleſiæ ſuffragiis: vſus ſum communi loquẽdi modo, quo Doctores hac de re diſſerẽtes vulgò vtuntur. Etenim ſiue excommunicatio ſit iniuſta ex ꝑtermiſſo iuris ordine: ſiue ſit iniuſta ex cauſa, quia nulla prætenditur in ſententia: vel ſi prętenditur, non tamen vera: vel ſi vera, non tamen ſufficiẽs, & rationalis: ſi non contineat in ſe errorem manifeſtè intolerabilem: teneat tamen & liget excommunicatum in foro exteriori ſecundùm eccleſiam militantem: quanuis priuet illum ſuffragiis eccleſiæ particularibus faciendis, alioqui publicè ſiue communiter, & ſimul pro eo in eccleſia: non tamen generalibus eum priuat. Si verò talis excommunicatio innitatur cauſæ verè ſufficẽti ac rationabili, feraturq́; ſeruato iuris ordĩe, ex prauo tamen iudicis affectũ pronuntietur: iniuſta quidem eſt ex parte pronuntiantis eam: quia iniuſtè ille quod iuſtum eſt exequitur: nihilo minùs excommunicatũ priuat, tam generalibus quã particularib⁹ eccleſiæ ſuffragiis. Quia eccleſia non intẽdit impartiri ſua bona iis qui ab ea ſunt omninò ſeparati, inq́; ſua pertinacia perſeuẽrant. Si tamen ille pertinax priùs quàm excommunicetur, aut poſtquàm excommunicatus eſt antequàm abſoluatur, interiori pœnitentia ita reſipiſcat vt à pertinacia ceſſet, & charitatem recuperet: licèt particularibus ſuffragiis minimè potiatur, generalibus tamen non priuatur. quæ cuilibet habenti ſpiritum Chriſti diſtribuuntur, propter communem charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis: vt docet Petrus Paludanus quęſtione prima, ad diſtinctionem decimamoctauam libri quarti Sententiarum.

Quòd ſi quæras vtrùm hic generalis fructus æqualiter diſtribuatur vniuerſis fidelibus, tam viuis quam mortuis? Reſpondetur, quòd ſingulis vtrorumque impertitur ſecundùm quandam deuotionum proportionem. Secundùm enim menſuram deuotionis cuiuſque, ei valor ille communicatur. Itáque quòd plus valet ei, qui deuotior aſsiſtit Miſſæ, iuxta illud Canonis ipſius Miſſæ: Quorum eſt tibi cognita, & nota deuotio: nam quia ſacerdos diſtinctè neſcit deuotionis ſingulorum gradus, non valet certa menſura eis illius generalis fructus ſuam cuique portionem applicare: ipſi ſoli Deo, qui merita, gradúſque ſingulorum diſtinctiſſimè nouit eiſdem applicandum, diſtribuendúmque committit. Exiſtentibus igitur in Purgatorio applicatur à Deo ipſo hic generalis fructus ſecundùm menſuram deuotionis, quam dum hanc vitam agerent, erga eccleſiæ ſuffragia habuerunt: non autem ſecundùm illam, quam tunc habent. Quia in illo Purgatorio loco non eſt facultas promerendi, vel commerendi, ſed recipiendi vel cruciatus, vel eorum ſublationem pro meritis, quæ hanc vitam degentes habuerunt. Propterea huius generalis valoris plus impartitur ſacerdoti, qui ſacrum Deo piè facit, quàm ei, qui ꝓcurat illud fieri: & huic, quàm eis qui nominantur: & eis qui nominantur inter ſacra, vt fiebat tempore Auguſtini, quã iis, qui nõ nominãtur:

&

& præſentibus, quàm abſentibus: quia vt plurimũ priores poſterioribus plus actualis deuotionis circa Euchariſtiam habere exiſtimantur. Sed nunquid ſacerdos poterit applicare pro ſua volun tate ampliorem huius generalis fructus portionẽ alicui fideli quàm alteri? Nõ id iure facere poteſt. Quia ipſe offert ſecundùm hanc conſiderationem ſacrificium, vt miniſter eccleſiæ. Cuius nomine fit huiuſmodi applicatio generalis, & non alicuius particularis nomine. Quid ſi id faceret? Certè nihil prodeſſet ei, cui ſic particulariter applicaret: quia peccaret contra rationem iuſtitiæ diſtributiuæ, quæ præſcribit benemeritis pro eorum dignitate eſſe prẽmia re tribuenda. Bonum igitur eſt cùm in alijs, tum in hac maximè generali applicatione ſacerdotem mente ad Deum aſcẽdere, & ad eum remittere hanc com munem fructus ſacrificij cõmoditatem, vt ipſe cuiq; fidelium, quam dignatus fuerit, portionem tribuat.

Articulus ſeptimus.

E*ST & applicatio quædam fructus Miſſæ ſpecialiſſima quæ propria ratione ſacerdoti celebranti conuenit. Sicut enim ſo lus ipſe celebrat Miſſam, quantumuis multi vel illam celebrari procurent, vel ei cùm celebratur deuotè adſint, ſic vt ei ſpecialiſſimus fructus reſpõdeat, neceſſarium eſt. Eſt enim peculiare eius meri tum ſeparatum ab eis, qui nõ celebrant, cui præmium congruens reſpondet. & delectatio peculiaris ex ipſo celebrandi actu augetur, & ĩ eo gratia creſcit, tum ipſius ſacramenti confectione, tum ex ipſius deuota ſumptione. Eſt & ei in primis eiuſdem ſacrificij oblatio pro de bitis pœnis ſatiſfactoria, & oratio petendorum impetratoria. Si tamen ſit in gratia ipſe ſacerdos. Etenim vt ait Scotus, habet idem bonum animi motũ, & elicit opus bonum. Siquidẽ tam oblatio illius, quã oratio procedit à virtu te latriæ, formata per charitatem. Voluntas enim charitate perfecta elicit dilectionẽ Dei ſuper omnia, & ſuipſius, & proximi tanquã ſuipſius, per quam dilectionem imperat ſibi elicere actum deuotionis, & oblationis, & orationis interioris, à quibus imperãtur & exer centur exterior ſacrificij oblatio, & ei coniuncta precatio. Deniq; ille motus animi, qui eſt bona intentio, & illud opus elicitum ſecundùm illam bonam intentionem, non ſunt ita meritoria alteri pro quo quis ſacrificiũ offert aut orat, ſicut ipſi ſacrificanti aut oranti. Nam charitas magis inclinat voluntatem ad eliciendum actum meritorium apud Deum reſpectu eius in quo eſt, quàm reſpectu alterius. & quia ſecundùm charitatis ordinem quiſque habens charitatem magis tenetur velle ſibi bonum meritorium, quàm alteri. Sicut enim affectio naturalis quemlibet inclinat ad amandum ſe potiùs quàm alterum: ita & ſpiritualis affectio inclinat habentem ipſam ad diligendũ ſe potiùs quàm proximum: iuxta illud, Ordinauit in me charitatem. Charitas autem naturalem, id eſt rationabilem dilectionem non tollit, ſed eam perficit.*

Gratia enim natura non tollit ſed conſummat. Secundũ ergo perfectam charitatem quiſq; debet velle actum ſuum bonum priùs, & magis eſſe ſibi meritorium, impetratorium, ac ſatiſfactorium quàm alteri. Et fortè hunc ordinem inuertentes peccant: ſicut multi, qui ex ignorantia peccare videntur, cùm bene affecti in aliquem ei dicunt, Quod tale opus meum in charitate factum, quantũ mihi ſoli valiturum erat, tantum tibi ſoli valeat. Nihilo minùs videtur ſicut ipſe Scotus & alij fatẽtur, quòd ſi quis iuſtus non indiget ſatiſfactione quapiam pro ſuis peccatis omnino quo ad culpam & pœnam ſibi remiſſis, poteſt alteri opus ſuum quatenus eſt ſatisfactorium ſpecialiſſimè applicare: ita vt ſi ipſe parua leuiq; indigeat ſatisfactione, & alter magna atque graui, ſuam alteri accommodare valeat. Siquidem charitatis eſt flere cum flentibus. Denique in merito gratię & glorię forſitã nemini licet detrimentum pati, vt alius gloria, vel gratia creſcat. Nam quòd Dominus charitatis magnitudinem laudans dixit: Maiorem charitatem nemo habet quàm vt animã ſuam ponat pro amicis ſuis, ad iacturam tum corporalium bonorum, tum vitæ temporalis referendum eſt. Quæ omnia cùm pietas ſuadet & ratio exigit, pro ſpirituali proximi bono & vita æterna ei procuranda ſunt exponenda. Sed hac de re latiùs in Centuriis in nomine Anathema, ſcripſimus.

Articulus Octauus.

FRuctus ſpecialis Miſſę quatenus eſt ſacrificium meritorium, impetratorium, ac ſatisfactorium, non ex æquo prouenit omnibus exiſtẽtibus in charitate: ac perinde nõ videtur ſuſtinẽda in hoc ſenſu opinio Præpoſitiui, putantis Miſſam pro aliquo vno celebratã æqualiter valere aliis habentibus charitatem erga Deum & proximũ. Id quod ex his conſtiterit. Etenim humana iuſtitia à diuina emânat: & ex ea, velut ex quodam rectiſſimo exemplari educitur: ſic vt quicquid rectitudinis in humana iuſtitia eſt, in diuina meliori nota reperiatur. Sed apud homines ſi quis creditori pro vno debitore debitum ſoluat, alium à ſuo debito, eidémque creditori debito non abſoluit. Cùm ergo qui Miſſam pro alio ſpeciali obligatione celebrat, Deo Summo creditori debitum reddat, eidem duntaxat & non aliis illa Miſſa prædicto modo proderit. Prætereà hic fructus ſatisfactorius Miſſę de ſe eſt interminatus, neq; alicui accedit, niſi cui accommodatur per intentionem celebrantis, ac deuotionem eam procurantis. Quare cùm vni tantùm ſpecialiter ea Miſſa applicatur, ei tantùm non aliis prodeſt, illa videlicet particulari vtilitate. Sed eſto quòd Miſſa pro vno aliquo celebrata non afferat aliis fructum illum ſpecialem, vtrùm ſi procuretur à tribus, & eis à ſacerdote eius fructus attribuatur, valebit tantundẽ ſingulis, ac ſi pro ſingulo quoq; eorum ſolũ offerretur? Huic quęſtioni Præpoſitiuus in ſua ſentẽtia perſtans opinatur ſic haberi. Sed eã Sctũs

Thomas

Thomas ex profeſſo reprobat, communi quodam argumento vtens, quod eſt huiuſmodi, Quodlibet ſuffragium quatenus exercetur, habet finitam efficaciam, ac perinde finitũ fructum: in multos igitur diſtributum, minus ſingulis confertur, quàm ſi pro vno quoque eorum ſeorſim offerretur. Miſſæ igitur hoc ſuffragium non valet tantundẽ pluribus ſpecialiter accommodatum, ſicut vnicuiq; eorum, cui ſingulariter applicatur. Præterea à ſententia Præpoſitiui recepta, ex ea ſequitur, quòd aliquis dignè celebrans, vnico poſſet ſacrificio totum expoliare Purgatorium, ſi cuilibet ſacrificii oblationi non reſponderet certus fructus, atq; finitus. Ac perinde non opus eſſet imponere niſi vnam ſolam Miſſam celebrandam verè pœnitẽti, vt abſolueretur ab omni pœna pro grauiſſimis peccatis debita. Sed fortè huic rationi reſponderetur, quòd vni Miſſę non reſpõdet effectus infinitus: ſed limitatur ille ſecundùm offerẽtis & procurantis eam deuotionẽ. Hinc Ca-
Caietan. *ietanus tenet opinionem ſatis huic affinẽ: ſcilicet quòd Miſſa celebrata pro duobus, aut tribus, aut pluribus, totidem diſtinctis intentionibus atque ſingulariter deuotionibus eiſdem applicata, tantundem valet ſingulis, quantum ſi pro quolibet eorum duntaxat celebraretur. Hanc concluſionem quia non eſt omninò improbabilis, placuit ipſius authoris penè verbis fuſiùs explicare. Pro quo ſecundùm illum ſupponitur, quòd cùm effectus huius ſacrificii de ſe ſit indeterminatus, & determinetur per quandam offerentis vel procurantis ad hunc vel illum applicationẽ, ad huiuſmodi ſpecialis valoris determinationem duo concurrunt. Intentio videlicet ac deuotio. Intentione enim, quæ propria ferè ſacerdotis eſt, ad hunc vel illum virtus ſacrificii dirigitur. Deuotio verò ex qua pendet effectus ſacrificii & quantitas ſatiſfactionis, communis eſt tum ſacerdoti, tum aliis ſiue actu, ſiue habitu erga ſacrificium deuotis. Vnde ſacerdos hanc applicationem exercens in Canone Miſſæ inquit: Quam tibi offerimus pro Eccleſia ſancta, & Papa, & cæteris. Et in vtroq; Memento nominando eos pro quibus ſacrificium offert, ipſorum memoriam facit. Deinde profert id, quod ad deuotionem pertinet, dicens, Quorum tibi cognita eſt, & nota deuotio. Hoc enim non ſolùm ad circunſtantes, ſed ad alios etiam refertur. Ex his inſinuans efficaciam huius ſacrificii non ſola intentione, ſed adiuncta quoque deuotione perfici. His ita digeſtis ſic pronuntiat Caietanus, Fructus Euchariſtiæ non ſolùm vni, ſed etiam pluribus eſt applicabilis, taliter quòd tantum valeat cuilibet eorum, pro quibus in eodem gradu offertur, ac ſi pro quouis eorum ſeorſim offerretur. Quod ſic probat, Fructus Euchariſtiæ eſt ſecundùm ſe infinitus & indeterminatus, applicabilis autem ſacerdotis miniſterio atque intentione: ſicut & eſt particularis, & determinabilis offerẽtis deuotione. Sed ſacerdos poteſt non modò vni, ſed etiam pluribus vnam Miſſam applicare: fructuſq; eiuſdem, atque ſolius Miſſæ, cùm non ſit finitus atque determinatus, poteſt*

reſpondere ſufficiēter ſingulis deuotionibus cunctorum ſic applicatorũ. Nec enim aliqua deuotione eorũ, pro quibus offertur, nec ab omnibus ſimul eius fructus infinitas vel exhauritur, vel minuitur. Miſſa igitur celebrata pro pluribus in eodem gradu ſpeciali oblatione poteſt valere tantum cuilibet eorum, quantum ſi pro vno quouis eorum præcisè ſacrificaretur. Ex quo infertur, quòd non ſolùm pluribus, ſed etiam infinitis piis affectionibus vnum ſacrificium Miſſæ ſufficienter reſpondeat. Nam cùm infinita ſit huius ſacrificii virtus, quantacunque fuerit offerentium id multitudo, tanta erit particularium ipſius effectuum multiplicatio. Id quod non minùs in hoc ſacrificio, quàm in baptiſmo euenire videtur. In vtroq; enim infinita per Chriſtũ ſpiritualis gratiæ copia virtusq; cõcurrit quæ baptizandis per intentionem & verba accommodatur. Ex quo fit, vt quemadmodũ ſi ab vno ſacerdote vna eademq; actione innumeri baptizarentur, quilibet tantũdem gratię acciperet, quantum ſi ſolus baptizaretur: ita & ſi vnum Miſſæ ſacrificium multis ab vno eodémque ſacerdote vnica oblatione applicetur, quilibet tantum fructus ſpiritualis iuxta ſuam deuotionem accipiet, quantum habuiſſet ſi pro ſe ſolo fuiſſet oblatum. Et confirmatur hoc idem ipſo Canone Miſſæ, in quo non ſolùm generaliter pro eccleſia, & pro principibus, & omnibus Chriſtianis: ſed etiam ſpecialiter pro his, qui in Memento cogitantur, & omnibus circunſtantibus hoc ſacrificium offerri dicitur. Conſtat autem non eſſe determinatum numerum cogitandorum in Memento, multóq; minùs eſt definitus circũſtantium ſacrificio numerus, qui in eodẽ gradu reponuntur. Nec aliquis horum ex alterius conſortio in audiẽda Miſſa de eius fructu minus recipit: alioqui optabilius eſſet cum paucis, aut ſolùm, quàm cum multis ſacrificio præſentem eſſe. Nihil autem prodeſt aduerſus hæc dicere, ſupradicta non ad ſacrificium, ſed ad orationes eſſe referenda: referuntur enim & ad ſacrificia. Etenim expreſſè ibi dicitur: Pro quibus tibi offerrimus, vel qui tibi offeruut hoc ſacrificium laudis. Nec ſolùm pro petitorum impetratione, ſed etiam pro debitorum ſatiſfactione illud offertur. Sic enim ibidem additur: Pro redemptione animarum ſuarum. Manifeſtum eſt autem redemptionem à malis fieri per ſatiſfactionem. Sic enim Chriſtus nos de captiuitate liberauit, effuſo redditóq; ſanguine ſuo in redemptionis noſtræ pretium.

Articulus Nonus.

SEd vt poſitio Caiet. exactiùs intelligatur, eſt conſiderandum, quòd vnum ſacrificium offerri ſpecialiter pro pluribus bifariàm contingit. Vnico quidem modo quòd offeratur vnica deuotione primò delata in omnes, pro quibus offertur. Vt cùm quis vnico primóque intentu vult Miſſam pro omnibus ſuis defunctis fieri. Secundo modo poteſt id fieri, ita quòd diſtinctis deuotionibus

Miſſa

Miſſa offeratur pro pluribus, ita qđ
ſinguli habent aliquem pro ſe primò of
ferentem. Iam ſubinferuntur duæ pro-
poſitiones, præcedentis ſententiæ Caie
tani declaratiuæ. Quorum prior ſit: Si
quis primò offerat Miſſam pro omni-
bus alicuius multitudinis, & ſecunda-
riò pro eorum ſingulis, minùs valet ſacri
ficium cuilibet eorum, quàm ſi pro vno
quouis eorum ſeorſim offerretur. Quia
quando ſacerdos mouetur ad celebran-
dum pro pluribus à ſolo ſeipſo, vel ab
aliquo tantùm vno, affectus offerentis,
cui reſpondet effectus fructusq́; ſacrifi
cii eſt vnus tantùm, qui fertur in omnes
illos primò, ſed non prius totus in ſingu
los. Sed vt conueniunt in aliquo vno,
puta numero, vel multitudine eorũ, pro
quibus ſacrificatur. & conſequenter ef
fectus talis ſacrificii attribuit̃, primò
totus oĩbus, ſed nõ eis ſingulis: ſed diui
ditur, ac perinde fit minor in ſingulos.
Nec em̃ valet iſta conſequẽtia: Iſte cele
brans intendit hoc ſacrificium valere tã
tundem cuilibet indiuiduo iſtius colle-
ctionis, quantum valeret ſi pro quolibet
eorum primò offerretur: tantum ergo
valet. Quia huius ſacrificii efficacia
haud intentioni ſed deuotioni reſpõdet.
Non enim quantum per ſacrificium ſa-
tiſfacere intendo, tantum ſatiſfacio.
Alioqui ſi intenderem vnica Miſſa
ſatiſfacere pro omnibus, qui in purgato
rio loco detinentur, quamuis minima de-
uotione offerretur, eos omnes inde libe-
rarem: quod eſt prorſus abſurdum. Nõ
itaq́; quantum intendo, ſed quantam de
uotionem habeo, tantum fructus ex hoc
ſacrificio haurio. Ex quo liquet quòd ſi
quis offerat Miſſam adeò feruenti cha
ritate, perfectaq́; deuotione, quæ vnius
anni diſpendio exequetur, intẽdatq́; pro
vno ſolo ſatiſfacere, pro eo plenẽ ſatiſ-
factũ erit. Si verò ꝑ tribus eãdẽ deuo-
tione ſatiſfacere intẽdat, ſinguli pro ter
tia parte pœnarũ vno anno luẽdarũ re-
leuabũtur. Hoc itẽ ſentiẽdũ eſt de fru-
ctu reſpõdẽte deuotioni laici Miſſã fieri
procurãtis, & alicui defunctorũ multi
tudini primò prodeſſe intẽdẽtis, ac ſubĩ
de ſingulis ea complexis. Sẽper enim ſa
tiſfactio cuilibet deuotioni reſpondens
eſt finita, ac perinde ſi ad plures ſimul
per intentionem applicetur, in partes di
uiditur, minusq́; à ſingulis participatur.
Deniq́; huic ſententiæ adſtipulatur tã
ſanctus Thomas quæſtione ſecunda ad
diſtinctionẽ quadrageſimam libri quar-
ti Sententiarum: & Scotus viceſima
quodlibetica quæſtione. Iã quæras quo
diſcrepet Caietanus à communi ſenten-
tia. Profectò in ſecundo offerendi mo-
dò pro pluribus euchariſtiam. Sentit
enim, quòd ſi ſacerdos moueatur à pluri
bus diſtinctis eorum deuotionibus atque
procurationibus ad offerendum pro i-
pſis ſacrificiũ, per vnam Miſſam omni
bus ſatisfacit: quod tantum ſingulis va
leat, ac ſi pro vno quolibet eorum ſeorſũ
ſacrificaretur: ſcilicet, quoniam multi-
plices deuotiones, diuerſiq́; numero affe
ctus, quibus effectus fructusq́; ſacrificii
reſpondent, primò referuntur in ſingu-
los defunctorum, ſiue viuentium, ſecun-
dùm ſingulos fideles viuentes mouentes
ſacerdotem ad celebrandum pro illis.
Ac perinde efficacia ſacrificii attri-
buitur primò ſingulis eorum, nullus q́; eſt

ſacrificii effectus, qui ſecundùm hanc ſpecialem applicandi rationem, qui totã illam multitudinem, puta trium, aut plurium reſpiciat. Et ſic vnius celebrationis multi ſunt inuicem numero diſtincti fructus ac perinde multa ſunt non modò iuxta Arithmeticam, ſed etiam Geometricam rationem æquabiles offerentibus fructus atq; ſatiſfactiones. Quòd ſi hæc vera ſunt, vera eſt etiam in hoc caſu prima illa Præpoſitiui opinio, nec non ad literam verificatur illud Hieronymi: Cùm pro centum animabus Miſſa, vel Pſalmus dicitur, nihil minùs quã ſi pro vno quolibet eorum diceretur, accipitur: Enimuerò tentabit quiſpiã diſſoluere fundamenta, quibus Caietanus ſententiã ſuã firmat. Nam in primis ipſe fulcit eam eo, quòd cùm cauſa vniuerſalis non determinetur ad particularem effectum niſi per mediam & particularem cauſam, virtus ſacrificii infinita non determinatur ad finitum effectũ niſi per cauſam particularẽ. Ad quod reſpondetur, quòd licet cauſa vniuerſalis merè naturalis non ita determinetur: niſi particulari media. Cauſa tamẽ vniuerſalis voluntaria præcipuè eminenter continens omnium ſecundarum cauſarũ vim, ſua libertate poteſt ſe determinare ad particularem effectum producendũ. Sic enim creauit Deus Angelum Michaëlem, & animam Adę, atq; omnium hominum, & ſingulas gratias, quas animis iuſtificãdis quotidie infundit. Quòd autem Caietanus ex Canone Miſſæ concludit, ex ſola procurantium Miſſam deuotione taxari ſacrificii fructum, non videtur eſſe certũ. Quia vt probauimus ſuperiùs in articulo quarto huius quæſtionis, reſpõdet quoq; ſpecialis fructus huic ſacrificio ex opere operato: reſpondet & idem ex ſacerdotis celebrantis deuotione, quam ſibi peculiariter accommodam ab eo Miſſæ procurator expetit. Id quod ex eo conſtat, quòd quilibet prudens Miſſæ pro ſe dicendę procurator non tantùm bonum, ſed etiam meliorem habere cupit, qui pro ſe ſacrificium offerat. Quod vtiq; nequaquam communi omnium fidelium voto quęreretur, niſi participes fierent augmenti illius valoris, quod ex ſacerdotis deuotione creſcit. Ex quo liquet, quòd ex tribus eſt Miſſę valor expendendus: ex opere operato, vt docui ſuprà capite quarto: & ex celebrantis effectu: & procurantis deuotione.

Hierony.

Articulus decimus.

His autem conſtantibus ponitur talis concluſio. Miſſa nõ tantum valet virtute ſacrificii diſtinctè applicata pluribus in eodem gradu, ſicut ſi vni ſoli applicaretur. Quæ primò probatur ex fructu Miſſę prouenientе ex opere operato. Nullus fructus finitus diuiſus in plures aduenit totus, aut integer, aut tantus cuilibet eorum, ſicut ſi ei ſoli daretur. Siquidem omne totum eſt maius ſua parte. Sed ſacrificio Miſſæ reſpondet aliquis determinatus effectus, & finitus fructus ex opere operato, vt oſtenſum eſt in articulo quarto huius quęſtionis. Non igitur ſufficit cuilibet eorum, pro quibus ſacrificium agitur, quãtum conferret alicui

licui eorum, ſi pro eo ſolo fieret. Secundò probatur ex fructu proueniente ex bono pioq́; ſacerdotis affectu ſacrificiũ offerẽtis. Reſpexit enim dñs ad Abel, & munera ei⁹. Sit ergo meritũ ſacerdotis offerentis iuxta eius deuotionẽ quatuor graduum: quòd ſi diuidatur inter quatuor, conſtat quòd vnicuiq; accedat vnus tantùm gradus illius fructus, & ſi pro vno ſolùm celebraſſet: is vtiq; totum fructum tuliſſet. Quòd ſi dixeris: Sacerdos non tenetur acommodare fructum ſuę deuotionis procurãti à ſe Miſſam: hoc eſt inopinabile. Quia omnes fideles procurantes Miſſas quærunt bonos, quin & meliores, qui pro eis offerant, vt ex eorum pio affectu plus emolumenti reportent. Quòd ſi dixeris: Sacerdos non ſe obligat ei, à quo accipit ſtipendium ad celebrandum in charitate: reſpõdetur, quòd licèt non obligetur ad id expreſſe, obligatur ꝑfectò tacitè. Nullus enĩ fidelis cõmitteret ei Miſſã pro ſe dicendam, ſi ſciret, aut præſumeret, eum ĩ peccato mortali celebraturũ. Eſto: ſed ſi celebret in peccato mortali, non tenetur iterum celebrare pro eodẽ procuratore. Ita eſt: quia iam obtulit ſacrificium vt miniſter eccleſiæ, & illud eſt ratum apud eccleſiam. ita habet. Sed adhuc tenetur reſarcire illam iacturam, quam ille Miſſæ procurator ex defectu deuotionis ipſius paſſus eſt, per alium pium affectum, bonaq́; opera. Dixeris, non ſolent Eccleſię miniſtri obligari ad certum deuotionis gradum, vel in adminiſtrandis ſacramentis, vel in offerendis ſacrificiis adhibẽdum. ita res habet. Neq; nos id faciendum cenſemus, quamuis, exempli gratia, deſignauimus quatuor deuotionis gradus: ſed eo intendimus declarare quòd Miſſæ procurator bono iure intendit ſe fieri ſuopte modo participem fructus deuotionis ſacerdotis, quantam ille ſacerdos charitate præditus celebrando appoſuerat ſecundũ menſuram gratiæ donationis Chriſti. Dixerit aliquis, qui admittit ex bono celebrantis affectu commodum procurãti Miſſam accreſcere, poſſe ſacerdotem duobus ſatiſfacere per eãdem Miſſam, ſi intẽdat duplò deuotionem: vel ſi duabus deuotionibus eandem Miſſam offerat. Sed neutrum horum ſatiſfacere videtur, tum quia procurans Miſſam, intendit acquirere totum fructum, qui ex vna & integra tam oblatione, quàm deuotione ſacrificantis prouenire ſolet. Tum quia cùm vnus ſit tãtùm celebrãs, fructus proueniens ex acceptatione perſonę, non totus, ſed dimidiatus mediis illius duabus deuotionibus procuranti impartiretur. Prætereà ſi ſacerdos non teneretur applicare ſpecialiter in tali gradu totum fructum ſuæ deuotionis ei, cui ſe obligauit pro eo celebrare; ſequeretur quòd liceret ipſi partem deuotionis ꝓprię auferre ab illo, & applicare ſibi, vel patri ſuo, vel amicis, quouſq; vel nihil, vel certè minimum eius relinqueret ei pro quo celebrat. Quod planè videtur prorſus abſurdum atq; paradoxon. Tertiò idem ꝓbatur ex primi procurantis Miſſam deuotione, qua meretur, vt in primis ſibi reddatur fructus illius Miſſę totus. Siquidẽ & ſi alius eam agendam minimè procuraret, eãdẽ ipſo ſolo procurãte celebraretur. Quare

re videtur, quòd qui priores occupauit in procuranda Miſſa partes, priores fructus eius partes præripuerit, vt iam ſecundo procuratori minor ex ſua deuotione fructus quàm priori adueniat. Idque non ex defectu contenti in Euchariſtia, ſed ex Dei decreto, qui vult, vt qui expreſſè, vel tacitè pactus eſt cum ſacerdote pro ſe ſolo ſpecialiter celebrare, ei ſoli iuxta deuotionem ſuam reddatur fructus ille ſpecialis, qui ratione procurationis debetur. Dixeris è cõtrario, Si deuotioni ſecundi, cui ſacerdos ſpecialiter applicat, non reſpondet tantũdem fructus, ſicut priori, qui priùs mouit eũ ad celebrandũ, ſequeretur, quòd quo plures concurrerent ad audiendam Miſſã in aliqua parochia, minùs valeret ſingulis. Male colligis. Quia Miſſa parochi eſt publica, & primò celebratur pro cũctis parochis & ex omnium audientium deuotione creſcit valor eius publicus: ex quo vnicuiq; aſtantium ſecundùm proportionem ſuæ deuotionis participatio illius redditur. Sicut fructus generalis ſacrificiorũ ſanctę eccleſiæ catholicę vnicuiq; fidelium ſecundùm pium eius in Euchariſtiam affectum atq; cultum diſtribuitur. Ex quo manifeſtè conſtat, quòd ſi quis ſacerdos offerat Miſſam ſponte ſua pro fratre id neſciente, minùs ei miſſa valeat: quia talis ignorans non habet actualem deuotionem circa illam, quanto plures fuerint tales, minùs eis valebit, quàm ſi pro vno quolibet eorũ offerretur. Itidem quamuis Miſſa ſpecialiter oblata pro aliquo defuncto, quam ipſe procurauit cùm viueret, proſit ei ſecundùm deuotionem quã habuit. Attamen ſi quis pro eo, qui cùm viueret, nullam habuit ſpecialem deuotionem, particularem celebret, multò minus obtinebit fructus: multoq; minùs ſi fuerint plures. Hinc Durãdus dicit quòd Hieronymi dictum intelligitur quantum ad effectum gratulationis, conſultationis, vel gaudii, quod habent omnes charitate vniti de bono proximi, & opere bono ex charitate pro defuncto elicito: ſed non quòd ſit æqualitas valoris quantũ ad effectum ſolutionis pœnæ: quia põt eius valor æquari pœnæ ab vno ſolo debitæ. Prętereà non poteſt aliquis ad plures ſimul affici tantùm, quantùm ad vnum ſolùm: ſicut non poteſt haberi tanta amicitia acquiſita diuiſa in multos, quanta eſſet in vnum ſolum collecta: & ideo Miſſa dicta pro pluribus vel coniunctis, vel diſtinctis, ex parte attentionis vel deuotionis ſacerdotis, non tantũ valet cuilibet illorum, quantum ſi pro illo ſolo diceretur. Quærat aliquis, Cur ſi quis vnus ſacerdos plures ſimul baptizet, omnes plenè ſunt baptizati? & ſi vnus ſacerdos pluribus ſingillatim ſacrificium procurantibus id offerat, tantundem ſingulis non ſufficiat? In promptu eſt cauſa. Quia baptiſmus tantũmodò eſt ſacramẽtũ: Euchariſtia eſt & ſacramentum, & ſacrificium, & oblatio, & precatio: quæ, vt expoſuimus, ampliorẽ habent effectum in vnum copulata, quã in plures diuiſa.

Articulus vndecimus.

QVòd ſi adhuc Hieronymi autoritatẽ nobis obiicias, dicentis: Cùm pro centum animabus

bus Pſalmus vel miſſa dicitur, nihil mi-
nus, quàm ſi pro vna qualibet illarum
dicèretur, accipitur. Illud in primis ani
maduertas, illum ea in re pſalmum miſſę
comparaſſe, cùm tamen pſalmus non cō
tineat in ſe infiniti fructus valorem, ſi-
cut euchariſtia: ac perinde ad orantis,
vel celebrantis deuotionem eſſe referen-
dum. Nam, vt habetur in gloſſa capitu-
li, non mediocriter. de conſecratione, di-
ſtinctione quinta: cui & Scotus ſuffra
gatur, duplicem reſponſionē admittunt
Hieronymi verba. Altera eſt, quòd re
ferantur ea ad ipſum celebrantem: vt ſit
ſenſus, Nihil minus, ſacerdos accipit ſi
bi ipſi celebranti: quia ſiue pro vno, ſiue
pro plurib⁹ Pſalmus Miſſáue dicatur,
ſemper valet ſpecialiſſimè ipſi celebran
ti, & æqualr ei valet, qñ eſt ęquè diſpo-
ſitus: & ęquè ordinatè facit hoc, qđ fa
cit: hoc eſt æquè celebratur ꝑ multis, qñ
Hierony. pro multis: & pro vno, quādo pro vno.
Altera reſponſio eſt, vt referatur ad
caſum de quo ibi Hieronymus loquitur,
ſcilicet, quòd nō minùs valet vna Miſſa
dicta pro centū animabus cū cordis hi-
laritate, quàm ſi pro quolibet vno dice-
retur cum cordis anxietate & triſtitia.
Præmittitur enim ſic: Melior eſt quin-
que Pſalmorum decantatio cum cordis
puritate, ac ſerenitate, & etiam ſpiri-
tuali hilaritate, quàm totius Pſalterii
modulatio cum cordis anxietate & tri
ſtitia: & tūc ſubditur illud, quod addu-
ctum eſt: cùm ergo pro centum anima-
bus pſalmus vel miſſa dicitur, nihil mi-
nus, quàm ſi pro vna qualibet earum di
ceretur, accipitur: & hic ſecundus ſen-
ſus fortè fuit ſecundū intentionē beati
Hieronymi, volentis ſic loqui ad mona-
chorum conſolationē. Quòd ſi pro mul-
tis tenerentur orare, tamen non oportet
tot pſalmos legere: quia id vergeret in
faſtidium, cùm meliùs ſatisfiat illis ſi
pro eis dicantur pauciores pſalmi cum
hilaritate: meliùs etiam valet dicenti, ſi
ſtare id poteſt cum obligatione eius.
Hæc Scotus. Vbi animaduerte cōdi-
tionem, quam adiecit: Si ſtare poteſt
cum obligatione eius. Quia iuxta mo-
dum obligationis ſacerdotalis, eſt expē
dēdus ſatiſfactorius miſſę fructus. Pro
cuius declaratione ponuntur aliqua pro
loquia. Quorum primum ſit: Si quis ſa
cerdos admittat plures ad vnam miſſam
pro eis omnibus ſimul celebrandam, præ
monens eos ſine fraude ac doloſe pro eis
omnibus vnam tantùm miſſam facere,
cuilibet eorum ſatiſfacit. Siquidem quo
modò eis erat obligatus, ſacrificiū obtu
lit. Et quamuis quilibet eorum de com-
muni ſacrificio minus accipiat, quàm ſi
pro eo ſolùm fuiſſet oblatum, nihilo ta-
men læditur: quia ſecūdùm pactum pro
ipſo celebratum eſt: & ex tali ſacrificio
quam idem expetiuit, portionē accipit.
Etenim ſciēti ac volēti non fit iniuria.
Secūdum proloquium. Si quis ſacerdos
ſpecialiter obligetur miſſam procuran-
ti, quòd totum Miſſæ à ſe pro eo dicen
dę emolumentum ſpirituale ipſi tantùm
in eo gradu applicabit, nequaquam po-
teſt illud, nec partem illius alteri ſine
fraude accommodare. Quia quilibet te
netur adimplere quod licitè pactus eſt,
& rectè atq; probè reddere poteſt. Nā
dixerunt olim vniuerſi patres in Conci
lio Africano: Vt pax ſeruetur, pacta
cuſtodiūtur.

cuſtodiantur. extra, de pactis. c. primo. & Gregorius nonus: Studioſè agendũ eſt vt eaque promittuntur, opere compleãtur. & Prętor ita decernit: Pacta quæ non dolo malo, nec aduerſus leges facta ſunt, ſeruato. Ex quibus patet, quòd ſi ſacerdos non applicet ſoli procuranti Miſſam, quomodò eſt ei obligatus, perfidè facit, & tenetur ad reſarciendum illi damnum. Denique criminaliter peccat, & excommunicari poteſt, donec ad integrum nocumentum de medio tollat: quodque omiſit, debitè celebrãdo reſtituat. Tertium dictum: Si quis Miſſę procurator petat à ſacerdote ſacrificium, his verbis: Celebra dñe hodie pro me ſacrificiũ, reddamque tibi congruũ hodiernæ ſuſtentationi ſtipendium: tenetur pro eo ſolo miſſam dicere. Quod ſic probatur: Procurans miſſam his communibus verbis, intendit obligare ſacerdotem, vt ſic pro eo ſpecialiter celebret vt totus ad ſe procurantem miſſæ fructus refundatur. Offerens ergo ad id eſt obligatus. Conſequentia probatur ex eo quod habetur, extrà, de ſponſali. cap. ex literis. vbi ſic dicitur: Si alter non intellexerit, quod alter propoſuit, ad communem verbi intelligentiam recurratur, & cogatur vterque verba prolata in ſenſu illo retinere, quem ſolent rectè intelligentibus generare. & gloſſa ibi adducit illud Digeſtorũ de ſupellectile legata. l. Labeo. Non ex opinionibus ſingulorũ, ſed ex communi vſu nomina ſunt intelligenda. Antecedens probatur, quia communis intelligentia de talibus verbis habẽda, teſte Scoto, eſſe videtur, quòd obligans ſic diſtrictè ſacerdotem ad celebrandum pro ſe, intendit obligare eum ad illud, quod eſt ſibi vtilius, quoad liceat ipſum obligare. In hoc enim conſentit communis hominum ſententia. Vtilius autem eſt ei, quòd ſibi ſoli accedat fructus, non ſolùm qui reſpondet ſuę ipſius deuotioni, ſed etiam qui prouenit ex merito perſonali ſacerdotis, & ex ipſius ſacrificii virtute. Vnicuique autẽ licet ſpirituale bonum ſine præiudicio alterius ſibi procurare. Quare patet, Miſſæ procuratorem intendiſſe obligare ſacerdotem ad id, quod eſſet ſibi optimum: id eſt, ſibi redderetur totus miſſę fructus ſpeciali modo debitus, id eſt ex deuotione procurantis, & pietate offerentis, & virtute ſacrificii. Quid? ſi ſacerdos tacuit non intendens ſeſe obligare adeò ſtrictè ad celebrandũ pro ſolo miſſam procurante, debuit ei ſuam intentionem aperire, alioqui abligatus permanſit. Quia qui tacet, vbi reſpondere tenetur, conſentire videtur: & tanquàm ſi expreſsè conſenſiſſet eſt iudicandus. Feci autẽ in tertio dicto mentionẽ diurnæ ſuſtentationis: non quòd tale ſtipendium detur pro valore miſſę. Eſſet enim id vtique ſimoniacum, vt in alia quæſtione declarauimus: ſed in ſacerdotis diurnum victum, ſine quo neque altario ſeruire, neque viuere poteſt. Quòd ſi miſſæ procurator adeò paruam eleemoſynã ſacerdoti pro ſe celebraturo porrigat, quòd ei non ſit ad dimidium pro eo die victum ſibi comparandum, licebit ei alium eiuſdem miſſæ participem facere, qui ſuppleat id in quo alius defecit. & ad hoc tenetur vterque miſſę procurator: quia qui altario ſeruit, de altario viuere debet.

re debet. Idq́; eos velle cenſendum eſt, ſiue idipſum expreſſo, ſiue tacito conſenſu ſignificent. Cæterùm inſipientis eſt, exiſtimare aliquem Doctorũ, vel ipſum Caietanum dediſſe anſam ſacerdotibus accipiendi pro vna Miſſa plures, quas dicunt, pitãcias. Hoc enim iniquum eſt, & impium, & eorum qui quæſtum putant eſſe pietatem. Ridiculum enim eſt & abſurdum ſecundũ omnem de fructu Miſſæ participando opinionem putare, quòd qui accipit triginta ſtipendia pro vna Miſſa dicenda, ſatiſfaciat tantum cuilibet procurantium per vnam Miſſam pro eis omnibus celebratam, quantũ ſi pro quolibet eorum vnã Miſſam feciſſet. Quare qui promiſit Ioanni abſolutè Miſſam dicendam pro eo, itidemq́; Petro, celebrãdo ſemel tantùm pro vtroq́;, neutri eorum plenè ſatiſfacit: tenetur q́; per alia ſacrificia, & ſalutaria opera eis reſtituère damnũ, quod intulit. Ex his conſtat, falli eòs, qui putant per viam pietatis diuinæ poſſe quẽpiam obligatũ vtriq́; duorum ad dicendum pro eo vnum Tricenarium Miſſarum, ſoluere debitum dicendo vnam tantùm pro duobus ſimul: quaſi diuina pietas illud pro vtroque æquè acceptet. Quoniam licèt Deus ſit miſericors, eſt etiam & iuſtus, vultq́; ſeruari ius ſuũ vnicuiq́;. Vniuerſæ enim viæ Domini miſericordia & veritas, id eſt, iuſtitia. Et iterum, Iuſtus eſt Dominus & iuſtitias dilexit. Quare quia hic proceditur per viam iuſtitiæ, exploratiſſimum eſt, quòd qui ſoluit tantùm vnum ſolum pro debentibus dno, pro neutro eorum ſatiſfacit totum, ſed dimidium tantùm pro vtrouis eorum. Et hæc eſt ratio validiſſima, per quam ſanctus Thomas in quarto Sententiarum reprobat Præpoſitiui opinionem. Non enim ſuffragia proſunt defunctis per modum luminis, ſed per modum ſatiſfactionis, hoc eſt debiti ſolutionis. Quod & confirmat Sanctus Thomas eo, quòd eccleſia ſancta Catholica particularia ſuffragia pro particularibus defunctis agẽda inſtituit. & hæc opinio eſt communior, & tutior, & ideò cæteris probabilior. Lege diuum Thomam Aquinatem in quæſtione ſecunda ad diſtinctionem quadrageſimamquintam quarti libri Sententiarum.

Articulus duodecimus.

Quærit & Petrus Paludanus, Vtrùm ſoluens ſimul pro multis tot ſuffragia, quot debet omnibus ſigillatim, à debito liberetur. vt ſi ſoluat in commune triginta Miſſas pro tribus diſtinctè cõmendatis, pro quorum quolibet fuerint decem Miſſæ celebrandæ. Huic quæſtioni reſpondet, & benè, qđ ille ſacerdos nequaquã tribus illis perfectè debitum ſoluit. Quia minus reddit vnicuique eo, quod tenetur: ac perinde non perfectè ſoluit. Nam & particularis ſolutio multa habet incommoda, vt ſi debeam tibi decẽ, & Titio decem, Seioq́; decem, & ſoluam hodie decem tantùm his tribus, & cras alia decem ipſis tribus, ac perendie alia decẽ eiſdem tribus, non tantum prodeſt eis, quantum prodeſſet ſi ſtatim vni ſoluiſſem decem:

quibus receptis continuò poſſet negotiari, & vtilitatem ſuam procurare, atque tota ſumma negotiando promouere: & ſic eſt in ſuffragiorum ſolutione. Nam ſi ſint in carcere tres, quorũ quilibet pro decem aureis detineatur, ſi primo die ſimul pro eis omnibus ſoluã tantummodò decem aureos, nullus eorum carcerem euadit, licèt omnium eorum debitum minuatur. Si ſecundo itidem die faciam adhuc, inde nullus eruitur, donec tertio tandem die eodem facto cuncti triginta fuerint perſoluti: tunc enim è carcere pariter emittentur. Sed ſi ſoluerentur primo die pro eo, qui primitùs obligauit decem, eodem die liberaretur. Sic & ſecundo, ſecundus: & tertio, tertius. Et ſic ſoluẽdo pro omnibus confusè decem, ſingulis trium dierũ duorum, primis duobus diebus liberandorum conditionem feci deteriorem. Si ergo aliqui in Purgatorio exiſtentes ſic ſint diſpoſiti, quòd vnus vna Miſſa & non minori ſuffragio liberandus eſt, & ſint multi tales, vna Miſſa pro omnibus his dicta neminem eripit: ſed dicta pro vno quolibet eorum vna Miſſa eum confeſtim eripit. Aliàs ſinguli eorum diutiùs ibi detinentur. Nec hoc dictum eſt contra Altiſſiodorenſem credentem nullam Miſſam celebrari in Chriſti eccleſia, per quam non plures animæ de Purgatorio liberentur. Quia quandoque ſunt multi in Purgatorio ſic diſpoſiti, vt citò liberentur, vel quia ibi diu ſteterunt, vel quia pauca purganda habuerunt, ac per inde eis ſimul eruendis vnius Miſſæ ſuffragium ſufficit.

Articulus decimuſtertius.

Quæritur vtrùm plebanus ſacerdos omittens Miſſam ordinariam, quam tenetur dicere pro plebe, cuius curam gerit, ſatiſfaciat, Miſſam aliquam peculiarem celebrans. Hæc quæſtio non eſt definita in iure in forma. Quia vt ſcripſit frater Alfonſus Zamorenſis, nullam difficultatem habere videtur. Etenim adeò plana eſt, ſuppoſitis his quæ ſuperiùs digeſſimus, vt vulgari quadam ſimilitudine facilè diſſolui poſſit. Si enim quis ſit obligatus reddere equum, & bouem reddat, minimè ſatiſfacit: & ſi teneatur ſoluere decem aureos Ioanni, & reſtituat illos Petro, nequaquam Ioanni ſatiſfactum eſt: ſic obligatus plebanus celebrare pro plebe, non ſatisfacit ſi celebret pro alio; nec ſi Miſſa ordinaria illius diei ſit dicenda de Dominica vel de feria, dicat ipſe eam quæ eſt pro defunctis: neq; ſi ſit dicenda de beato Iacobo, dicatur de ſancto Petro. Fortè excuſabis ſacerdotem eò, quòd dicit officium deuotius. Sed hæc excuſatio non eſt hic idonea, licèt alibi admitti poſſit: quia non eſt in arbitrio eius ſitũ, eligere quod voluerit officiũ: ſed tenetur dicere qđ congruit diei. Quia illud eſt populare, ad quod audiendũ populus cõuenit, & deuotiùs multò cõuenit. Sed fortè dices, licere ſibi dicere Miſſã peculiarẽ pro aliqua priuata ꝑſona, cui ſe obligauit. Sed hoc nihil valet: qa ſacerdos pleban⁹ eſt ĩ ſpũalibus populi ſeruus, & ad officiũ ei ꝓpter beneficiũ reddendũ aſtrictus.

Seruus

Seruus autem ſecundùm quòd ſeruus eſt, nequáquã in domini ſui præiudicium alteri ſeipſum obligare valet. Quid ſi dicat Miſſam diei congruam pro plebe, & eo cui ſe obligauit? Certè nemini plenè ſatiſfaciet. quia ſicut in ſuperioribus declaratũ eſt, ſacrificium Miſſæ ſpecialiter applicatum, non tantum valet duobus, ſicut vni. Alioqui ſi tantum prodeſſet pluribus ſicut vni, tam efficax ſpiritualis fructus eſſet oblatio puri hominis in altari, ſicut Dei & hominis, nempe Chriſti in Cruce. Et ſi ſecundùm valorem Chriſti in Euchariſtia contenti, qui eſt infinitus, eius fructus eſſet expendendus, ſufficeret vnam Miſſam pro omnibus viuis ac defunctis celebrari: ſed non ita eſſe docet ſancta & catholica eccleſia, quæ plurimas Miſſas tam pro viuis, quàm pro defunctis quotidie fieri inſtituit: & voluit alia atque alia pro aliis atq; aliis ſuffragia fieri: tum quia non ſemper vna Miſſa ſufficit ad liberandum vnum à tota pœna purgatoria, nedum ſimul duos. Etenim benè Durandus ait, Si ſuffragium eſt æquatum reatui alterius pro quo fit, duntaxat ſatiſfacit pro illo, & non pro alio. Quia pœna quæ æquatur reatui vnius, non æquatur reatui duorum. Satiſfactio verò cùm ſit actus commutatiuæ iuſtitiæ, conſiſtit in quadam æqualitate.

Forſitan ad conſuetudinem confugies, quaſi ea obtinuerit, vt Miſſa de anniuerſario vel aliàs votiua miſceatur, ſiue interponatur Miſſæ populari. Sed ea cõſuetudo nihil ad id prodeſt. Quia nihil valet conſuetudo, niſi ſit à viris doctis ac bonis grauibúſque comprobata, atque legitimè præſcripta. Hic autem non eſt ſic: quin potiùs paſſim videmus apud viros doctos probosq; Miſſas anniuerſarias atque populares inuicem diſtingui, ſicut fit in eccleſiis matricibus, quas ſuburbanæ, inferiorésque imitari tenentur. Idémque fit in religioſis conuẽtibus: nec poteſt dici præſcribi, quod ſingulis diebus interrumpitur. Prætereà talis conſuetudo videtur explodenda: quia eſt aduerſus naturalem æquitatẽ, vt bonum quod vnius tantùm eſt, præter, imò contra eius voluntatem in alios diuidatur. Forſitan aũt ea cõſuetudo valet apud eum, qui ſcit eam, vel ſcire tenetur. Quia ſcienti & volenti, dolus non infertur, nec iniuria fit. Sicut ſentire licet de parochianis, qui petunt Miſſas à curatis, aut de canonicis relinquentibus anniuerſarium canonicis, ſcientes tamen illud eſſe de more eorum aliis miſcendum, & cum aliis ſimul comprendum. Quòd ſi ea conſuetudo non eſt certa notaq; procurantibus anniuerſarium, & ipſi vel curati, vel canonici diſſimulantes eis non eam manifeſtant, eoſdem decipiunt: ac perinde vna Miſſa talibus anniuerſariis nouiter impoſitis minimè ſatiſfacere videntur: vt docet Scotus quodlibeto viceſimotertio.

Demq; ſacerdoti obligato ad aliquam Miſſam quotidie pro aliquo dicendam, non licet ſe obligare ad dicendam eandem, vel aliam pro alio eodẽ die. Quid ergo faciet, ſi id duobus pollicitus eſt? Quærat alterum ſacerdotem, qui alteram dicat, vt ſatiſfiat vtrique. Quid ſi ſit pſẽs funus, aut agatur nouẽdiale?

Quærat alium ſacerdotem qui auxilietur ſibi, & dicantur Miſſæ diſtinctæ pro numero obligationum, vtpote ſi vnus celebret Miſſam funeralẽ, alter popularem. Quid ſi ſit tantùm vnus ſacerdos, & alius haberi nõ poſſit? Si fuerit dies ſolẽnis, puta Natalis Domini, aut dies Dominica, celebret de die: ſi fuerit ferialis dies, videtur quòd poſſit dicere Miſſam funeralem, ſecundũ eccleſiæ conſuetudinem, & populi conſenſum & pietatem, & ad conſolationem cognatorum, & ad mortui releuamen. Siquidẽ defunctis magis prodeſſe exiſtimatùr Miſſa ab eccleſia eis accommodata, quàm alia. Quod cùm acciderit, reſarciat ſacerdos in vtraq; Canonis memoria, altera quæ fit de viuis, altera de defunctis intentiſſima attentione, & vehementiſſima deuotione, id quod parochis ſuis alioqui debebatur. Illud denique ſit exploratum, nemini licêre ſacerdoti Miſſam cuidam altari inſtitutoris voluntate addictam, puta altari beati Petri, eam in altari beato Paulo dedicato celebrare, niſi ob rationabilem probabilémque cauſam legitima Epiſcopi autoritas ei ad id faciendum ſuffragetur. Idémque de die atque hora, quibus Miſſa facienda eſt, aſſignata, ſentiendum ſeruandúmque eſt, vt ea ſuis locis atq; temporibus perficiatur: ſicut ſcriptum eſt, Quod iuſtum eſt iuſtè exequere. & vt habetur in Decretis, cap. 13. quæſtio. 2. Vltima voluntas defuncti modis omnibus ſeruari debet: ſi tamen minimè ſit ea, vel probis moribus, vel veræ pietati contraria. Nam ſi aut rectę rationi, atque fidei, ſpirituiq; ſancto aduerſetur, reprobanda eſt, & in melius Summi Pontificis autoritate commutanda.

Articulus decimuſquartus.

ILlud etiam quod Doctori ſubtili, aliiſq; nõnullis authoribus placuit, non eſt prætermittendum. Multum enim confert ad medendum conſcientię ſcrupulis. Tradit enim, intra eundem modum, quo fructus Miſſę alicui ſpecialiter applicatur, plures gradus reperiri. Exempli gratia: Ponantur tres, quibus ille fructus ſit ſpecialiter applicandus: puta ſi ſacerdos, vel Miſſæ procurator intendat, vt quantum poteſt oblatio valere alicui alii ab offerente principali, tantum valeat Petro: & rurſum, quantum valere poteſt illa alicui alteri à Petro, tantum valeat Ioanni: & itidem poſt Ioannem, Iacobo quantum poteſt vtilis ſit: ac perinde aliis atque aliis, prout per alios atque alios fructus ille accommodatur. Hos autem gradus non eſſe fictitios ex ipſius Miſſæ Canone exploratũ eſſe videtur: vbi de perſonis tam propinquitate, quàm officio, quàm dignitate differentibus, ſit mentio peculiaris. Nec iniuria aliqua videtur fieri Petro in primo gradu huius ſpecialis fructus admiſſo. Quia conſenſu vel expreſſo, vel tacito conſentire tenetur huius participandi ſacrificii gradibus. Eſſet enim à ratione & charitate alienum, ſi Miſſæ procurator ita ſibi vendicaret to-

tum

tum Miſſæ ſpecialem valorem, vt ſacerdotem pro ipſo celebrantem nollet eſſe eius participem, neque parentes, neque fratres, neq; Prælatos, neq; Reges, neque amicos, neq; offerentes in eâdem Miſſa, neque aſſiſtentes, neque acolythos & miniſtros, aliosq; circunſtantes, qui vel miniſterio, vel deuotione celebrantem adiuuant. Et fortè nullus reperietur Chriſtianus adeò inſolens, vt totum illud vni ſibi vendicare audeat: quemadmodùm Ioannes Gerſon tradit in particula trigeſimaquinta de eccleſiaſtica ſolicitudine. Et equidem reor ſecundùm hos gradus inducta eſt illa conſuetudo, ab omnibus eccleſiæ prælatis ſcita & tolerata, imò & approbata: conſuetudo, inquam, interferendi orationes quaſdam, quas Collectas vocant, vt pro aliis quoque per ſuos gradus idem ſacrificium offeratur, & Deus oretur: ſaluo iure illius pro quo in primo gradu, eis minimè communicabili, Miſſa ſpecialiter agitur: & pro hoc via hæc eſt ſatis modeſta, & ad tollendos ſcrupulos ſatis idonea videtur. Eſto igitur quòd ex ordine eccleſiæ, vel ex beneficio recepto tenetur quis offerre ſpecialiter, & hoc in primo gradu pro vno aliquo: non præiudicat tamen illi ſi eodem ſpeciali modo, in ſecundo tamen gradu offerat idem ſacrificium pro alio, vel applicet virtutem oblationis alicui alii. Idem ſentiendum eſt de tertio in tertio gradu, & ſic etiam exiſtimandum eſt de quibuſcunque aliis gradibus alios ſequentibus: quia nunquam applicatio in gradu poſteriori ſubtrahit aliquid illi, cui facta eſt applicatio in gradu priori. Eſt autem dubium qui quibus in his gradibus aſſignandi ſint prætereũdi. Ego verò cæteris memet præfero: quia proximus mihi ſum. Deinde ſubiungo eum, pro quo peculiariter offertur ſacrificium. Deinde parentibus tertio loco illius fructum applico. Quarto gradu fratribus. Quinto benefactoribus. Sexto eos, quibus alicunde teneor pro eis apud Deum vel precando, vel offerendo negotiari. Sed profectò ſem per hac de re aliquod remanet dubium, quis cui quoto gradu ſit præferendus. Nam, vt Scotus ait, in aliquibus eſt maior indigentia, ſicut in mortuis, qui non poſſunt pro ſe mereri, quàm in viuis: & in peccatoribus, quàm in iuſtis, qui per gratiam propriam quam habent poſſunt mereri: non autem ſic peccatores. & magis indigenti videtur iuſtum priùs ſubuenire. Ex alia autem parte videtur maior vtilitas. Vtilius eſt enim viatori gratiam augeri, & ex conſequenti merita, quàm mortuo ſolam pœnam remitti, vbi non augetur gratia, nec merita creſcunt. Videtur etiam quis magis obligatus fratri ſuo exiſtenti in charitate, quàm peccatori, qui nec Deũ diligit, nec à Deo diligitur, ſicut iuſtus. & debeo magis eum diligere quem Deus diligit: & qui Deum diligit, quàm eum qui contrario modo ſe habet. Tutius ergo videtur, applicationem facere generalem talem: Domine Deus meus, cui ſoli ſacrificium offertur, quiq; ſolus rerum merita cognoſcis, digneris oblationẽ iſtam ſpecialiter acceptare pro illis, pro quibus

noſti me teneri eam ſpecialiter offerri, & in eo gradu in quo noſti me debere eandem vnicuique accommodare. Hæc autem vniuerſalis applicatio non tollit quin particularibus perſonis vel voce expreſſis, vel certè mente conceptis miſſæ fructus ſit accommodandus; quatenus nobis probabili ratione cognoſcere datur: ſicut ſuperiùs ex parte declaratum eſt.

Articulus decimuſquintus.

Iam verò meritò Miſſæ officium precibus, ſupplicationibus, & obſecrationibus abundat: quæ communi vocabulo orationes dicũtur. Quoniam inter opera meritoria, oratio habet magis rationem meriti applicabilis alteri: quia ipſa de ratione ſui eſt placatiua Dei, & reconciliatiua rei Deo: illius videlicet rei, pro quo per ipſum orãtem ſpecialiter offertur. Idcircò conſequenter quæritur: Vtrùm precatio Miſſaria pro pluribus dicta, tantum valeat vnicuilibet eorum quantum ſi pro vnoquoq; eorum ſeorſum diceretur. Pro huius quæſtionis ſolutione eſt notandum, quòd huiuſmodi orationis vis latè patet. Eſt enim conſolatoria, meritoria, ſatiſfactoria, & impetratoria. Sit igitur prima Propoſitio: Præſens queſtio non eſt tractanda de oratione, quatenus eſt conſolatoria: quoniam euiſmodi cõſolatio ex pia oratione proueniẽs, eſt effectus alicui alteri à precante incõmunicabilis, vtpote ſpiritualis ac immanens. Siquidẽ euenit ex ſola precãtis intentione ad Deum, & ſolerti dicendorum attentione, ac demum myſteriorum meditatione. Vnde Pſalmograph. Memor fui Domini & cõſolatus ſum. Concaluit cor meũ intra me, & in meditatiõe mea exardeſcet ignis. Et illud, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo! Sit ſecũda propoſitio: Quæſtio hæc non ingerit nobis difficultatem, quatenus eſt meritoria gratię vel gloriæ de condigno. Quia ſecundùm hanc rationem, minimè orantis merito reſpondet aliquis effectus communicabilis, & diſtribuibilis aliis ab ipſo orante. Cùm nemo præter Dominum Ieſum Chriſtum poſſit alteri ex condigno gratiam mereri. Tertia propoſitio: Oratio quantum ad meritum de cõgruo, benè facit ad difficultatem: quia per illud ſacerdos poteſt promereri iis, pro quibus in ſacrificio precatur: non modò quędã bona tpalia, ſed etiam ſpiritualia, vel certè præuiam diſpoſitionem ad gratiam: ſicut Stephanus Paulo, & Cecilia ſponſo ſuo Valeriano. Et quanuis meritum de congruo, quod conſiſtit in quadam condecentia, ſcilicet vt facientibus nobis quod in nobis eſt, Deus faciat, quod ipſum decet: non pertineat ad rationem iuſtitiæ ſimpliciter obligatoriæ: facit tamen ad votum procurantis Miſſam, qui videns ſe peccatorum vinculis conſtrictum, & non ſatis ad ea relinquenda animatum, optat meritoriis ſacerdotis precibus adiuuari, vt ad veram & perfectam eorundem peccatorum pœnitentiam perueniat: & ideò petit ab eo, vt pro ipſo Miſſam illam peculiarem celebret,

celebret, quę i Miſſali libro inſcribitur
Pro remiſſione peccatorum. Confirma-
tur & illo Iacobi dicentis: Infirmatur
Iacobi.5. quis in vobis, inducat presbyteros eccle
ſię, & addit: Et oratio fidei ſaluabit in
firmum, & ſi in peccatis fuerit, remit-
tentur ei. Ex hoc etiam loco cōſtat, O-
rationes quæ interponuntur in officio
miſſæ eſſe impetratorias bonorum tū
ſpiritualium, tum temporalium: non ſo
lùm quatenus ex parte noſtra nituntur
noſtræ fidei, iuxta illud Matthęi: Quic
quid orantes petieritis, credite & fiet
vobis. & quatenus ex parte Dei innitū
tur eius miſericordiæ: dicente Chryſo-
ſtomo: Deus nunquam oranti beneficia
denegat: qui orantes, vt non deficiant
ſua pietate inſtigat, dicens: Oportet o-
rare & nunquam deficere. Sed etiam
fit impetratoria charitate, quam ſacer-
dos ergà Deum habet: dicente Domino
ad diſcipulos ſuos, Vos amici mei eſtis,
ſi feceritis omnia quæ pręcipio vobis.
Quibus & ſe diligentibus petitorum
impetrationem promittens, inquit: Si
manſeritis in me, & verba mea in vobis
manſerint, quodcunq; petieritis, fiet vo-
bis. Facit & ad idem puritas ſpiritalis
non modò Miſſam procurantis, ſed etiā
ſacerdotis: vt ex mille ſacrarum literarū
1.Ioan.3. locis compertum eſt. Hinc & Ioannis
can.1.cap.3. Chariſsimi, ſi cor noſtrum
non reprehenderit nos, fiduciam habe-
mus ad Deum, & quicquid petierimus,
accipiemus ab eo: quoniam mādata eius
cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita co
ram eo facimus. Facit & plurimùm ad
impetrādum ipſa offerentis deuotio ex
fide, ſpe, & charitate profecta. Vnde
& de Chriſto teſtatur Paulus, quòd
fuit exauditus pro reuerētia ſua. Exau
ditus eſt enim Chriſtus ſecundùm quòd
homo eſt pro reuerentia, quam ergà De
um habuit. & de mēbris eius Propheta
loquitur: Voluntatem timentium ſe fa-
ciet, & deprecationem eorum exaudiet,
& ſaluos faciet eos. Eſt & eadem miſ
ſalis oratio nonnihil pœnalis. Ex his de
niq; ſuppoſitis alibi exactiùs diſputan-
dis, infertur, quòd ſacerdos omnis in miſ
ſa pro pluribus ſibi ſpecialiter in eodem
gradu commendatis, minimè prodeſt
ęqualiter ſingulis quomodò valeret vni
cuiq; eorum, ſi pro eò ſolo precatio ſpe-
cialiter fieret. Eſt enim valor illius me-
ritoriæ, ſiue placatoriæ, ſiue impetrato
rię, atq; ſatiſſfactorię orationis finitus.
Omne autem finitum, quo in plures di-
ſtribuitur, eo minùs ſingulis ſufficit.
Nec hoc euitatur ſi quis pluribus fidei,
vel deuotionis, vel ſupplicationis acti-
bus pro eorum numero petat. quia licèt
ipſe fidei habitus in ſe non minuatur, di-
minuitur tamen quilibet talis actualis a-
ctus. Quia ſicut actualis amicitia huma
na non eſt adeò vehemens ac perfecta ſi
in plures diuidatur, ſicut ſi tota dilectiū
in vnum vnico actu colligatur: ita actua
lis fides, ſiue deuotio, ſiue charitas & re
uerentia in Deū ſi pro pluribus eodem
tempore exerceatur, nō eſt tam magna,
atq; valida ſingulorum reſpectu, quàm
eſſet vnicuilibet eorum ſi vis harum vir-
tutum in vnius fauorē atq; profectum
tantūmodò dirigeretur, & expendere-
tur. Quòd ſi dixeris: Diuina miſericor
dia non anguſtatur petitionum vel nu-
mero, vel magnitudine: ſic habet. Eterni

Dei

*Dei miſericordia, quæ infinita eſt &
æterna, neque minui, neque arctari in ſe
poteſt: & tamen nō pro cuiuſlibet preci
bus ſingula, nedū pluribus plura largi-
tur. Alioqui ad vni⁹ p̄cē cūcta mortali
b⁹ bona impartiretur. Prętereà ita ſen
tiendū eſt ſiret ſecūdū amicitiā diuinā:
ſicut fit in humana amicitia, quæ ab illa
deducitur. Sed in amicitia humana dile
ct⁹ per ſupplicationē impetrat ab amico
maius bonum alicui vni, quàm ſi ſuppli-
caret pro multis. Nam pro vno exaudi
retur, vt tantum ac tale bonum ei im-
petret: & ſi pro multis peteret, vel nō
pro omnibus exaudiretur, vel non tan-
tum bonum impetraret. & hoc ſecundū
iuſtam legem amicitiæ, quam ſequentes
ſancti nec omnibus, omnia, neq; omni tē
pore, neq; ſine aliorum ſanctorum ſecū
petentium conſortio à Deo petere ſo-
lent. Nanq; nouerūt diuiſiones eſſe gra
tiarum, & ſtellam differre ab ſtella in
claritate: & omnia à diuina ſapientia
in numero, pondere, & menſura diſpoſi
ta ſuis temporibus fieri: atq; maiora ma
ioribus miniſteriis geri. Ex quo fit, vt
ſancti quanuis diffuſiſſima charitate co
ram Deo preces fundant, non cuncta pe
tita impetrent. Etenim ſancti in cœlo
Deū orantes, plerunq; neſciunt vtrùm
impetrabūt ab eo qd̄ petūt: petūt tamē
quod exiſtimant ſuis orationibus implē
dum ſecundùm Dei voluntatem: impe-
trant autem illud quod Deus vult fieri
per orationes eorum: vt docet ſanctus
Thomas articulo vndecimo ad quæſtio
nem octogeſimamtertiam ſecundæ par-
tis ſecundi libri, in ſolutione ad ſecūdū.
Quare ſacerdotalis modeſtiæ eſt atque
pietatis, agnoſcere menſuram ſuam, &
non ſe onerare ſpecialibus obligationi-
bus, & maioribus muneribus, quàm ex
hibere poteſt, & non præſumere pluri-
bus impetrare quibus forſitan vix ipſe
ſit dignus, vt Chryſoſtomus inquit.*

Articulus decimusſextus

*POrrò cùm conſtet, abſq; pec
cato intercedere poſſe mu-
tuam obligationē inter exi-
gentem officia ſpiritualia
fieri, & inter ſacerdotem pollicentem
illa ſe redditurum, vt in quæſtione pro-
pria hac de re à nobis ædita ſatis expo
ſuimus: Conſtet & illud, eum qui ſacer
dotem occupat ſibi ſoli in ſpiritualibus
celebrandis deſeruiat, teneri prouidere
ei, atque præſtare quotidianæ ſuſtenta-
tionis ſtipēdiū: ita quod abſq; mendicimo
nio talis ſacerdos iuxta cōditionem ſuā
poſſit inde vitam ducere: ſuppeditatiſq;
ſibi, victui, atq; veſtitui neceſſariis, diui
nis officiis perſoluendis totus incumbat.
Hanc enim congruam temporalium bo
norum ſufficientiam eccleſiaſticis mini-
ſtris ſpiritualium procuratores abſque
vlla fraude præbere ſecundùm omnem
legem tenētur: ſicut Apoſtolus in prio
ri ad Corinthios epiſtola luculentè do-
cet. Nec excuſatur ab hoc debito, dicen
do aut admittat hoc tantum, aut tale ſti
pendium, aut abeat: Non enim deerit a-
lius, qui pro hoc ſtipendio pro me mini-
ſtret: quia illi alii teneberis etiam cōgru
um vitę cum honeſtate degendę ſtipen-
dium ſufficere. Si dicas, Hoc ſtipendio
quantūuis tenui ſacerdos cōtentus agit:
nihil*

nihil ergo amplius ei præbere teneor. Si quidem ſcienti & volenti non fit iniuria. Ita eſt: ſi plenè nouerit ille, atq; voluerit id, quod alioqui ſit licitū. Iſte autem minimè vult: quia non plenè vult. Sed miſeram conditionem admittit, nè miſeriùs propter penuriam mendicare compellatur. Peccāt & hoc grauiſſimè quidam eccleſiaſtici aliis atq; aliis beneficiis impiè referti, atq; miſerrimè onuſti: quibus non ſatis eſt alios tribuenda perperàm occupare, ſed etiam vicariis ſuis tenuiſſimas duntaxat oblatiunculas in alimētum relinquunt. ſic enim contra ius & fas alius quidē eſurit: alius autē ebrius eſt. Hi ſunt, qui quanuis ſuis diplomatis in foro exteriori defendantur nè excludantur à pluribus eccleſiis, quas vel decepta vel extorta ſummi Pōtificis autoritate improbè ſibi conuaſarunt, & iniquè poſſident: attamen in foro interiori non videntur eſſe tuti: in quo Deus merita ſingulorum expendit quibus pro cuiuſq; morum dignitate, & ſeruiendi altario facultate ſuas opes diſtribui vult. Iam verò moliūtur nonnulli huic malo mederi transferentes in alios beneficiorum titulos retētis ſibi fructibus: nec intelligunt eo modo ceſſare ſe quadātenùs à ſacrilega pluriū beneficiorum incompatibilium occupatione, ſed in aliud malum incidere. Nanq; retinētes ſibi totos, vel ferè totos fructus debitos iure tituli in alium trāſlati, manifeſta iniuria afficiunt eum in quem illū titulum tranſtulerunt. Vel quia cùm beneficiū detur ꝓpter officiū, præſtāti officiū ſunt toti fructus reliquēdi: vel certè tāta eorū portio, quāta ſit ei opùs: non modò ad quotidianæ ſuſtentationis ſui ſtipendium, ſed etiam, vt quibuſdam præſentaneis pauperum, quorū gerit curā, neceſſitatibus ſubuenire queat. Hæc omnia ſic haberi manifeſtè conſtat ex capite nono prioris epiſtolæ ad Corinth.

Articulus decimuſſeptimus.

POſtremò dubitauerit quiſpiam, vtrùm recipienti huiuſmodi temporalia liceat in caſu recedere ab obligatione & onere recepto ſibi impoſito. Huic quæſtioni reſpondet Ioannes Gerſon in tractatu De ſolicitudine eccleſiaſtica: quē ferè omnes Neoterici ſequūtur. Reſpondet inquam per tres propoſitiones Quarum prima eſt. Euidens neceſſitas ceſſandi à perſoluendo officio, Prima propoſitio *puta ſi vel Epiſcopus, vel Archiepiſcopus, & Summus Pontifex reuocet eū ſacerdotem ad aliquid in vniuerſalis eccleſiæ vtilitatem faciendum, vel aliquod neceſſarium pietatis opus ad certum tēpus explendū: vt ſi pater alibi mortuus eſt, nec eſt alius qui funus eius curet, & matrem conſoletur, & ſororum pudicitiæ conſulat, niſi filius ſacerdos: tunc tēporis nemini dubium, quin illi, quantumuis ſit obligatus, liceat abire, & ab officio reddendo ceſſare. Ad eandem neceſſitatem pertinet ineuitabile impedimentum, vel ex impotentia, vel infirmitate recipientis huiuſmodi temporalia. Ex quo videtur Gabriel ſequi, vt ait in Canone, Lectione viceſimaoctaua: Quòd ſi habens beneficium, puta capellaniam, vnde tātum duntaxat recipit, quātum*

tum ſtatus ſui, & conditionis neceſſitas exigit & non amplius: incidat in corporalem neceſſitatem, infirmitatem, aut captiuitatem, aut cætera id genus impedimenta, per quę à pręſtãdo officio redditur immunis: poſteà, quando illa euaſerit, omiſſa nõ tenetur reſarcire. Ita qđ miſſas, aut etiam Canonicas horas, ſi quas infirmitate, vel captiuitate diſtrictus dicere non valuit: aut probabiliter opinatus non poſſe dicere, perſoluere neglexit: poſtquam cõualuerit, vel in libertatẽ redactus fuerit, nõ tenet̃ miſſas repetere, aut ꝑſoluere. Quia neceſſitas eũ ſufficienter excuſauit ab officio, quod pro certo tempore perſoluendum fuit. Secùs autem & ſentiendum & faciendum eſt, ſi talis ſacerdos pingui fruatur præbenda. Vnde non ſolùm decentem ſtatum fulcire ſufficit iuxta qualitatem & conditionem ſuæ perſonę, verùm & eleemoſynam tribuere: aut in arca pecuniam congregatam habeat. Tunc enim officium, quod per ſe ſoluere nequit, per alium exequi debet: nè ſpiritualium ſuffragiorum beneficio priuetur qui corporalia bona ad id munus fouendum copioſe contulit. Ad eandem excuſatoriã neceſſitatem faciunt fortuitæ eccleſiarũ demolitiones. Vbi enim eccleſia non eſt ſacrificium ſolenne agendum non eſt. Erit igitur ſacerdos abſolutus à perſoluendo illic ſacerdotali munere. Sed ſi reditus integri permaneant, alibi officium ſuum exequi debet. Sicut interdicta eccleſia, in qua cõuſtitutum erat, vt ageretur ſacrificium: in alia non interdicta ſacrum agi debet, vt ſacerdos quo meliùs poteſt, debitum ſoluat. Nec dubitandum eſt quin alibi ſacrificando ſatiſfaciat. Abſurdum enim eſſet, ſi toto interdicti tempore à celebrãdo ceſſaret: vt ſublato interdicto in propria baſilica omiſſa repeteret. Nam nec ipſe poſſet niſi ſemel per diem celebrare, nec haberet forſan vnde ſtipendium redderet aliis pro eo celebraturis. Ad eandẽ neceſſitatẽ ſpectat diſſipatio hæreditatũ, aut domorum, aut amiſſio iurium, vnde prouenìebant ſtipendia quibus ſacerdotes alerentur. Nam ſi in totum illa ſint amiſſa, omnino eximitur ſacerdos ab obligatione, qua tenebatur inſtitutori ſacrum facere. Siquidem beneficium quod propter officium dabatur, prorſus deperiit. Quòd ſi non totum quotidianæ ſuſtẽtationis ſtipendium interiit, ad proportionem partis remanentis ſpirituale officium exercebitur, vt commodiùs fieri poterit. Quod quidem vt meliùs fiat, à Prælato ea de re decretum petere conuenit. Secũda propoſitio. Vrgens vtilitas, quę quandoq; temporis ſucceſſu contingit, idonea eſt cauſa vt aliquãdo forma perſoluendi ſuffragii ab inſtitutore præſcripta non omnino ſeruetur: tũc enim iuſtum eſt, vt emergẽs ratio reformet pactum. Nam quemadmodùm in iuramẽtis & votis generaliter promiſſis plerunq; accidit, vt quæ bonæ eſſe videbantur, particularibus quibuſdam euentis exigentibus vel non ſint ſeruãda, vel immutanda ſint: quia iã noxia ſunt, vel inutilia, moribus incongrua, aut eccleſię ritibus diſſona. Sit exempli cauſa: Aliquis inſtituit Miſſam quotidie dicendã pro defunctis, quæ eſt eis in Miſſali libro aſſignata: incidat autẽ dies Natalis Secunda.

lis Domini, nec ſit alius qui celebret, proculdio ęquum eſt, vt ille relicta miſſa defunctis aſſignata, faciat miſſam de Natali Domini, vt ſublato de medio ſcandalo, tāti feſti ſolenitati ſatiſfaciat: imò alijs in diebus plerunq; id fieri licet. Nam, vt ait ſanctus Thomas, quæſtione tertia ad diſtinctionem quadrageſimam quarti libri Sententiarum, in officio Miſſæ nō ſolùm eſt ſacrificium, ſed etiam ſunt ibi orationes. Ex parte igitur ſacrificij oblati, miſſa ęqualiter prodeſt defuncto, de quocunq; dicatur: & hoc eſt pręcipuum, quod in Miſſa fit. Sed ex parte orationum magis prodeſt illa, in qua ſunt orationes ad hoc determinatę: & ideò miſſa defunctis aſſignata, eſt pro eis dicenda, niſi aliunde ſuppleatur, & fructus eis augeatur. Puta cùm defectus illinc proueniens compenſatur per maiorem deuotionem, ad feſtū cōcurrēs, vel eius q̄ dicit miſſā, vel eius q̄ facit eā dici: vel demū p̄ interceſſionē ſancti, cuius ſuffragiū in miſſa īplorat̄. Tertia. Tertia propoſitio. Diſpenſatio ſuperioris, ſiue Epiſcopi ſiue Papæ, poteſt eſſe iuſta cauſa, vt nō ſeruetur ad vnguem formam reddendo ſuffragio inſtituta. Etenim ad eccleſiæ prælatos ex autoritate incidentia dubia determinare ſpectat: ſicut ad doctores eccleſiaſticos pertinet eadem doctrinaliter definiri. Hinc fit vt nonnunquam illorum autoritate ex beneficijs ſimplicibus fiant præbendæ, vel collegia, vel monaſteria. Seruandus tamen eſt in his modus. Nam quid abſurdius, quàm quòd beneficium curatori animarum in vna eccleſia deputatū trāſferatur in emolumentum alicuius baſilicæ alterius eccleſię? imò & epiſcopatus? Id quod ſi quando iuſtè fiat, cauendum eſt, nè viuorum, vel defunctorū animæ priuentur ſuffragijs ex prima inſtitutiōe eis debitis. Tales enim mutationes vltimarum voluntatum nefas eſt fieri, niſi intercedente Pontificis autoritate, ea quę priùs bene ſunt inſtituta, vel in meliùs, vel certè non minus bonū magna de cauſa commutantis: ita vt fiat plena aliunde defunctis ac viuis compēſatio: vt ſi quis præſtimonia quædā procuraret applicari in ſtipendium magiſtrorum, qui in publicis ſcholis eiuſdem Diœceſeos filios bonas artes ac pias doceant, vt edocti, digni & idonei ſacerdos euadant.

Articulus decimusoctauus.

RESTAT & aliquid diſcutiendū quod ad ea quę proximè tractabantur valde facit. Hoc eſt: Quidam alicui prędium ſatis opulentum legauit, impoſito ei onere, vt ex eo quatuor milia dipondiorum, quos Marauedinos vocant, ſingulis annis perpetuò redderet tali ſacerdotum cœtui, qui toto anno ſingulis diebus per ſingulas bebdomadas duas miſſas in perpetuum ad eius intentionem celebrarent. Succeſſu autem temporis mutatus eſt valor monetæ: ita vt illud prędium ſacerdotibus olim legatum, quod tunc locabatur viginti dipondiorum milibus, nunc ſeptuplo pluris locatur: id eſt centum & quadraginta dipondiorum milibus, conducitur. Dipondij autem antiqui ſpecie ſua non extant, ſed duntaxat

eorum

*corum vocabulum. Vulgò enim Mara
uedis dicuntur: quod minutiſsimam hoc
tempore monetam ſignificat: quę licèt
nulla talis inueniatur in ſua ſpecie excu
ſa, valet tamen ſolùm duos aſſes, id eſt
trigeſimam quartam vnius Regalis ar
gentei partem. Olim autem Maropeti
nus valebat tres denarios: qui valebant
triginta Marauedinos huius temporis.
Iam quæritur: Vtrùm hoc in caſu ſacer
dotes illi teneantur pro quatuor milibus
dipondiorum per totum annum ſingu-
lis diebus duas dicere Miſſas? Reſpon
dent ipſi, ſe nec ad id teneri, nec facere:
ſed eas tãtùm dicere, quibus ſatiſfaciũt
ſtipendio quatuor milibus dipondiorũ
monetæ nunc currentis: hoc eſt duas miſ
ſas dicere per ſingulas vnius anni hebdo
madas: monetæ antiquæ valore in tan-
tum diminuto, vt vix ad id ſtipendii, vel
paulò ampliùs ſufficiat ei, qui bis p heb-
domadam pro legatore ſit celebratu-
rùs. Quòd ſi hoc admittatur, defrauda
bitur inſtitutor ferè ſex partibus ex ſe-
ptem ſuffragiis à ſe inſtituti. Quod vi-
detur & iniuſtum & intolerãdũ. Quid
igitur faciendum? Quid? Proculdubio
vt reformetur pactum. Nam quia præ
dium nunc eſt integrum, & cultius, &
vberius multò, & temporis ſucceſſu va
riato in perpetuum monetæ valore, lo-
catio ei⁹ eſt ſextuplo ac ſeptuplo legata
rio fructuoſior & pretioſior: videtur
quòd ipſe legatarius tenetur ſoluere illa
quatuor dipondiorum milia, iuxta anti-
quum illorum valorem, qui erat cõgruũ
ſacrum agentibus ſtipendium: donec
nummos augendo perueniatur ad iuſtã
mercedem retribuendam in ſubſidium
victus & veſtitus eis qui duas illas miſ
ſas dicturi ſunt. Nec valet dicere ſatis
eſſe ſoluere quatuor illa dipondiorum
milia à legatore ſuffragio determinata,
quia legator id fecit: quia tunc tempo-
ris ea dipondiorum ſumma iuxta valo-
rem monetę tunc currentis erat ſufficiẽs
ſtipendium duas miſſas quotidie dictu-
ris, deſignaturus amplius, ſi de valoris
illorum mutatione cogitaſſet. Prima e-
nim eius intentio expreſſa fuit vt per-
petuò ſingulis diebus duæ miſſæ dicerẽ
tur: & hic fuit eius prĩcipalis finis. Se
cunda fuit, ſiue expreſſa ſiue tacita, obli
gare eum cui prædium legabat, vt in o-
mnem euentum congruum quotidianæ
ſuſtentationis ſtipendiũ ſacerdotibus ce
lebraturis redderet. Qui enim præſti-
tuit finem, exigit & medium neceſſariũ
ei obtinendo. Sicut ergo ſtipendium quo
tidianę ſuſtentationis tunc quatuor di-
pondiorum milibus fuit taxatum, quia
ſatis erant: ſic & nunc pluribus eſt defi
niendum, donec perueniatur ad numerũ
dipondiorum congruo ſtipendio parem,
facta reductione eorum ad antiqui valo
ris proportionem. Etenim valde iniquũ
eſt, quòd ex temporis ſucceſſione, & va
loris monetę mutatione, accreſcant plu-
rimùm legatario prędii fructus & vti-
litas, & legatori in dies piũ ſuffragiũ
decreſcat. Confirmatur hoc per Capi-
tulum, Olim. extrà, de cenſibus. adiũcta
vltima gloſſa, & Capitulo, Quanto.
extrà, de iureiurando. Quod approbat
& Abbas hoc eodem capitulo, numero
decimotertio prope finem, dicens: quid
autem ſi ex teſtamento, vt quia tempo-
re teſtamenti plus vel minus valebat mo*

tena

neta quàm hodie valeat? & intellige de perpetua alteratione. Dic ꝙ debet attendi valor exiſtens tẽpore teſtamenti: quia de eo videtur teſtator ſenſiſſe: vt in.l.vxorem.§. teſtamento.ff. de leg.3. &.l.fi.in princ.ff. de auro & arg. legato.tenet Ioan.in addit. ad Speculatorem,in.§.nunc aliqua.verſi.ſed pone. Et ita conſuluit Oldradus, vt recitat Dominus Petrus de Anchar.in dicto c.Olim.Quòd ſi quis putet aliud quiddam in hoc tractatulo circa Miſſæ valorem deſiderari, petat illud à tractatu quẽ ea de re magiſter meus Martinus de Frias olim edidit: quẽ honoris gratia nomino. erat enim vir tum doctus tum probus.

❧ Tam pia quàm cõmoda breuisq́ exiſtentiæ Chriſti in ſacratiſsimo Euchariſtiæ Sacramento Aſſertio.

Quærat aliquis,quando Chriſtus ſacratiſſimam Euchariſtiam inſtituens dixit, Hoc eſt corp⁹ meũ: &, Hic eſt ſanguis meus: Vtrùm ea demonſtratio fuerit propria,an impropria:hoc eſt figuratiua,an realis. Hoc eſt vtrùm verbũ, eſt, ſit tranſlatum, vt tantum valeat quantum hoc verbum,figurat,vel ſignificat: ſicut in eo quod Apoſtolus dixit, Petra autem erat Chriſtus: vbi verbum, erat, manifeſtè poſitum eſt pro eo quod eſt,ſignificabat,vel præfigurabat. Sed non eſt ita. Nam verbum,eſt, propriè, & non tranſlatè,realiter,& nõ figuratiuè tum ſignificat, tum eſt accipiendũ: vt vera eſſentia,& vera exiſtentia corporis & ſanguinis Chriſti,ſub illis accidentibus eſſe, ſicut eſt,incũctanter credatur. Et vt Theophylacti verbis vtar, dicens Dominus Ieſus, Hoc eſt corpus meum,oſtendit quòd ipſum corpus Domini eſt panis, qui ſanctificatur in altario,& non reſpõdens figura. Non enim dixit, Hoc eſt figura: ſed, Hoc eſt corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiam ſi nobis videtur panis. Quoniam infirmi ſumus, & abhorremus crudas carnes comedere: maximè hominis carnem: & ideò panis quidem apparet, ſed caro eſt. Non igitur conſequitur, vt ſi in eo, quòd Apoſtolus dixit, Petra autem erat Chriſtus,verbum,erat,poſitum eſt pro verbo, ſignificat. Sic & in eo quod Dominus dixit,Hoc eſt corpus meũ,verbum,eſt, poſitum ſit pro eodem verbo, ſignificat. Nam ſicut Paulus præpoſito, Bibebant de ſpirituali conſequente eos petra: commonſtrauit Chriſtum ab eo figuratè dictum eſſe Petram, & ſpiritualem eſſe non materialẽ petram: Ita Chriſtus poſtquàm dixit,Hoc eſt corpus meum,adiungens, quod pro vobis tradetur: commonſtrauit idem corpus ſe tradere diſcipulis ſuis manibus quod erat crucifigendum. Sic & quando dixit, Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus,cõmõſtrat, carnem corpusq́; ſuũ, re vera eſſe cibũ atq; potũ. Quod grauiſſima cõminatione confirmauit aduerſus eos,qui audito

tanto myſterio offenſi ſunt, dicens, Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnẽ filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et quanuis contraria huic Catholicæ ſententię hæreſis multis conciliis damnata fuerit, placet pauculos inducere locos ex antiquis pariter & ſanctis viris, quibus manifeſtè aſſeritur, Chriſtum verum Deum verumq; hominem, verè & realiter in Euchariſtiæ myſterio contineri: pane videlicet in eius corpus, & vino in ipſius ſanguinem diuina poteſtate conuerſis. In primis itá fatetur pluribus in locis Chryſoſtomus, Chryſoſt *ſed explicatiſſimè in tertio libro de Sacerdotio, ſic exclamans: O miraculũ! O Dei benignitatem! qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo tẽporis articulo omnium manibus pertractatur: ac ſe ipſe tradit volẽtibus ipſum excipere, & amplecti! Ambroſius quoq; in nono capite libri De iis qui myſteriis initiantur, per plurima exẽpla docet quòd corpus Chriſti quod accipimus, non panis ſit, ſed caro: quæ ex Virgine nata, quæ crucifixa, quæ ſepulta fuit, & reſurrexit. Et Auguſtinus homelia triceſimatertia: Acceſſerunt Iudæi ad Chriſtum vt crucifigerent: nos ad eum accedamus, vt corpus & ſanguinẽ eius accipiamus. Ipſe dedit nobis manducare corpus, in quo tanta perpeſſus eſt: & bibere ſanguinẽ quem fudit. In ſermone quoq; ad Neophytos: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: & hoc accipite in calice, qđ effuſum eſt de Chriſti latere. In homilia Pſalmi nonageſimoctaui: Adorate ſcabellum pedum eius: De carne Mariæ carnem Chriſtus accepit: in ipſa carne hic ambulat: ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo illam carnem manducat, ſcilicet ſpiritualiter & dignè, niſi prius adorauerit. Et paulò pòſt quã do Dominus hoc commendans de carne ſua loquutus erat & dixerat, Niſi qs manducauerit carnem meam, non habebit in ſe vitam æternam: Scandalizati diſcipuli eius ſunt quidam, ſeptuaginta fermè, & dixerunt: Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? & receſſerunt ab eo. Durum illis viſum eſt: acceperunt enim illum, ſtultè cogitãtes carnaliter, qđ præciſurus eſſet carnaliter particulas quaſdam de corpore. Spiritualiter, inquit, intelligite quod loquutus ſum: non hoc corpus quod videtis mãducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. In his poſtremis Auguſtini verbis exultant hæretici: hic ſe viciſſe gloriantur. Sed mirabili cęcitate fallũtur. Qui enim ſuperiùs teſtatus erat, q̃ carnem quam de Virgine ſumpſit, nobis ad manducandũ tribuit, quomodò huic tam præclarę ſentẽtiæ mox alia ſententia potuit obuiare? Intelligant igitur Auguſtinum docuiſſe, Chriſtum dediſſe nobis ad manducandum ipſum verum corpus ſuũ. Ipſum, inquam, re vera quãtum ad eiuſdem ſubſtantiã: & quodam modò non ipſum, id eſt, non ipſum ſub ſua naturali forma exteriùs tractabile, ac viſibile, & palpabile, & carnaliter dentibus lacerandum. Sic enim carnem eius manducare non prodeſt quicquam: ſicut maximè prodeſt piè ſumentibus,*

*mentibus, illud ſub aliena, id eſt pa-
nis ſpecie manducare. Deniq; mirabili
diuinæ ſapientiæ diſpenſatione verbis
huius tanti ſacramenti conſecratoris
interpoſitũ fuit: Myſterium fidei: vide
licet vt exploratũ eſſet, non humana ra
tione, ſed diuina authoritate nitendum
eſſe, hoc Auguſtiſſimum ſacramentum
conficiẽtibus. Neq; minore animi prom
ptitudine fideique robore opùs eſſe ad
credendum Chriſtum in Euchariſtia re
vera contineri, quàm ad credendũ Ver
bum Carnem factum fuiſſe. Quam ob
rem quotieſcunque ſacerdoti ſacratiſſi-
mam ſynaxin pertractanti contrariæ
nebuloſæ infidelitatis cogitationes oc-
currerint, memor ſe myſterium fidei co-
lere, peracuto ac præfulgenti conſtan-
tiſſimæ fidei gladio illas diuerberet,
procúlque abigat: vt mundum ſacrifi-
cium, mundè ab eo peragatur. Habet
quem, licèt iure longè minore, imitetur,
maximum Patriarcham, qui pio diligen
tiáq; ſtudio abigebat volucres in anima-
lium carnes, quas Deo ſacrauerat in-
uolantes: nè ab eis fœdarentur.*

Annotatio non inepta de Cœna Domini.

*APpoſuimus & his
nõnulla de cœna Do-
minica, quæ nonnihil
ad Euchariſtię ratio
nem facere videntur.
Etenim cœna apud
antiquòs dicebatur, authore Feſto; quod
nunc eſt prandium. Veſpera autem dice
batur, quam nunc cœnam appellamus:
veſpertinam videlicet comeſtionem. Fa
cit & ad Feſti Pempeii obſeruationem
quod Gregorius volens concordare e-
pulum quod Matthæus prandiũ voca
uit, Lucas aũt cœnam, inquit: Quod ve
rò per Lucam cœna, per Matth. autem
prandiũ dicitur, nequaquã obſiſtit. quia
cùm ad horam nonã apud antiquos prã
dium fieret quotidie, ipſum quoq; pran-
dium vocatur cœna. Et profectò cùm
Paulus Corinthiis ſcripſit: Si quis vo
cat vos ex infidelibus ad cœnam: nequã
quam inter prandium & cœnam ſecre-
uit: ſed vtrũq; eadem appellatione com
prehendit. Putant Seruius apud anti-
quos in vſu non fuiſſe prandia, ſed eum
multis teſtimoniis Beroaldus refellit.
In ſacris quoq; literis, tam prandii q̃ cœ
næ mentio fit: licèt frequẽtiùs ſit cœnæ
nomen q̃ prandii vſurpatũ. Certè Do-
minus apud Lucam Euangeliſtã vtrun
q; coniungit. Dicit enim ei qui ſe inuita
uerat: cùm facis prandium aut cœnam,
noli vocare amicos tuos &c. Seruauit
& conuiuiorũ ordinem Dominus, pran
dium cœnæ præferens. Vnde Gregori
us exponẽs illud Parabolæ, Homo qui
dam fecit cœnam magnam, & vocauit
multos: de æterno conuiuio ad quod ho-
mines diuina gratia vocãtur, ſic ait: Id
circò autẽ hoc conuiuiũ Dei, non pran
dium, ſed cœna vocatur, quia poſt pran
dium cœna reſtat: poſt cœnã verò, con-
uiuium nullum reſtat. Et quia æterni
Dei conuiuium extremum nobis præpa
rabitur, rectum fuit vt hoc non pran-
dium, ſed cœna vocaretur. At apud
Matthæum dicitur prandium. Sic ha-*

bet: Ecce prandium meum paraui. Sed cùm prandium opponitur cœnę, conuiuium gratiæ intelligitur, quod ī Eucharistia celebratur: cœna verò quod in menſa cœleſti percipitur: vel idem epulum beatorum prandium dicitur, quia non tardè, ſed tempeſtiuè in meridie æternitatis agitur. Cœna autem vltimus eſt appetendorum finis: in quo mentis ſatietas non conſumitur, ſed conſummatur; & quia per temporarium, & myſticum prandium quod in eccleſiaſtico altari celebratur, ſpiritu renouamur. Et digni & idonei redduntur eius participes, vt ad æternam illam cœnam admittantur. Cùm myſticā Euchariſtiam Dominus Ieſus in vltima cœna inſtituit, calicem eius calicem noui & æterni Teſtamenti eſſe profeſſus eſt. Quam quidem cœnam Dominus rectè magnā eſſe teſtatur, quòd ſit omnium maxima, & inuitantis maieſtate, & illuſtrium conuiuarum honeſtate, & ſplendidiſſima triclinii munditia, & epulorum ſolennitate, & pincernarū gratia, & fruendæ iucunditatis perpetuitate. Siquidem illius cœnæ author eſt Deus Optimus & Maximus: Couiuæ omnes ſancti, tam angeli quàm homines: Tricliniū, Empyreum cœlum, clarum & ſplendidum: Epulæ, diuinæ dapes, omnium ſuauitate prærogatiua perfectę: Pincernę, & hominum, beati Angeli: & angelorum, beati homines. Aut ſi mauis, pincernę ſunt tres illæ diuinę perſonę: non vtiq; miniſtrandi ſubiectione, ſed ſuggerendarū epularum authoritate. Nullus enim præter eas panem illum cœleſtem conuiuis ſuis inferre poteſt: quem qui manducat, habet vitam æternam.

Adhęc mos fuit Chriſto credentiū in primitiua Eccleſia, ad ædem ſacram cōuenire, & priùs quidē ad Chriſti exemplum ſimul comedere diuites & pauperes, horumq; inopia illorū copia ſupplebatur: vt inde vtriq; pari cōditione Euchariſtiæ participes fierent. Qui mos quoniam temporis ſucceſſu deprauatus fuerat: nam neq; alii alios expectabant, neq; pauperibus diuites aliquid impartiebantur, ſed ad ſaturitatem vſq; & ebrietatem ſplendidè epulabantur: Corinthios ea de re diuus Paulus arguit dicens, Conueniētibus vobis in vnū, iam non eſt Dominicam cœnam manducare: vnuſquiſq; enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum: & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Pulchrè autem, vt ait Theophylactus, cœnam Dominicam, conuictum illum appellat, ad venerādæ illius Dominicę cœnę imitationem, quam Chriſtus cum diſcipulis ſuis egit. Ob idq; prandiū cœuam Domini dicit, perinde ac ſi inquiat, Aduertite quali fueritis re priuati, Dominicę ſcilicet menſæ imitatione: nam Dominicam hanc cœnam feciſtis priuatam: ſiquidem quandiu fuerat communis, & Domini eſſe dicebatur: ſunt nanque ſeruis dominorum bona communia. Et quoniam veſtrûm ſinguli præueniendo propriam cœnam edunt: ita vt pauperes haudquâquam operiantur, ſed ſeorsùm & ſoli cibum ſumamt: fœdaſtis profectò hanc cœnam: quippe quam ex communi & Dominica, priuatam feceritis. Enimuerò pauper fame conficitur; crapulatur verò vir opulentus.

Quo

*Quo fit vt duplici modo ea in re delin
quatur: nam & inopes deſpiciuntur: &
vos depaſti & cibo, qui fuerat paupe-
ribus parandus, oppleti, vino madetis:
& ſubinde ad reuerenda ſacra commu
nicanda incompoſiti & indigni accede
re non veremini: quorum participes eſ-
ſe nullatenùs decet, niſi fide idoneis, pie-
tate probatis, & ſanctitate dignis.
Hos iubet Dominus inſtanter vrgê-
re, vt ad cœnam eis diuinitùs paratam
conueniant, depoſitis hæreſum ſpine-
tis, & incredulitatis deuiis, & ſuperbi
entis animi præcipitiis. Quid? quòd &
ipſe Domin⁹ ineffabili dignatione quę
ritat qui cum cœnet. Ecce, ait, Sto ad
oſtiũ & pulſo: ſi quis audierit vocem
meam & aperuerit mihi ianuam, introi
bo ad illũ, & cœnabo cum illo, & ipſe
mecum. Ad oſtium cordis ſtat Deus,
cùm priùs ad peccatorẽ acceſſerit: pul-
ſat, cùm eum ad pœnitentiẽ incitat, &
ad gratiam diuinam appetendam mo-
net. Quiſquis autem audit pulſantis vo
cem, diuinæ inſpirationi mentis auditũ
accommodat. Aperit autem, qui recta
monenti conſentit, & tantum hoſpitem
auenter admittit. Tunc Dominus in-
trat ad illum, cùm mentem eius, pia de-
uotione adornatam facit, adit, & inha-
bitat: ac ſubinde nouus habitator cum
eo cœnat: quia ipſius fide, ſpe, & dile
ctione, cæteriſq; virtutibus oblectatur.
Cœnat & ipſe ſuſceptor cum domino:
quia eius donis, eodémq; delectatur: mu-
tua enim charitate fruuntur. Sic enim
charitatis conuiuium celebratur: quia
charitas niſi inter duos haberi non po-
teſt. Ait ergo Dominus, Adſum ho-
ſpes non rogatus, ad amicitiam tamen
inuito, nõ contemnendã. Spiritualibus
ſuffarcinatus epulis venio, Si quis eſt
bonis meis frui deſiderans, & quæ à me
habeat gratus in donatorem referens:
introibo ad illũ, & in pectore eius tan
quã in domo amici quieſcam: fiduciámq;
habebo, & nunc quidem cum illo cœna
bo: ipſius enim conſcientiæ bonis dele-
ctabor. Ipſe autem in futurũ bonis meis
opimis valde perfruetur in æternum.*

❧Quis aut dignè, aut indignè ad Euchariſtiæ communionem accedat.

P*Aulus i. 11. cap. prio
ris epiſtolę ad Corin.
poſt multa alia ſic cõ
cludit: Itáq; quicunq;
manducauerit panem
hunc, & biberit calicem Domini indi-
gnè, reus erit corporis & ſanguinis
Dñi. Probet autẽ ſeipſum homo, & ſic
de pane illo edat, & de calice bibat.
Qui enim manducat & bibit indignè,
iudicium ſibi manducat & bibit: non di
iudicans corpus Domini. Ex his Apo
ſtoli verbis conſtat aliquando Domini
cum corpus accipi dignè: aliqñ indignè.
Et vtiq; ille dignè Euchariſtiã partici-
pat, qui idoneè, ritè, rectè, probè, ac legi
timè, necnon piè ea fruitur. Porrò indi
gnè corpus Dominicum manducat, ca-
licémque eius bibit, quiſquis eis vtitur
non idoneè, non ritè, non rectè, non pro
bè, nõ legitimè, non piè. Idoneus igitur*

tanto ſacramento vel celebrando, vel communicando eſt, qui non eſt infidelis, neque hæreticus, neq; excommunicatus, nec irregularis, nec ſuſpenſus: ſed Chriſto credens, eiq; tanquã capiti intra eccleſiam, quæ eſt myſticum eius corpus, vnitus manet. Sic enim dicitur, Nolite ſanctum dare canibus. Non idoneè vel conficit, vel communicat ſacratiſſimam Euchariſtiam infidelis, apoſtata, hæreticus, & ſchiſmaticus, & excommunicatus, irregularis & ſuſpenſus: quanuis fuerint ad ſacerdotale miniſterium promoti. Nam licèt abſolutè corpus Chriſti conficere poſsint, & aliis illud communicare, non tamẽ ſunt actu idonei miniſtri: quia ab eiuſmodi miniſterii facultate eccleſiaſtico decreto ſuſpenſi ſunt, donec ad eccleſiam ſanctam & Catholicam reuocati, eam repetant, eiq; incorporentur, & indelebilis illa vel conficiendi, vel communicandi corporis Chriſti facultas in vſum pdire valeat. Vnde Leo Papa, id quod habetur .1. q. prima. Aliter quàm in Eccleſia, quę corpus Chriſti eſt, nec rata ſunt ſacerdotia nec vera ſacrificia. Non rata dicuntur ſacerdotia, non quia non ſint, ſed quia à Deo non approbantur: non autem vera, quia verum fructum, id eſt, veram vitam illis ſacrilegis non pręſtant, ſed certiſſimam condemnationẽ afferunt. Ritè autem conſecrat, & accipit Euchariſtiam, qui in ea celebrãda ritum, & modum, formámq; à Chriſto inſtitutã obſeruat: dicente Domino, Hoc facite in meam commemorationem. Ac ſi præcipiendo dicat, Exemplũ enim dedi vobis, vt quemadmodùm ego feci, ita & vos faciatis. Non ritè item euchariſtia vtũtur, qui in ea vel celebrãda vel communicãda formam à Chriſto traditam non ſeruant: puta ſi ſacerdos aut corpus ſine calice, aut calicem ſine corpore conſecret, vel ſumat. Pulchrè Ambroſius: Indignum dicit Apoſtolus eſſe Domino, qui aliter myſterium celebrat, quàm ab illo traditum eſt. Non enim poteſt deuotus eſſe, quia aliter præſumit, q̃ datum eſt ab authore. Enimuerò Catholica eccleſia optimo iure inſtituit vt à Chriſtiana plebe ſub panis tantùm forma participetur, nè temerè ſacer ille ſanguis aliquãdo effundatur. Rectè ſacramento hoc vtitur, qui recta intentione cœleſti pane veſcitur. Scilicet vt manducans hunc ſpirituali vita augeatur: dicente Domino, Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Prauè autem hoc ſacramento vtitur, quicunq; illud prauo fine exercet. Vt ſi quis ob temporarium quæſtum comparandum, & vitam hanc temporalem prorogandam, & non pręcipuè propter ſpiritualia lucra acquirenda vitamq; æternam capeſſendam, illud frequẽtant: putantes ſcilicet quęſtum eſſe pietatẽ. Probè autem qui ſeſe priùs diſcuſsit, ſuæq; mentis receſſus diligenter perſcrutatus eſt, donec probabili coniectura cenſeat, nullius criminis reatu ſe conſtringi: vel quia nullum lethale commiſit, vel quia quorum recordatur, ſufficienter eum priuatim pœnitet, & pro his quæ ſic oblitus eſt, in genere verè dolet. Vnde Apoſtolus, Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Improbè autem omninò conſcius peccati le-

C. in Eccleſia Dei.

ti lethiferi, cuius minimè pœnituit, ſacramentum arctiſſimę amicitiæ deſignatiuum vel conficit, vèl participat. Is enim in morem Iudę proditoris ſimulata amicitia cùm ſit, verè inimicus Chriſtũ ſceleſto ore deglutit. Ad hoc indignitatis genus pertinet, ſi quis ignorantia culpabili neſciat aliquid eſſe peccatũ, ſiue ea ſit iuris ignorantia, qua neſcit fornicationem eſſè mortiferum peccatum. hòc enim in promptu eſt, homini maximè Chriſtiano didiciſſe. Siquidem lex Dei eius, indita eſt cordi ipſius. ſiue ea ignorantia procedat ex negligentia reperiendi perſcrutandique peccata, quæ commiſerit. Eſt enim ille reus omiſſionis eius examinis, quod Apoſtolus ſacram Euchariſtiam participaturis præſtare iuſſit, dicens: Probet autem, &c. Quid ſi omnino inculpatè neſciuit eſſe prohibitum quod commiſit vel omiſit? vt accidit Patriarchæ Iacob congreſſo cum Lia? certè is nequaquàm indignè ad menſam ſacram accedet: ſicut nec ille qui ſic peccati olim commiſſi oblitus eſt, vt adhibita idonea diligentia, eius non reminiſcatur. Quid ſi doluit de peccato, cuius non eſt ſufficiẽter contritus? Reſpondet ſanctus Thomas, quòd in tali caſu non peccat ſumendo corpus Chriſti. Quia homo per certitudinem ſcire non poteſt, vtrũ ſit verè contritus. Sufficit enim ſi in ſe ſigna contritionis inueniat. Puta ſi doleat de præteritis, & proponit cauere ſibi à futuris. Eſto. hic non incurrit peccatũ. Sed quęritur, An is gratiam acquirat? reſpondet ſanctus Thomas, dicens: Hoc ſacramẽtũ perceptũ ab eo qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiã & affectum nõ habet, in eo poteſt operari remiſſionem pecccati. Fortè enim primò nou fuit ſufficienter cõtritus: ſed deuotè & reuerenter accedẽs, per hoc ſacramẽtũ conſequetur gratiam charitatis, quæ contritionẽ perficiet, & remiſſionẽ peccati. Facit & ad hoc qđ Auguſtinus inquit, Euchariſtia mortuos viuificat. Et apud Ioãnẽ Dominus ſępe teſtatur, ſe panem eſſe viuificũ, dicẽs: Si quis mãducauerit ex hoc pane, viuet in ęternum. Et iterum: Panis enim verus eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitã mũdo. Et rurſus: Qui mãducat me, & ipſe viuet ꝓpter me. Ex his enim locis ſatis cõſtat, aliquando cõtingere, vt is qui nondum viuit per gratiam & charitatem, accedens ad hoc ſacramentum abſq; vlla peccati lethiferi conſcientia, & abſque vlteriùs peccandi propoſito ipſum deuotè & reuerẽter accipit, per eiuſdẽ talẽ ſumptionẽ ex attrito fiet cõtritus: ac perinde ſpiritu viuificetur, vel certè ita illuminetur, vt obliti peccati recordetur, & concipiat de omnibus peccatis dolorẽ ꝑfectũ, id eſt omnibꝰ ſuis circũſtãtiis ad gratiam obtinendã requiſitis adornatum. Hic demum non accedit ad ſacrã menſam dignè, quia nondum charitatem habet: nec indignè contrariè, quia nec accedit cum peccati mortalis conſcientia, nec cum tanti ſacramenti contemptu: ſed accedit indignè contradictoriè, id eſt non dignè: ita tamen vt in ipſa eius ſumptione per purã gratiã dignificetur per quã charitate Deũ diligat, & qđlibet peccatũ pfectè deteſtetur. Legitimè autẽ ad euchariſtiã accedit, quiętate,

& tempore, & loco, & à proprio ſa-
cerdote, & prçuia peccatorũ ſuorũ con
feſsione ad eã delibandã appropinquat:
iuxta id, quod eccleſia decreuit in capite
illo celebratiſsimo: Omnis vtri. ſex. de
pœnit. Accedit prætereà indignè ad
hoc ſacramentũ, qui non ligitimè, id eſt
qui nõ quæ oportet çtate, loco, tempore,
& naturali ieiunio, & præuia peccato
rum ſuorũ confeſsione ab eccleſia ſancta
& catholica decretis, ipſum manducare
pergit. Etenim mea ſententia, qui habẽs
commodi ſacerdotis copiam, cui ſua pec
cata tutò pandat, vt ab eis abſoluatur,
ſi ſolũ contritus celebret, non modò gra
uiter, ſed criminaliter etiã in ſacramẽtũ
committit: tum quia antequã reconcilie
tur eccleſiæ per ipſius miniſtrũ, maximũ
ſacramentũ audet celebrare, authore Ri
chardo de Sancto Victore in libro de
poteſtate ligãdi atq; ſoluẽdi. Tum quia
ad maximum ſacramẽtum requiritur ma
xima diſpoſitio, ſaltem ſecũdùm genus:
ea autem comparatur per probationem
qua ſe homo præparat ad peccatorum
cõfeſsionẽ auricularem ſacerdoti facien
dam: in qua ſępe contingit, vt aliquis im
perfectè erratorum ſuorum pœnitens,
perfectè pœniteat nonnunquã priuſquã
abſoluatur: nonnunquã etiã ſacramẽtalis
abſolutionis vi. Prçtereà quòd ſit per ſa
cramẽtalẽ cõfeſsionẽ hæc probatio exer
cẽda, mater eccleſia determinaſſe videtur
in capitulo: Omnis vtriuſq; ſex. in quo
prçcipit, vt peccatorũ cõfeſsio euchari-
ſtię cõmunionem prçcedat. Accedit cũ
ctorum piorum conſenſus, qui ita faciẽ-
dum cenſent, & eorum conſuetudo ſic
factitantium, quę hiſce in rebus maxime
facienda eſt. In his enim quę ad mores re
ctè formandos attinent, plus videt vir
iuſtus, quã ſeptẽ ſapientes, qui ſedent ad
ſpeculandum. Quamobrem cõſtat, eum
qui habet copiã ſacerdotis, cui peccatum
de quo putat ſe contritum, tutò manife
ſtet, ſi confeſsionem differat, neglígẽter
agere, & nõ modò nõ dignè, ſed etiã in
dignè ſacrificiũ celebrare. Hęc docuera
mus & ſcripſeramus iã olim, priuſquã
in cõcilio Tridentino hoc ipſum ſtatutũ
declaratũq; eſſet. Piè deniq; illũ panẽ co
medit, qui priùs illũ non vulgarẽ, ſed pe
nitus diuinũ agnoſcit: nimirũ diiudicãs
corpus Domini, id eſt ab aliis cibis ipſũ
diſtinguens: ac perinde quantũ vita mor
ti præſtat, tantum hunc cœleſtem ciba-
rio pani præferendum cenſeat: ac ſubin-
de eundem ſumma reuerentia adoret, &
tandem perfecta quantum poteſt cha-
ritate mãducet, vt ei vnitus perpetuò ad
hæreat, eodem Domino dicẽte: Qui mã
ducat meam carnem, & bibit meum ſan
guinẽ, in me manet, & ego in eo. Poſtre
mò impiè cœleſtem hunc panem mandu-
cat, qui Corpus Domini non diiudicat:
id eſt à cõmuni cibo nõ diſtinguit, nihilq;
priùs diſquirit, nec tãti myſterii magni
tudinẽ cõſiderat. Ex quo fit, vt neſciat,
quantam reuerentiam ei debeat, ad cuius
corpus ſumendũ accedit. Ex quo fit, vt
indeuoto animo & irreuerẽti ad cõmu
nionẽ ſacram accedat: ac perinde iudiciũ
ſibi manducet, vti reus corporis & ſan
guinis domini. quippe qui quemadmodũ
Iudas eũ tradidit, & Iudęi in ipſum de
bacchati ſunt: ita ipſum ignominia af-
ficiunt, qui ſanctiſsimum ipſius corpus
manibus impuris ſuſcipiũt, veluti cùm
Iudęi

Iudæi eum tenuerunt, & execrando admouent ori. Siquidem ipſi eũ occiderũt: hi verò per indignitatem nunc eum vidẽtur interimere. Per hoc autem quòd frequenter ait, Corporis & ſanguinis Domini: manifeſtat, quòd nõ ſit nudus homo qui immolatur, ſed ipſe Dominus & factor omniũ, vt videlicet per hoc ad ſacri myſterii communionem acceſſuros exterreat, Oecumenio autore.

Quæritur, vtrùm ſacerdos licitè poſsit ab Euchariſtiæ celebratione abſq; peccato mortili perpetuò ceſſare?

QVæritur, vtrùm ſacerdos licitè poßit ab Euchariſtiæ celebratione abſq; peccato mortali perpetuò ceſſare? Vt igitur Gabriêlis verbis vtar, ad hoc videtur dicere Alexander par. 4. q. 51. mẽbro. 2. quòd ſic. Vnde ait: exiſtimo tamẽ ſi quis ſacerdos nõ habens curam animarum, nec officium, nec beneficium, propter quod haberet neceſſe celebrare, & ob reuerentiam ſacramenti, & timorem ſuæ indignitatis ceſſaret ſemper, niſi iniungeretur ſibi contrarium à ſuperiore, quòd non peccaret mortaliter. & ſatis concordat ſanctus Bonauẽ. in. 4. diſtin. 12. q. 4. dicens, Quòd ſacerdos ſi non viuit de altari, ſed in ſua libertate manet, non tenetur magis quàm alius homo, niſi de bono & æquo. & notentur ſingulæ clauſulæ, quas ponit Alexander. Beatus verò Thomas illud dictum reputat irrationabile, vnde ait parte. 3. q. 82. ar. 10. & in. 4. diſtin. 13. q. 2, arti. 1. Vnuſquiſq; tenetur vti gratia ſibi data, cùm fuerit opportũnum, ſecundùm illud. 2. Cor. in. 6. Hortamur vos, nè in vacuum gratiam Dei recipiatis. Opportunitas autem offerendi non ſolùm attenditur ad fideles Chriſti, quibus oportet ſacramenta miniſtrare: ſed principaliter per comparationem ad Deum, cui in conſecratione huius ſacramenti ſacrificium offertur. Vnde ſacerdoti etiam ſi non habet curam animarum, non licet omnino à celebratione ceſſare. Facit ad idem illud Grego. Dum creſcunt dona, etiam rationes creſcunt donorum. & 1. Petri 4. vnuſquiſq; ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes. Reus ergo erit negligentiæ, ſi cui data eſt poteſtas nobiliſsima, illa non vtatur ad honorem Dei, & ſalutem ſuam, & aliorũ viuorum & mortuorum. Sed ſaltem videtur, quòd celebrare teneatur in præcipuis feſtis, & maximè in illis diebus, quibus fideles communicare conſueuerunt. Grauiùs autem peccant, qui non ex reuerentia ſacramenti, ſed ſua laſciuia, aut ſæcularium negotiorum cura omittunt, quibus dici poteſt illud. 2. Macchab. 4. quòd iam non circa altaris officium deditì erant, ſed contempto templo & ſacrificiis neglectis feſtinârunt participes fieri paleſtræ: & patrios honores nihili habentes, Grecas glorias optimas arbitrabantur. Et licèt opinio beati Thomę videatur probabilis, ratio tamen ſua ex verbis Apoſtoli ſumpta non videtur ſufficere. Tum quia Apoſtolus in verbis

bis ſuis non videtur imponere præceptũ. Dicit enim, Fratres, hortamur. Exhortatio autem non inſinuat præceptũ. Tum quia ſic probaretur, quòd teneretur quilibet ſacerdos quotidie ceſſante legitimo impedimento celebrare, vt nullo die gratiã Dei in vacuũ proferretur accepiſſe. Hæc Gabriel. Nobis autẽ videtur, quòd & authoritas apoſtolica, & ſancti Thomæ ratio, id qđ ipſe probare intẽdit, bene cõcludãt. Nã licèt exhortãdi verbũ nõ ſemper vim mãdati offerat, aliquando tamen illud inſinuat: vt cùm Hebræos monet Paulus dicens, Hebræ.3. *videte Fratres, nè fortè ſit in aliquo veſtrũ cor malũ incredulitatis diſcedẽdi à Deo, ſed adhortamini voſmetipſos: ita & in hoc loco, vbi hortatur Apoſtolus ad ea quæ ſunt neceſſaria ad vitã ſpiritualẽ fouendã, atq; promouendã. Vnde ſubiũgit: In omnibus exhibẽtes vos tãquã Dei miniſtros. Manifeſtũ autẽ eſt, ſacerdotẽ toto anno à ſacrificio ceſſantẽ non exhibere ſe tanquã Dei miniſtrũ, cũ nõ exerceat miniſteriũ ſuũ in laudatiſſima gratiarum actione ſecundùm dignitatẽ ſacerdotalẽ ei diuinitùs collatam. Præcipua autem gratiarum actio, & ſacerdoti propria, & peculiaris eſt, oblatio ſacrificii in altari: nam inde Eucharistiæ nomẽ accepit. Præterea non ſolũ ex apoſtolico loquendi modo, ſed ex re quoq; ipſa, liquet exhortationẽ Apoſtoli eſſe præceptũ. Siquidem quiſq; cauere tenetur, nè Dei gratiã in vacuũ receperit, ea dextrè vtẽdo, prout & temporis, & loci, & negotii opportunitas exegerit. alioqui ſi ceſſet, ſicut ſeruꝰ ille nequã talenti male defoſſi pœnas dabit: nec ideo tenetur quilibet ſacerdos quocũq; die ceſſante legitimo impedimento celebrare, vt nullo die dicatur Dei gratiam in vacuũ accepiſſe. Quoniã opportunitas illa quæ celebrandi eucharistiã obligationẽ ſecũ affert ſtricto mãdato, non ſolùm includit interiorẽ ſacerdotis diſpẽſationẽ, ſublatis quoq; aliis impedimẽtis: ſed & loci & tẽporis cõgruentiã requirit. Itaq; ſancti Thom. ratio hac nititur analogia, quòd ſicut in præcipuis ſolennitatibus, vel certè maximè in diebus illis, in quibus cæteri fideles laici cõmunicare conſueuerunt Eucharistiam, eamq; de ſacerdotum manibus accipiũt: ſic & in eiſdem diebus ſacerdotes minimè torpeãt, ſed ſibiipſis hoc ſacramẽtũ conficiant, atq; percipiant. Aliàs ſublato etiam omni alio onere, quid diſtaret per ſe ſacerdos à ſimplici laico? Certè nihilo: quod nimis ſcandaloſum, abſurdũque videtur. Caietanus autem de ſancti Thomæ ſentẽtia dubitat. Videtur enim ei ſacerdotẽ prædictis diebus ab eucharistiæ ſacrificio ceſſantem non omittere aduerſus charitatem, quod eſſet exitiale crimẽ: ſed cõtra charitatis feruorẽ, quod veniale eſt culpæ. Enimuerò cùm Chriſtus ſacerdotibus præcipiens dixerit, Hoc facite in meã commemorationem. cùm autem hoc præceptũ ſit de maximo ſacrificio Deo reddendo, non dubium, quin pro aliquo tempore ſacerdotẽ ſimpliciter obliget, vt tunc ceſſando non ſolùm in charitatis feruorem, ſed in ipſam quoq; charitatem peccetur. Nec, quod ait Syluester, opinionum varietas tollit ab hac omiſſione lethalis culpæ reatum: quia varia Doctorũ ſentẽtia nequaquã*

præiudicat

prȩiudicat cuiuis peccato, quin per ſe ſit veniale, vel mortale. Eſto, altera contra dictionis pars nō ſit euidens. Satis enim eſt, quòd certa ſit vel multò certior altera. Porrò hac in parte ſētētia ſancti Thomȩ videtur rationabilior: quia rationes eius ſunt probabiliores, & teſtimonia validiora. Videtur & vtilior: q̃a ſacerdotes ei aſſentiētes à ſe ignauiã excutiēt, & ad dignè celebrãdū diligenter ſe prȩparabunt. Videtur & ſanior: quia opinio, quȩ nos lōgiùs à peccãdo remouet & certiꝰ à peccato defendit, eſt potiùs amplectēda: nè amãtes periculū, pereamꝰ in illo. Talis eſt cauſa, quã nūc tractamꝰ. Nã ſicut indignè celebrãdo nullū eſt periculū, ſic in omittēdo verſatur maximū. Quid? q̃d licèt huiuſmodi ſacrificãdi omiſſio p ſe nō eſſet mortiferū peccatū, eſt tñ venialis culpa grauiſſima, & quæ ad exitialem negligentiam aduerſus Euchariſtiam admittendam ceſſatorem maximè diſponat: iuxta illud, Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meū: quia oblitus ſum comedere panem. Quamobrem inertis animi torporem excutiamus, & alacriter ad Chriſti mēſam accedamus, illud Ambroſianū ſemper ante oculos habentes: Si tantum Domine reatum noſtræ delinquentiæ cogitamus deputatum, obſeruationis non implemus miniſterium. Graue eſt enim, quòd ad menſam tuam mundo corde, & innoccentibus manibus non venimus: Sed grauius eſt ſi dum peccata metuimus, etiam ſacrificium non reddamus. Licet igitur pro obedientia aſſiſtere, pro indulgentia petere, pro officio miniſtrare, pro remedio immolare, obſecrare pro populo: Quęſo Domine conforta in me quod trepidat, cura quod tȩdet, reconcilia quod diſcordat, euacua quod corrumpit, humilia quod ſuperbit. Sit pia iuſtitia, clemens correctio, non quæ abſorbeat peccatorem, ſed quȩ recipiat pœnitētem. Da in ſalutem diſciplinam, non in mortem ſententiam, exaudi peccatoris precē, qui viſitas in dolore gemētē.

Vtrùm aliquis poſſit ſcire ſe habere cordis munditiem, qua opùs eſt ad dignam Euchariſtiæ communionem.

SOlet & illud quæri, Vtrùm quis ſcire poſſit, ſe pollere mētis mūditia ad dignam ſacratiſſimæ Euchariſtiæ communionem requiſita. Siquidem ei cōtradicere videtur Sapiēs in Prouerbiis, Prou. 20. *dicens, Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum? purus ſum à peccato? & illud: Nemo eſt mūdus à ſorde, nec infans vnius diei. & illud: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. & illud Iſaię: omnes iuſtitię nrę quaſi pãnus mēſtruatæ. Sed ſtat è cōtrario, q̃d Deus iubet nos habere ſanctitatem, dicens, Sancti eſtote: quoniam ego ſanctus ſum. & illud Iſaię: Lauamini, mundi eſtote. Nō enim Deus prȩcipit homini quod ipſe facere, ac perinde ſcire ſe feciſſe non poteſt: alioqui animus eius ſemper inquietudine fluctuaret. Ad huius quæſtionis ſolutionem eſt notandum, hominem*

emundari

emundari ab originali labe fidei ſacra-
mento,hoc eſt ſacro baptiſmo,quo Chri
ſto regeneratur, & intellectus eius ſic
illuminatur, vt emundetur ab errorũ te
nebris. Fide,inquit,purificans corda eo-
rũ. Spe autẽ emundatur ab appetitu re
rum temporalium & mundanarum. Cõ
cepta enim fiducia de aſſequendis bonis
æternis & cœleſtibus,facilè illorum af
fectum exuit,& pura mente in ea contẽ
dit: ſciens illud, Beati pauperes ſpiritu:
quoniã ipſorũ eſt regnum cœlorũ. & il-
lud, Gaudete & exultate: quoniã merces
veſtra copioſa eſt in cœlis. Purificatur
& Charitate, dũ ea Deũ ſuper omnia
diligit, & ab affectibus carnalibus ex
purgatus, ita Deo adhæret, vt propter
ſuã mũditiã ſit illi amiciſſimus: Dicente
Salomone in Prouerbiis: qui diligit cor
dis munditiam, propter gratiã labiorum
ſuorũ habebit amicũ regẽ. & illud, Bea
ti mundo corde: quoniam ipſi deum vide
bunt. Ex his cõſtat præparationem ani
mi ad videndũ Deũ non tam conſiſtere
in partis intellectiuæ perſpicacitate, vt
Philoſophi putauerũt, quàm in perfecta
affectiuæ potẽtiæ puritate: ſicut Chri-
ſtus tradidit. Ac perinde huiuſmodi p̃-
paratio vniuerſis mortalibus eſt cõmu-
nis, doctis pariter & indoctis. Siquidẽ
vtiq; poſſunt & debẽt cor à peccato mũ
dũ habere: quia ea mũditia cũctis homini
bus habenda præcipitur: ac perinde cũ
auxilio Dei acquirẽda, ac poſſidenda, vt
nouerint ſe illam habere, & Deo do-
nante habere. His annotatis ad quæ-
ſtionis propoſitæ enodationem ſit Pri-
ma Propoſitio: Quilibet homo poteſt
habere cor mũdũ à mortalis peccati ma
cula. quod conſtat ex illo Pſalmiſtæ quæ
rentis: Quis aſcendet in mõtem domini?
aut quis ſtabit in loco ſancto eius? qui
& ſibi reſpondet: Innocens manibus &
mũdo corde. Non enim pollicetur quod
fieri nequit, ſicut neq; Deus præcipit a-
liquid impoſſibile. Secunda propoſitio:
Difficile eſt plurimis eſſe prorſus puros
à veniali peccato: quoniam in multis de
linquimus omnes. Hæc ſunt peccata ve
nialia ſine quibus hæc vita vix ducitur.
Pro quo ſit tertia Propoſitio. Diffici
le eſt etiã perfectis diu ſeruare cor ſuũ
mundum à venialis culpæ labecula. Quia
ſcriptum eſt: Non eſt homo qui non pec
cet ſuper terram. Peccat enim nõ ſemper
ſed aliquando. Proponitur quarta Pro
poſitio: Qui perfecti ſunt, queunt inter
dum, ad breue tamen tempus, integrã ha
bere cordis munditiem. Hanc enim pete
bat Dauid dicens: Cor mundum crea in
me Deus, & ſpiritum rectum innoua
in viſceribus meis. qui eo profecerat ſpi
ritu, vt verè diceret: Cor meum, & ca-
ro mea exultauerũt in Deũ viuũ. Quin
ta Propoſitio: Nemo poteſt aſſerere ex
notitia naturali ſibi certũ eſſe ſe mũdum
omnino cor habere: quoniam neq; expe-
rimento neq; humana ſcientia id ei explo
ratum eſſe poteſt. Quod ſanctus Iob te
ſtatur: Si innocẽs fuero, hoc ipſum igno
rat anima mea. Sexta Propoſitio: Nul
lus poteſt abſq; diuino reuelatu dicere
ex notitia certa, fidei certitudine, eadẽq;
abſoluta, ſeſe mundũ cor habere. Liquet
hoc ex illo Eccleſiaſtæ: Sunt iuſti atq;
ſapiẽtes, & opera eorum in manu Dei:
& tamen neſcit homo vtrùm amore vel
odio dignus ſit: ſed omnia in futurũ ſer
uantur

*uantur incerta. Septima ꝓpoſitio. A-
liquis poteſt dicere habere ſe cor mun-
dum certitudine fidei, cõditionali tamẽ.
Hæc enim conſequẽtia eſt bona, ac per
inde neceſſaria. Si hic homo acceſsit ad
ſacrum baptiſma, idq́; ſuſcepit abſq́; obi
ce gratiæ ſibi infundendæ, eſt omninò
tam à peccato originali, quàm actuali
emundatus. Item ſi alius acceſsit ad pœ
nitentiæ ſacramentum, fecitq́; quod in
ſe erat, gratiam recepit, & eſt prorſus
à peccatorũ mortalium maculis expur-
gatus. Octaua propoſitio: Qui iudi-
cat probabiliter ſe feciſſe quod in ſe eſt
ad delenda peccata ſua, & ad habendam
vel conſeruãdam gratiam, dicere poteſt
probabili certitudine ſe mundum habe-
re cor. Eſt enim magiſtrorũ regula fun
data in illo Chriſti dicto: Quiſquis au-
dit à patre, & didicit, venit ad me. Cui
cunq́; facienti cum auxilio Dei quod in
ſe eſt ad comparandã ipſius Dei ami-
citiam, à Deo ipſo gratiã infundi. At
forſitan hinc quiſpiam anſam accipiat
aſſerendi poſſe aliquem noſſe certitudi-
ne fidei abſoluta, ſe eſſe ab omni letha-
li peccato immunem, & in hunc mo-
dum argumentetur: Certum eſt certitu
dine fidei abſoluta dari gratiam cuicun
que faciẽti quod in ſe eſt ad eam à Deo
obtinendã: ego autem experimento no-
ui memet id facere: ſum ergo certus cer
titudine fidei abſoluta obtinuiſſe gra-
tiam, mundumq́; eſſe ab omni mortife-
ro peccato. Reſpondetur ei, Id experi-
menti non gignere euidentiam faciendi
quod in ſe eſt, ſed vehementẽ probabili
tatem. Nam licèt re vera ego practicè
faciam quod in me eſt ad habendam gra
tiam: iudicium tamen ſpeculatiuum, quo
ego iudico me facere quod in me eſt, nõ
eſt mihi euidens, ſed vehementer proba-
bile: & idcirco totus huiuſmodi diſcur
ſus continetur ſub morali probabilita-
te: ac perinde haud ſufficit ille facere
abſolutam, ſed valde probabilem certitu
dinem. Nam licèt maior propoſitio ſe-
cundùm fidem ſit certa, attamẽ quia mi
nor tali experimento minimè ſit euidẽs
ſed probalis, conſequens quod ſemper ſe
quitur [illegible]biliorẽ ratiocinationis partẽ
remanet, non euidens, ſed probabile, &
vehementer probabile. Hac certitudi-
ne fretus Ezechias Rex cùm oraret
ad Dominum dixit: Recordare Do-* 4.Re.20
*mine quæſo, quòd ambulauerim coram
te in veritate & corde perfecto, &
quod bonum eſt eſt in oculis tuis fece-
rim. Nona propoſitio: Stat quempiã
inculpabili ignorãtia iudicare ſe habere
cor mundũ, cùm adhuc habeat immundũ
macula latẽtis peccati. Id quod conſtat ex
illo Pauli Apoſtoli in. 4. prioris epiſto
læ ad Corin. cap. Nihil mihi conſcius
ſum, ſed nec in hoc iuſtificatus ſum: id
eſt, vt habet glo. interlinealis, ĩ nullo me
remordet cõſciẽtia: ſed nõ ideò me iuſtũ
puto, quia põt eſſe quod neſcio: quia ſcri
ptum eſt, Delicta quis intelligit? Deci
ma ꝓpoſitio: Sunt vtiq́; quædam ſigna
quibus põt homo fidelis nõ temerè conte
ctare ſemet à peccato mundũ eſſe, vt di
gnè ad Euchariſtiæ cõmunionẽ accede-
re queat. Quorũ vtiq́; ſignorũ nõ mini
mũ eſt, ſi verbis Dei pcipiendis attentũ
ſe exhibeat. Qui cũ eſt ex Deo, verba
Dei audit. Qui eſt, inquã, ex Deo, non
natura tãtũ, ſed fide: nõ ore, ſed amore:*

& per voluntatis confirmationẽ verba Dei audit, nõ aure corporis, ſed cordis. Hic ſignũ magnũ ſuę beatitōis oſtẽdit, qui cœleſtem patriam toto anhelat deſiderio, carnis petulantiam domat, mundique gloriam contemnit. Qui aliena non quærit, & propria largitur. Qui benè operandi ſemper habet voluntatẽ, eamq́; ſi facultas datur, opere complere feſtinat, hic Chriſti ſeruus eſſe dignoſcitur. Qui Charitatem cum proximis habet, amicosq́; diligit in Deum, & inimicos propter Deum: hunc dilectionẽ etiam Dei habere ſuſpicamur. Qui aliis ſe non præponit, ſed omnibus ſe infirmiorem exiſtimans, etiam minoribus reuerentiam exhibet: hic Chriſti humilitatẽ ſequi demonſtrat. Qui præterita mala plangit, & plangenda iterum non committit, & vlteriùs Deum offendendi propoſitum non habet: hic certè perfectè, vereq́; pœnitens eſt, & intrepidè viuificum ſacramentũ accipere poteſt & debet. Illic enim trepidauerunt timore, vbi non erat timor. id eſt timẽdi cauſa, qui à Domini conuiuio ſine mortalis delicti conſcientia meticuloſi & puſillanimes diſcedunt, neque ſatis aduertunt quantam iniuriam illi ſummæ bonitati inferũt: quæ ſe illis alimentũ tam liberaliter donat. Adhibenda eſt igitur diligentia in perſcrutandis peccatis noſtris, ac deteſtandis quantum in nobis eſt, & continuò aderit nobis fauor diuinus: pro quo obtinẽdo orandus eſt Deus propheticis verbis, Ab occultis meis munda me Domine: & ab alienis parce ſeruo tuo. Si mei non fuerint dominati inimici mei, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. quod eſt animi nequiſſima præſumptio tractandi impuris manibus puriſſima ſacramenta, & impœnitenti corde diuinam clementiam renuere. Denique prædicta diligentia adhibita, præmiſſaque pia oratione, Chriſtianus ſacramenta vel ſanctè perficit, vel inculpatè, imò & fructuosè recipit: imò & ſecurus de vita decedit. Quòd ergo Sapiens dixit: Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum & purus ſum à peccato, accipiendum eſt iuxta quintam & ſextam propoſitiones. Quòd autem dixit: Nemo eſt mundus à ſorde peccati, nec infans vnius diei: de peccato originali rectè accipitur, quod per ſacrum baptiſma diluitur: quòd ſi ad actuale extendatur, tum per baptiſmum, tum per pœnitentiam aboletur. Quod autem de Pſalmo inductum eſt: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, ſic accipiendum eſt, Quòd ſine iuſtitia, quæ eſt per fidem Ieſu Chriſti, nullus homo apud Deum reputatur iuſtus: ſine qua fide, quæ per dilectionem operatur, omnes iuſtitiæ noſtræ tam priuatæ, quàm ciuiles, reputantur tanquàm pannus menſtruatæ. Non quòd omnes tales actiones ſint peccata, ſed quòd ſine Dei gratia non ſunt dignæ vita æterna. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me & ſuper niuem dealbabor: vt puro ac mundo corde offerã tibi ſacrificiũ iuſtitię, ſacrificium laudis, ſacrificium vitale. Amen.

De quadru-

AFfine eſt his, quæ proximo capite diſſeruimus, quadruplicem exponere certitudinem, quæ ex varia huius nominis, certum, ſignificatione proficiſcitur. Etenim certum modò ponitur pro claro, manifeſto, & indubitato, à verbo cerno, prouideo. quia ea quæ videmus, clara, manifeſta, indubitatáque ſunt. Vnde in Deuteronomio, Quære ſolicitè, & diligenter, rei veritate perſpecta: ſi inueneris certum eſſe quod dicitur: id eſt manifeſtum & indubitatum. Ponitur & certum pro firmo, vt in quinto Sapientiæ capite: Accipiet pro galea iudicium certum, id eſt, firmum & ſibi conſtans, nec odio nec amore mutabile, quod rectum futurum ſit: & vt eſt in Græco ἀνυπόκριτον: id eſt ſimplex, & nihilo ſimulatum. Aſſumitur & certum ad ſignificandum id, quod idoneis indiciis perſuaſum ſit. Vt in eo, quod Paulus Timotheo inquit, Recordationem accipiens eius fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice. Certus ſum autem quòd & in te, id eſt tuis dictis, factiſque fidelibus ſufficienter perſuaſus ſum. Dicitur & certum id, quod ſit conſtitutum tantum & tale, quantum & quale volumus. Vnde certum vulnus feciſſe aliquem dicimus, cùm nec plus, nec minus fecit, quàm voluit. Martialis,

O quàm certa fuit librato dextera ferro!

& in libro Iudicum de Gabaonitis: Septingenti erant viri fortiſſimi, ita ſiniſtra, vt dextera præliantes: & ſic fundis lapides ad certum iactantes vt capillum quoque poſſent percutere, vt nequaquàm in alteram partem ictus lapidis deferretur. Porrò ex his quatuor huius nominis, certum, ſignificatis, oritur quadruplex certitudo. Prima eſt determinata aſſenſio alterius partis contradictionis clarè & indubitatè aſſentienti. Talis eſt certitudo de primis ſcientiarũ principiis, quę Græci axiomata dicunt, Latini dignitates: qualia ſunt, Quodlibet eſt, vel non eſt. Omne totum eſt maius ſua parte. Si ab æqualibus æqualia demas, quę remanēt ſunt æqualia. Nanque ad aſſentiendũ his enuntiationibus, ſufficiēter determinatur intellectus per lumen ſibi connaturale, per quod cognitis terminis earum veritatem euidenter inſpicit. Ad principiorũ item certitudinem reducitur & ſcientiæ certitudo, quæ per ea euidenter colligitur, & ad illa reuocatur. Secũda certitudo eſt firmitas incōcuſſa cogitationis, cui non ex cogitati euidētia, ſed ex imperio volũtatis eius qui cogitat intellectus firmiter aſſentitur. Talis eſt enim certitudo fidei per quam fidelis diuinis oraculis nec per ſe, nec per alium naturali lumine cognitis, ſed proponētis autoritate incũctanter adhæret. Tertia certitudo eſt eius opinionis, ꝗ ſit idoneis argumētis, licèt non prorſus manifeſtis, neq; diuina autoritate probata, ſecundũ quam viris probis fidem, nō illam Catholicã, ſed moralem adhibeamus. Quarta demũ certitudo eſt, determinata cōſtitutio eius, quod recta in fidem præſtitutũ tendit: vt quę

mente vigent, aut quæ ab alio dirigun tur: vt quæ ratione carent, quorum natura dirigitur ab intelligētia non errante, & hęc certitudo pertinet ad fiduciā aſſequendi finem optatum. Prima itaq; certitudo eſt euidētis cognitionis: Secunda immotę fidei: Tertia perſuaſæ opinionis: Quarta conſtātis ſpei. Quòd ſi quæras quæ iſtarum ſit maxima certitudo? Proculdubio ex parte intellectus humani certitudo ſciētię. Quia per eam certiùs, id eſt pleniùs quod ſcitur, comprehenditur. At ex parte cauſæ efficientis certitudinē, maior eſt fidei firmitas, quàm ſcientiæ. Quia prima veritas certior eſt, quàm quælibet creata. Vir enim fidelis & prudens faciliùs diſſentiet huic proloquio, homo eſt riſibilis, q̄ huic, Deus eſt Trinus & Vnus. Certitudini autem ſpei, quę per ſe eſt æqualis fidei certitudini, ex parte tamen meritorum ſperantis eſt infirmior. Vltimum inter hæc certitudinis gradum fidei, illa moralis tenet certitudo, quæ & fallere & falli poteſt. Etenim quę certa ſciētia ſunt, minimè cum fidei certitudine pugnāt. Quia verum vero diſſonare nequit. Quia prima veritas à qua ſunt omnia vera, ſibiipſi contraria eſſe non poteſt. Denique cunctas prædictas certitudines in noſtrum vſum accommodare poſſumus. Scientiæ quidem certitudine vtemur vt & nos, & authorem noſtri agnoſcamus, & quô conditor ducit, rationis motibus tendamus. Fidei autem certitudo nobis erit vtilis, vt quæ ſupra humanam ſunt rationem diuinitiùs nobis reuelata vſque ad ſanguinem tueamur. Spei autem certum nobis proderit, vt terrenis contemptis cœleſtia expetamus & expectem⁹. Deniq; certitudo illa moralis fidei plurimùm ad actiones tam ciuiles, quàm ſpirituales exequēdas confert. Sicut enim non eſt mihi neceſſaria ſcientiæ vel fidei certitudo quòd nunquā peccabo: ita ſufficit moralis probabilitas, vt ſperem & proponam me nunquā peccaturum. Et ſicut non exigitur euidentia: ita ſufficit probabilis certitudo, quòd ſufficienter peccata tua p̄ſcrutatus ſis, vt ea ſacerdoti confitearis, & vt eorum congruentem dolorem habeas, & ſacerdotalem abſolutionem ſuſcipias. Etenim ſicut fidei Catholicę eſt, certiſſimum habere ſacramenta Chriſti eſſe ſalutaria ad ea dignè accedentibus: ſic & moralis fidei eſt credere, quempiam ſe ritè ſuſcepta ſacramentali abſolutione eſſe iuſtificatum, atq; ad ſynaxim licitè poſſe accedere eum: quippe qui probabili coniectura certus eſt eſſe ſe cōmodè ad illam cōmunicandam diſpoſitum. Quin & ſicut ea certitudo idoneum facit fidelem ad ſacram Euchariſtiam abſque ſacrilegio ſumēdam: ita ſatis eſt ad mortem bona ſpe obeundam. Sunt & plura his ſimilia, in quibus gerendis ſatis eſt moralis hæc certitudo, nè piæ mentes frequentibus, moleſtiſq; ſcrupulis, varióq; cogitationum æſtu fluctuent.

Quatenùs conſcientia, ſiue recta ſiue erronea, quempiam obliget.

Et

ET quoniam perſæpe trepidas ſacerdotum mentes conſciētia ſolicitare ſolet, placuit proximè dictis apponere quatenus vtraq; conſcientia, ſiue recta ſiue praua, habentem ſe obliget. Conſcientia igitur eſt particularis & actualis notitia practica, id eſt operatiua eius rei, quam animo verſamus. Eò enim conſcientia interpretatur ſcientia cum alio, quòd eſt quædam ſcientia, id eſt notitia alicui particulari agendo, vel non agēdo applicata. Quod vt euidentiùs cognoſcatur, tria quædam, quæ circa quamlibet actionem liberam concurrunt, diligenter conſideranda ſunt: ſynterēſis, ratio, dictamen. Eſt quidem ſynterēſis quæ in animi ſupremo ſedet, eſt lumen quoddam menti congenitum, habituale, practicum, vniuerſale, iudicatorium, iugiter incorruptum, atque viuax: quod ſicut virtutibus, rectéq; factis ppetuò aſſentitur, eiſq; fauet: ita vitiis & prauè factis ſemper diſſentit, eiſq; aduerſatur. Conſulit enim clementiſſimè diuina ſapientia mortalibus, vt quomodò natura ineſt eis concupiſcentiæ fomes, quo ad malū procliuantur: ita eiſdem inſit ſynterēſeos vis, qua à malo ad bonum auocentur. Hæc ſuapte natura perenniter eſt viuax, & peruigil. Nam licèt aliquando vel ſomno, vel ebrietate, vel amentia, interiorìue quodam corrupto intercipi, & impediri poſſit: extingui tamen abſolutè, & in vniuerſum non poteſt. Eſto, interdum ſopiatur, & ex parte quodammodò extinguatur, quando perturbatus voluptatis libidine hominis animus ſic abſorbetur, vt vniuerſale illud iudicatorium, particulari iudicio media ratione aut nullatenùs, aut minùs quàm opùs eſt, accommodetur. Hoc denique ſynterēſeos lumine perſpicua ſunt & per ſe nota prima naturæ, id eſt, vniuerſalia rectè probéque agendi principia. Qualia ſunt: Quæcū que vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem illis facite. &, Quod tibi non vis, alteri nè facias. &, Nihil prohibitum lege Dei, eſt faciendum. Deo de ſeipſo teſtimonium reddenti eſt credendum. Omne turpe & malum eſt improbandum fugiēdumq;: & omne honeſtum, bonumq; approbādum eſt, & amplectendum: & cętera id genus. Ratio autē quatenus ratio eſt, lumen obtinuit ſynterēſi minus, & cōtractius, ac perinde ab alio in aliud diſcurſiuū. Diuiditúrq; in portionem ſuperiorem, & inferiorem. Superior ea eſt quæ per ſapientiam, id eſt rerum diuinarum cognitionem conſulendis regulis ęternis intēdit. Huiuſmodi regulæ ſunt, articuli fidei, quatenus eorum aſſenſus ad operatiōes regendas extendi poſſunt. Tales & omnia documenta diuina, quæ ad veram pietatem colendam faciunt. Inferior autem portio ea eſt, quæ per ſcientiam, id eſt rerum humanarū cognitionē conſulit ciuiles leges, quæ circa iuſtum & iniuſtum, vel honeſtum & inhoneſtū verſantur. Tales ſunt leges de agris diuidūdis, de herciſcunda hæreditate, de contractibus firmandis aut reſcindendis, de litibus fouendis aut dirimendis, de publica coniugiorum contrahendorum honeſtate: & cętera id genus. Porrò

dictamen eſt id quod ratio ſuggerit, id eſt, quod ex ꝓpoſitione vniuerſali, quã ſyntereſis confeſtim præſtat, & aſſumptione particulari, quam ratio profert, colligitur. Hocẽ diſcurſu opùs eſt, vt ab vniuerſali ad particulare, ad actum vnum & indiuiduum numero deſcendatur. Eſto exempli gratia huiſmodi ſyllogiſmus. Nihil prohibitum Dei lege faciendum eſt: concumbere cum hac muliere non mea, eſt lege prohibitum diuina: non igitur mihi cum hac concũbendum. In hac itaq; ratiocinatiõe ſyntereſis propoſitionem extulit, aſſumptionẽ portio rationis ſuperior: ex quibus collectum eſt dictamen, quod eſt conſcientia, quæ eſt iudicium practicum & actuale de aliquo agendo vel non agendo. Denique ſciẽtia, id eſt notitia huius vniuerſalis enuntiationis: Nihil quod eſt lege Dei prohibitum, eſt faciendum: applicata per mediam aſſumptionẽ particularem, concumbere cum hac non mea eſt prohibitum lege Dei, huic ſingulari, hæc nõ eſt mea, parit hanc conſcientiam, Non eſt mihi cum hac concumbendum. Sic enim gignitur cõſciẽtia recta veraq;. Quòd ſi ſubſumatur ſub vniuerſali vera, enuntiatio falſa, conſcientia ſequetur praua & erronea: vt ſi hæreticus ſic ratiocinetur. Nihil contra Dei legem faciendum eſt: facere hoc iuramentum, quod fieri prælatus præcipit eſt contra legem Euangelicam, Chriſto dicente, Nolite iurare: non ergo licet mihi iurare nunc. Quod quidem dictamen falſum eſt, & erronea eius conſcientia: quia aſſumptio eius fuit falſa. Præter eà ſi quis indebito modo ratiocinetur, erroneum dictamen ſuggeret, vt pote ſi quis ita argumentetur: Nulla creatura eſt latria colẽda: humanitas in Chriſto eſt creatura: ergo non eſt cum eo latria colenda. Conſequens eſt falſum, & conſcientia ei conformis eſt erronea ex indebita ratiocinandi forma oborta. Erratum eſt enim arguẽdo ab eo, quod dicitur ſimpliciter ad id quod cum alio eſt. Licet enim nulla creatura per ſe & propter ſeipſam ſit latria colẽda: tamen humanitas à verbo aſſumpta, eiq; coniuncta, eſt cum eo vna adoratione colenda. Iam verò cùm conſcientia ſit ſcientia appoſita ad aliquem vnum & indiuiduum actum, tripliciter eum poteſt ipſa reſpicere. Primò quatenus ſit factus. Secundò quatenùs benè vel male. Tertiò quatenus eſt probè vel improbè adhibendus. Primò itaq; conſcientia reſpicit actum, ſecundũ quod iam eſt præteritus, vel in præſentiarum exercetur, prout meliùs memoria illum repetimus, recognoſcimuſq; nos eundẽ feciſſe, aut ſenſu eum nunc facere ꝑcipimus. Quod cùm contigit, eorum quæ fecimus, conſcii ſumus. Noſtra enim nobis conſcientia teſtatur, nos hoc, vel illo modo operatos fuiſſe. Iuxta hanc conſcientiæ rationem fratres Ioſeph ad præfectum domus eius, timẽtes, nè ille ipſos tanquã pecunię fraudatę reos ageret, & carcere vincire vellet, dixerunt: Non eſt in noſtra conſcientia quis eam poſuerit in marſupiis noſtris. Hęc planè pręteritorum conſcientia obligat hominem vel ad laudandum Deum pro rectè factis, aut ad petendum ab eo veniam pro non rectè, vel commiſſis vel omiſſis.

Quòd ſi memorię ambiguo fluctuem⁹, tutius eſt plerunq; nosipſos damnare, quã abſoluere. Iam vero ſi conſcientia accõmodetur actui nondum producto, menti tanẽ obiecto, per conſcientiam, id eſt, dictamẽ practicum iudicari oportet, vtrũ ſit id quod cogitatione verſatur, operãdum nécne. Ea nanq; conſcientia conſiderantẽ vel inſtigat vt aliquid faciat, aut ligat, nè id faciat. Quodlibet enim praeceptũ per ſui notitiam attingit eũ, quẽ reſpicit, eũdemq; ſi ſit affirmatiuum, adſtringit, vt id quod eo intimatur pro loco & tempore faciat: ſi autem ſit negatiuum, obligat eundem nè aliquid eo prohibitum aliquando faciat. Conſcientia itaq; recta, ſiue ſit affirmatiua ſiue negatiua, eâdem vi, eodemq; modo conſciũ tenet, quo praeceptum: imò vna eadẽq; imperantis ratione atq; lege per praeceptũ declarata, & per ſcientiam ſcita, conſcientia quempiam aut mouet, vt praeceptum adimpleat: aut ligat, nè cõtra praeceptum quicquam faciat. Exempli gratia: Si cui conſcientia recta dictet eſſe hic, & nunc, deferendam parentibus honorem, huic pauperi tribuendam eleemoſynam, maioribus deferendum, Praelatis obediendum, ſacramentis vtendum: tenetur hęc praeſtare. Nã & ſi ea omittat, reus erit violatae legis diuinae. Si verò conſcientia eius cenſeat, non eſſe cum tali congrediendum, non eſſe alienam veſtem accipiendam, non eſſe proximo detrahendum, non eſſe aduerſus talem falsò teſtificandum: nullatenùs licet aliquãdo ea operari: quia qui tali operatur, committit in Dei legem, qua illa prohibentur. Haec ita proculdubio habẽt circa rectam conſcientiam: non autem ita de erronea cenſendum. Etenim vt ait ſanctus Thomas, diuerſimodè recta & erronea conſcientia ligant. Nam recta quidem conſcientia ligat conſcium ſimpliciter, & per ſe: erronea autem ſecundùm quid & per accidens. Dico autem rectam ligare ſimpliciter, quia ligat abſolutè, & in omnem euentum. Si enim aliquis conſcientiam habeat de vitando adulterio, iſtam conſcientiam ſine peccato non poteſt deponere. Quia in hoc ipſo, quòd eam deponeret, errando grauiter peccaret. Ea autem manente, non poteſt prętериri in actu ſine peccato. Vnde recta conſcientia abſolutè ligat, & in omnem euentum. Conſcientia autẽ erronea non ligat niſi ſecundùm quid, & ſub conditione. Ille enim cui dictat conſcientia quòd teneatur ad fornicandum, non eſt ſic obligatus, vt fornicationem ſine peccato dimittere nõ poſſit, niſi ſub tali conditione, ſi talis duret conſciẽtia. Haec autem conſciẽtia remoueri poteſt abſq; peccato. Vnde talis cõſcientia nõ obligat in omnẽ euentũ. Poteſt enim aliquid contingere: ſcilicet depoſitio talis conſcientiae: quo contingente quis vlterius non ligatur. Ex his ſequitur quòd non modò faciens contra conſcientiam rectam, ſed etiam contra erroneam, peccat. Quia facit id, quod iudicat l ge diuina prohibitum: vt hęreticus qui exiſtimat in nullo caſu eſſe iurandũ, ſi ad praeceptum ſuperioris iuret, peccat: quia eligit id, quod voluntati ſuę ſub mali ratione obiicitur: licèt in ſe non ſit malum. Cõfirmatur & hoc per illud Apoſtoli: Omne quod non eſt ex fide, peccatum

eſt; id eſt, omne quod ſit contra conſcien-
tiam, ſic vt credatur malum eſſe, ſi ſiat
peccatum eſt. Facit & ad hoc illud eiuſ
Rom.14. *dem Apoſtoli: Si quis eſt infirmus, ole-*
ra manducet. id eſt, ſi quis ob rationis in
firmitatem errat iudicio, exiſtimatq́; nõ
licêre carnibus veſci, olera manducet: nè
comedendo carnes, contra conſcientiam
faciat, qua putat eſum carnium eſſe ſibi
lege diuina prohibitum. Quid igitur fa
ciet iſte errans? vt non ſit perplexus, ſi
venerit ad tempus, in quo teneatur obe-
dire ſuperiori de iurãdo, vel de comedẽ-
dis carnibus? Deponat conſcientiam, aſ
ſentiendo contrarium docẽtibus, & mo
nentibus. Quid ſi inductis in contrariũ
rationibus, vel autoritatibus minimè cõ
uincitur eius intellectus, vt deponat il-
lam ſcientiam? Conuincatur ſaltem, vt
non vtatur illa conſcientia, tanquam a-
gendi regula. Et quomodò id poterit
facere? Nẽpe ſi perſuadeat ſibi potiùs
eſſe ſibi innitẽdũ ſentẽtię doctorũ & ec
cleſiæ, quã ſuę. Dixeris, eſto: nemini licet
agere cõtra cõſcientiã erroneam: licebit
ne et agere ſecundùm iudicium erroneũ?
Reſpondeo: Quòd ſi error talis iudicii
eſt volũtarius directè: quia ſcire noluit:
vel indirectè, quia ſic errans veritatem
diſcere neglexit: non excuſatur à pecca-
to, ſi ſecundùm talem conſcientiam ope-
ratur: quia voluntariè malum operatur.
vt ſi quis putat aliquem contractum eſſe
ei licitum, quia noluit ſcire, & neglexit
diſcere an eſſet iuſtus. Si verò error ſit
inculpabilis, conformãdo ſe tali iudicio,
non peccat. Sicut Iacob non peccauit,
congrediendo cum Lia ſibi latenter pro
Rachêle ſuppoſita. Deniq; viri iuſti ni-
hil repugnante conſcientia aggrediũtur
& diligẽtiſſimã nauant operam, vt erro
rem vitent, & veritatem ſectentur, non
ambulantes, ſicut Paulus ait, in aſtutia,
neq; adulterantes Verbum Dei, commẽ
dantes ſemetipſos ad omnem conſcien-
tiam hominum coram Deo.

Quanto ſtudio à fidelibus maximeq́; eccleſiaſticis ſit amplectenda fouendaq́; bona concupiſcentia.

QVoniam quies conſciẽ
tiæ fidelibus potiſſimè
comparatur, ſi concu-
piſcentiam bonam in-
tra pectoris ſinum ad-
mittant foueantq́;, malam verò procul à
ſe reiiciant, vel certè reprimant, placuit
his addere duo capita. Alterum de bo-
na concupiſcentia: alterũ de mala. Con
cupiſcere igitur eſt valde cupere, appe
tere aliquid, ſiue illud ſit bonum, ſiue
malum. Hinc duplex eſt concupiſcen
tia, quæ eſt bonarum æquè ac malarum
rerum appetitus. Eſt enim concupiſcen
tia bona, qua rectè ac probè concupiſci
tur. qualis eſt illa, quam approbans Sa Sap.6.
piens, inquit: Concupiſcentia ſapientiæ
perducit ad regnum. Eſt autem concu-
piſcentia mala, per quam aliquid prauè,
& improbè appetitur. De qua Apo- Rom.7.
ſtolus: Nam concupiſcentiam neſciebã
eſſe peccatum, niſi lex diceret, Non con
cupiſcas. Quin & Apoſtolus pulchro
compari vtranq; concupiſcentiam com-
plexus dixit: Caro concupiſcit aduerſus

ſpiritũ,

ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Iam verò reputamus de bona concupiſcentia ſermonem: quam diximus eſſe eã quæ ſit recta, probaq́. recta quòd vera fide, directà in ipſum Deum vnicũ omniũ expetendorũ finem tendat. Talis erat illius, qui veraciter ad deum loquebatur: Quemadmodũ deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deũ fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Attende quanta cupiditate fruendi Deo bonus hic peregrinus incenſus ſit: qui ſicut ceruus æſtu ſitibundus vehementiſſimè frigidis aquis potari, refrigerarique deſiderat: ita & ipſe ſolo Deo frui vehementiſſima cupiditate deſiderat: apud quem ſolùm eſſe vitæ fontem nouit: vt non modò ſacramentalibus aquis ſalientibus in vitam æternam, in terra ad huc proluatur: ſed etiam illis perennibus & verè vitalibꝰ potetur. Idcirco ſubiecit, Situit anima mea ad Deum fortem viuum. Quid eſt ſitiuit? niſi vehemẽter affectat, & toto conatu contendit peruenire ad eum, cuius eſt, deſiderium pauperum exaudire. Fortem ait: quia nemo poteſt eum impedire, quin ad ſe perducat, quem ducere dignatus fuerit. Viuum adiecit: quia ideo Deum ſibi concupiſcit vt is qui eſt per ſe vita, ipſi vitam verè vitalem impartiatur. Sentiens autem huiuſmodi tam intenſæ concupiſcentiæ finem diutiùs differri, velut moræ impatiens exclamat: Quando veniam & apparebo ante faciem domini? hoc eſt, quando erit fœlix illa dies, in qua in Domino mortuus hinc proficiſcar talis, qui non in tartara trahar. Sed ſpõte pergã & dignus habear, qui appaream ante faciem domini: Cuius cõſpectu nihil eſt dignum, quod non ſit mundum, terſum, atq; nitidum: Quando erit tempus vt illa gloria, qua afficiuntur ſancti conformes gloriæ filii Dei, ego in claritate cũ illis appaream? hoc eſt, quod præ cæteris opto: quia omnia quæ deſiderantur, ei comparari non valent: huius potiundi deſiderio totus diſtringor, ipſius dilatione defatigor. Quando veniam & apparebo ante faciem Domini? nouit vtiq; ille temporum articulos, ſecundùm quos omnia peropportunè diſpẽſat: ſed anxio vehementerq; cupienti quod Deo citius eſt, tardum videtur. Quoniam ſpes quæ differtur, affligit animam: quæ afflicta amore languet, & hunc languorem à ſodalibus ſuis, id eſt ſanctis notificari petit, dicẽs: Dicite dilecto, quòd amore langueo: itaq; exclamare compellor, Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! cõcupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. Agnouit iſte egregius concupitor, quàm ſint ſpecioſa & expetenda cœleſtia illa tabernacula, id eſt ſanctorũ ſedes, in quibus iuſti perpetuò quieſcunt. De quibus Dominus: In domo Patris mei manſiones multæ ſunt: quàm ſplendida iucundaq; pro ſingulorum meritis atria! ideoq; reliquis omnibus deſiderabiliùs ea prætulit. Ac ſi dicat, Alii deſiderant agrorum poſſeſſiones, alii ſeculi iſtiꝰ diuitias, alii parare ſibi in iſtius ſæculi eccleſiis dignitatem, & gloriam aliquã habere apud homines moliũtur: mihi hoc ſolum deſiderium eſt, videre æterna tabernacala tua: & in tantũ

hæc

hęc mea cupiditas increuit, quòd deficit, id eſt viribus deſtituitur anima mea, & quaſi corporis oblita, ipſum tabeſcere ſinit: & tamen tabeſcit mentis abſtractione, vt ſpirituali ipſius mentis vi perfuſum & concalefactum eiusdum libēter ſequatur: in tantum, vt beatus hic deſideratorid expectare audeat, & dicat: Cor meum, & caro mea exultauerunt Hierony. *in Deum viuum. Quo ſuper acutè Hieronymus: Difficile eſt vt cor & caro alicuius in commune conſentiant. Si enim ſecundùm Apoſtolum, ſpiritus pugnat contra carnem, & caro contra ſpiritū, quomodò hic dicit, Cor meum & caro mea exultauit? Hoc non poteſt dicere, niſi ille, qui in amorem Dei tota mente defixus eſt. Cor meum, & caro mea: Illud eſt quod dicit & in alio loco, Sitiuit in te anima mea: quàm multiципliciter tibi caro mea! Iſta eſt caro, quæ deſiderat dominum. De qua in alio loco dicitur: Et videbit omnis caro ſalutare Dei. illa autem caro, de qua dicitur: Omnis caro fœnum, nō deſiderat Dominum. Cor meum & caro mea. Vide mihi aliquem abſtinentem, qui mortem carnis ſuę, lucrum putat animę ſuæ. Hęc autem carnis ſunt, ieiunia & iniuriæ. Deniq; & Apoſtolus quid dicit? Quem tradidi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat. Niſi caro mortua fuerit, ſpiritus viuificari non poteſt. Propterea dicit & Apoſtolus: Quando infirmor tunc fortior ſum. Conſideret ſe vnuſquiſque quādo ieiunio laſſus eſt, & defectus, quomodò anima vigeat, quomodò nihil aliud mēs niſi de Deo cōſideret, quomodò ſemp dicat Quā dilecta tabernacula tua Dn̄e virtutū! Accepiſti rectā cōcupiſcētiā, accipe tā probā. Ea enim eſt pba, quæ commodis mediis, atq; virtutū gradibus proficit, vt ad ſapientię diuinæ plenitudinem cōſequēdam perueniatur. Quòd ſi vis diſcere quoſdam virtutum gradus, per quos tanquàm per ſcalas ad ſapientiam aſcenditur, per quam intratur in Hieruſalem cœleſtem, in qua iuſti glorioſo & beatifico Dei conſpectu fruuntur: en tibi per Sapientem deſcriptos. Initium, ait, Sapientiæ, veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia. Cura ergo diſciplinę dilectio eſt: & dilectio cuſtodia legum illius eſt. Cuſtoditio autem legū, conſummatio incorruptionis eſt: incorruptio autem facit proximū Deo. Concupiſcentia itaq; ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Iam verò repetamus ſingula huius perquā pulchræ Gradationis membra: articulos explicemus. Initium, ait, ſapientię, veriſſima eſt diſciplinę concupiſcentia. Initium etenim acquirendæ verę ſapientiæ, eſt vehemens quædam rerum cognoſcendarum appetitio, minimè in rebus inferioribus ſiſtens: ſed ad id quod ſummum rerum omnium ſit atq; optimum porrecta, quā Deus humanis in mētibus ingenerauit. Secundùm quod quidam mundi ſapiens inquit: Omnes homines natura ſcire deſiderant. Inſuper & pleroſq; peculiari quodam inſtinctu Deus incitat, & permouet, vt diuinarum rerum cognitionem, quæ fide conſtat, & earum, quæ fidei Deo clarè viſo ſuccedunt, ſyncerè percupiāt. Hæc eſt enim veriſſima diſciplinæ concupiſcentia. Veriſſima eſt: quia naturaliſſima eſt, & re vera per*

eam diſciplina ſuſcipitur illa, per quam ad mẽtis illius rationẽ peruenitur. Dũ aliquis ſimplici diſcendę veritatis ſtudio tum à Deo, tum à ſanctis doctoribus optat inſtitui. Ab hac autem ſimplici diſcendæ veritatis ſynceritate procul abſunt ſophiſtę, qui diuinarum arcana rerum importuna curioſitate perſcrutantur: non vt boni fiant per charitatem, quæ ædificat, ſed vt per ſcientiam, quę inflat, elati, improba verboſitate ſeſe iactitent, ac venditent. & vt ait Apoſtolus, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegãtes, & hos deuita. Ex his enim ſunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis: ſemper diſcẽtes, et nũquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Theophylactus: Iam dicet aliquis, venia ergo hæ non indignæ, quin potiùs nec parci quidem his poteſt. Siquidem & facinoribus ſeſe obruerũt, & libidinibus obtuſa eſt mens illarum & obcæcata, vt perdiſcere nequeãt veritatem. Quod vitiũ non illis natura obuenit, ſed voluntate. Quod malum vt nos vitemus, veriſſima diſciplinę concupiſcentia ad ſtudiũ diuinę ſapientiæ adacti, atq; ſolicitati, omni die, omniq; hora procuremus diſcẽdo proficere, ita vt acquirendæ ſapientię ſolicitudo diuitiarum ſolicitudinem reprimat: nè intellectiuum in nobis ſapiẽtię ſemen vel natura datum, vel diuinitùs infuſum, aliquando ſuffocetur. Curaq; diſcẽdi, ditẽſcendi curam extrudat. Quid enim ęquius, quàm quòd verarum ſtudium, diuitiarum fallacium procurationem excludat: quãdo quidem hæ ſunt impedimento, illę verò adiumento ad veram fœlicitatem conſequendam. Iam verò ſicut de diſciplinę cupiditate naſcitur acquirendæ ſcientiæ cura: ita de ſtudioſa diſcendi cura ſcientiæ profectus prouenit. At verò Dei cognitio omni connixu procurata, auctaq; ipſius dilectionẽ ingenerat & auget. Nemo enim eſt ſapientię ſtudioſus, qui quanto magis in ea percipiẽda proficit, nõ ampliùs eam diligat: quia & magis eius bonitas ei innoteſcit, & pluris eadẽ cõſtat. Quæ enim bona ſunt mortalibus notiora, vel cariora, fiunt & eis chariora. Ex huiuſmodi autem dilectione Dei proficiſcitur cuſtodia legum diuinarum: tum quia qui diligit Deum ſyncera charitate, cauet nè eum contemnat: ac ſubinde nè eius mãdata præuaricans offendat: ſed ea ſummoperè implet, vt eidem ſit gratus charuſq;. Si quis, ait Dominus, diligit me, Ioan. 14. *ſermonem meum ſeruabit: & pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mãſionem apud eum faciemus. Tum quia nouit, neminem poſſe ad incorruptionẽ immortalitatis aliquando peruenire, niſi legum diuinarum cuſtoditione ab omni peccati corruptela ſeſe cum Dei auxilio immunem faciat. Nihil enim coinquinatum introibit illuc, vbi eſt perpetuæ incorruptibilitatis ſedes. At verò ĩcorruptio facit proximũ Deo. Homo enim alioqui mortalis, affectus incorruptione ac vitæ integritate, & cõſummata pietate, ſic appropinquat & adhæret Deo vt fiat vnus ſpiritus cum eo: ac perinde eius beatitudinis particeps, ad eiuſdem regnum admiſſus. Si vis, inquit, ad vitã ingredi, ſerua mandata. Deniq; à primo-*

ad

*ad vltimũ deſcendendo, pulchra & arti
ficioſa deductione Sapiens cõcluſit: Cõ-
cupiſcentiæ itaq; ſapientię deducit ad
regnũ perpetuum. Poſtremò his intelle-
ctis, quiſquis bene fuerit in Deũ affectꝰ
omni auiditate ſapiẽtiæ ſermones cõcu
piſcet. Nam vt ait Eccleſiaſticus: Cor
ſapiens intelliget ur in ſapientia: & au-
ris bona audiet cum omni concupiſcien-
tia ſapientiam. Cum omni inquit, id eſt
perfecta cupiditate, & efficaci conatu
audiet Sapientiam clamantem cum Pro*
Ecclef.3. *pheta, & cuilibet animæ dicẽti: Audi
filia & vide, & inclina ad me aurem tu
am, & obliuiſcere populum tuum, & do
mum patris tui: & concupiſcet rex de
corẽ tuum: quia ipſe eſt Dominus Deus
tuus. nec ſolùm cõcupiſcet, ſed etiam ad
te properabit, te præueniet: præoccupa
bit enim qui ſe concupiſcunt, vt ſe illis*
Sap.6. *prior oſtendat, & conclamet: Venite ad
me omnes qui concupiſcitis me, & gene
rationibus meis adimplemini.*

Quanto ſtudio mala concupiſcentia ſit à fidelibus, præcipuè eccleſiaſticis, abiiciẽda reprimendaq́; & quoad fieri poſsit extinguenda.

*Conſequẽtia igitur ſupe
rioris partitiõis exigit
vt de mala concupiſcẽ
tia nõnihil diſſeramus.
Ea eſt praua & impro
ba vel fruẽdę, vel abutẽdæ creaturę cu-
piditas. Hãc rurſus tã Philoſophi, quã
theologi diuidunt in habitualẽ, & actua
lẽ. Habitualis eſt pronitas quędam qua
quis eſt procliuis ad iungẽdũ ſe creaturę
libentiùs ac potiùs quàm Deo, ſiue illa
ſit mala quędam qualitas interiori appe
titui inhærens, peſtilenti ſerpentis flatu
per peccatum primi hominis infuſa, &
ad totum genus humanum corriuata.
Vnde Auguſtinus in libro de nuptiis,
& concupi. Concupiſcentia, inquit, non* Auguſt.
*ſubſtantialiter manet ſicut aliquod cor-
pus aut ſpiritus: ſed affectio quædam
malæ qualitatis, ſicut languor: ſiue ſit i-
pſe appetitus tam ſenſualis, quàm intelle
ctualis, iuſtitia originali nudatus, &
in delectabiles creaturas aduerſus ratio
nem & ſpiritum propenſus. ſecundùm
qđ Apoſtolus ait: Carnẽ cõcupiſcere
aduerſus ſpiritũ, & ſpiritum aduerſus
carnem. Deniq; vtrũuis horũ, ſiue vtrũq;
ſit hæc mala concupiſcentia, exploratũ
habetur ineſſe humani appetitus viſceri
bꝰ, etiã quãdo homo per eã nihil cõcupi-
ſcit. Nam ſicut Auguſtinus dicit libro
ſexto contra Iulianum: ſicut timiditas
ineſt homini, etiam quando actu non ti-
met: ita vitium hoc, vnde praua oriũtur
deſideria, manet in homine etiam quan-
do caro eius nulla eſt commotione ten-
tata. Aliud eſt, inquit, eſſe concupiſciti
uũ, aliud cõcupiſcere: aliud timere, aliud
timidum eſſe: aliud iraſci, aliud iracun-
dum eſſe. Hanc multis nominibus Apo
ſtolus appellitat, vt eiꝰ ratio nobis etiã
atq; etiam innoteſcat. Nam modò vo-
cat eam peccatũ, quia & à peccato pro
uenit, & ad peccatũ promouet: modò
carnẽ, vt diſtinguat eã à ſpiritu: modò
legem carnis, vt eam opponat ſpiritus
legi: modò ſenſum, vt eam à ratione diſ-
iungat: modò demũ cõcupiſcentiam, vt
mentis tranquillitati cõtrariam oſtẽdat.*

*Porrò hæc habitualis cõcupiſcẽtia in
Adę poſteris imputatur peccato ori-
ginali ex debito habẽdæ iuſtitię origi-
nalis. Quo quidẽ debito per ſacramẽtũ
fidei ſublato, licèt eadẽ cõcupiſcẽtia re
maneat actu, nõ tamẽ remaneat reatu.
Manet enim in mortalib⁹ eiuſmodi ma
la procliuitas, qua in malũ procliuãtur,
vt habeãt intimũ hoſtẽ, qui cũ pugnẽt:
& deuicto, triũphent in Chriſto: ſi ſe-
cundũ ipſius inclinationẽ nõ ſint malo-
rũ cõcupiſcentes. Hoc eſt enim, qđ Pau
lus hac de re tractãs colligit, inquiens,
Nihil igitur nunc damnationis eſt his,
qui ſunt in Chriſto, qui nõ ſecũdum car
nem ambulant: id eſt, non operantur ea
quæ caro ſpiritui aduerſa concupiſcit.
Quare lex cùm concupiſcentiam pro-
hibet, non putemus iubere nobis noſtris
de membris hanc habitualem concupiſcẽ
tiam euellere. Id enim impoſsibile eſt,
quandiu in hoc corruptibili corpore vi
xerimus. Sicut & fieri nequit, vt inter
nis appetendi viribus exuamur. Quid
ergo vetat? Actualem vtiq; cõcupi-
ſcentiã, id eſt, nè quis cõmotione carnis
tacta cõtra legem ſpiritus ei cõſentiat:
ſed cũ primũ eã ſenſerit, auerſetur, &
reprimat. Ipſum igitur volũtarium cõ
cupiſcere, quatenùs libero ſubeſt arbi-
trio, prohibetur, cũ lex dicit: Non con
cupiſces. Nec eo pręcepto duntaxat
peculiaris illa concupiſcentia, quę circa
guſtum, & tactum verſatur: ſed in vni
uerſum omnis rei illicitæ appetitio pro
hibetur. Vnde Hieronymus quæſtione
Hiero. octaua ad Algaſiã: priùs quęram⁹ quę
ſit iſta cõcupiſcentia, de qua lex dicit,
Non cocupiſces. Alii putãt illud eſſe
mãdatum, quod in Decalogo ſcriptum
eſt: Non concupiſces vxorem proximi
tui. Nos autem per cõcupiſcẽtiã omnes
perturbationes animæ ſignificatas pu-
tamus, quibus mœremus & gaudemus,
timemus & concupiſcimus. Et cùm Sa
piẽs dicit, Poſt cõcupiſcẽtias tuas nõ va
das: inolitis & ſubſultantibus concupi-
ſcẽtiis arridere prohibet: nec à ſolis cor
poralibus abhorrere iubet, ſed generali
ter ab omnibus, quæ animũ allicere va
luerint & impellere, vt peccatum quod
libet perpetretur. Quęras, quando con
cupiſcendo peccatur? Profectò quando
male concupiſcitur. & quando male cõ
cupiſcitur? quando vel malæ concupi-
ſcentię conſentitur, vel ignauia noſtra
caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritũ. Quid
ſi cõcupiſcentia ex inopinato inſurgat?
Certè tantum aberit à culpa, quantũ à
voluntario. Omnis enim actio peccati
voluntaria eſt. Nãq; vt ait Chryſoſto Chry.
mus in quinquageſima ſecunda homilia
ad vigeſimumquintũ Euangelii ſecũdũ
Matthæum caput: Aliud eſt cõcupi-
ſcere, aliud velle. Cõcupiſcere paſsionis
eſt: velle autem arbitrii. Frequẽter enim
cõcupiſcimus etiam quod nolumus. Si
ergo concupiſcentiæ non conſentit vo-
lũtas, cõcupiſcencia ſola nõ dãnat. Ma
gis autem & glorioſiorem facit victo-
riæ coronã. Huc etiam tendit illa Pau Rom.6.
li concluſio, qua peccato mortuos, &
Chriſto viuentes admonet, dicens: Nõ
ergo regnet peccatum in veſtro morta
li corpore, vt obediatis concupiſcentiis
eius. Auguſtinus: Non dixit Apo-
ſtolus, non ſit peccatum in veſtro mor- Aug.
tali corpore: nouit enim quod quandiu*

eſt mortale,eſt ibi peccatũ.Sed qd ait? Nõ ergo regnet in veſtro mortali corpore.Quid eſt nõ regnet? Ipſe exponit: Ad obediẽdũ,inqt,deſiderijs ei⁹. Sũt deſideria,exiſtũt deſideria.Nõ tu obêdis deſiderijs tuis,nõ ſequeris illa deſideria,nõ illis cõſẽtis,eſt ibi peccatũ:ſed iã amiſit regnũ,quãdo iã in te non regnat peccatũ. Peccatũ hoc loco vocat Apoſtolus peccati fomitẽ. Deſideria verò motiones eius appellat. Nam vt eſt in marginali gloſſemate, cõcupiſcentia aliquãdo nomen eſt fomitis,ſcilicet vitij innati:aliquãdo actus appetitus interioris,qui eſt etiã in primo motu,qui dicitur propaſſio. Hic autem Apoſtolus nõ ꝓhibet cõcupiſcentiã,quæ eſt in primo motu:quia nõ eſt in poteſtate noſtra quãdo ſurgat:ſed dei gratia eã cõpeſcere poſſumus, nè vnq̃ ad delectationem, & cõſenſum ꝑueniat,quod & ꝓhibet. Vetat enim ex deliberatione & induſtria improbis cõcupientijs motibus acquieſcere,& qđ ſenſualitas ſuggerit operari. Quod ſi fiat,motus qui antea aut nullũ erat peccatum, vel certè veniale,tranſit in crimen.

Exacta de primis motibus appetitus cenſura.

ENimuerò quoniã inter oĩes cõcupiſcentias illa eſt improbior,ac vehementior, quæ in venereã voluptatem mortales inſtigat, atq; gulæ delectamenta:vnde & concupiſcentiæ nomen carnalia vitia ſibi ſpecialiter vendicauerũt:placuit in his,vel potiùs ĩ Veneris motibus, qui notiores ſunt,particulatim cõmõſtrare:imò exactiùs explicare cẽſurã, quæ gloſſemate proximè citato de illis poſita eſt. Idq; perſequemur cõmatico ſtylo,vt ſit Prima Propoſitio: Motus cõcupiſcẽtię habitualis, quã Philoſophi vocãt ſenſualitatẽ,quãdo eſt merè naturalis,id eſt ꝓueniens tãtũ ex calore naturali carnè incitante, ac perinde ex cogitatiõe ſequente eiuſmodi motionẽ, nullũ eſt peccatũ, Quia nõ eſt homini arbitrariũ cauere nè ille inſurgat,licèt ei diſpliceat. Imò tũ eiuſmodi diſplicentia,tũ illius cõmotionis repreſſio laudãda eſt,& præmij apud Deũ meritoria. Secũda:ſi autem iſtiuſmodi naturalis concupiſcentię motus ꝑueniat ex mentis occupatione,atq; cõſideratione alicui⁹ qđ ſit licitũ & vtile,veluti cũ quiſpiã fornicationis rationem ac turpitudinẽ meditatur,vt cõmodis argumẽtis eam populo diſſuadeat:q̃uis ſit ille pręuiſus,ſi tamen nõ fuerit intentus,nullũ eſt peccatũ. Quia nõ eſt in poteſtate noſtra, quin viſis tangamur, etiam in rectè ꝓbeq; cogitatis. Si tamẽ ſit ille quodammodò ex tali honeſti cogitatione permiſſus,eſſet culpa ſaltem venialis. Sed ſi ex addita intentione arguitur plenus cõſenſus,difficulter mortifera culpa exuetur:quare quod tutius eſt amplectamur,& talis intentio penitùs abſcindatur. Tertia. Quòd ſi talis motus cõcupiſcentiæ eueniat naturaliter de quopiam inhoneſto cogitatione verſato,præuiſusq; ſit ille,at non intentus:erit quidem peccatum vel veniale, vel mortale,quale fuerit illud illicitum, quod cogitabatur: non tamen nouam culpam apponit illi prauæ cogitationi, cui naturali conſequio accedit. Eſt enim

id ſimile ebriorum peccatis, quorum tã ta eſt culpa, quãta fuit ebrietas. Ex quo fit vt dans operã rei honeſtę nõ debeat ab eius tractatione ceſſare propter tales improbos motus inuito ſurgentes niſi exiſtimaret ſeipſũ eſſe in vehementi cõſentiendæ libidinis diſcrimine. Quid ſi ex officio teneatur pręſtare eã operã, vtpote animarũ curator in audiendis cõfeſſionibus? Nõ vtiq; tenetur ob importunos illos mot⁹ à debito officio ceſſare, niſi periculũ obruens inde ei immineret. Id qđ rarò ſolet accidere. Quid ſi tũc temporis caſto ſacerdoti, rebellibus illis carnis titillamentis repugnãti, & prorſus inuito ſeminis effuſio cõtigerit, nõ eſt vtiq; ideo culpãdus, ſed miſerãd⁹ potiùs. Nã ſi quod dormiẽti accidit, ei nõ datur interdũ vitio, quãto minùs qđ nolenti & repugnãti euenerit eſt ei imputãdũ? Quarta motus ſenſualitatis, q ſequitur ex culpabili cogitatiõe, ita q̃ ipſe cogitãs eſt, fuitue vel cauſa, vel occaſio talis cogitationis, peccatũ eſt veniale: nullus tamen talis motus eſt mortiferũ peccatũ ante plenã deliberationem. Quia ant e deliberationem cõpletã vel actu, vel virtute, nulla delectatio eſt cenſenda moroſa, quãtumuis diu duret. quoniã delectatio nõ eſt moroſa abſq; aut formali, aut interpretatiuo conſenſu. Quinta motus fomitis ſi verſetur circa lethalis culpæ materiã, priuſquã is qui eo pulſatur id animaduertat, aut de eo plenè deliberet, nõ eſt mortale peccatũ. Imò quãuis eius animaduerſio acceſſerit durãte tamẽ cõſultatione de eodem vel admittendo, vel repellendo, interuenit tantùm culpa vel venialis leuis, vel grauis: quę tamẽ accedente cõſenſu fit prorſus lethifera, ſiue ille cõſenſus ſit verus ſiue interpretatiuus. Verus quippe, quoties explicitè quis conſentit, vt in actum illicitum, vel in delectationem eidẽ actui coniunctam. Interpretatiuus autem cõſenſus dicitur, quoties ob delectationem eiuſmodi latenter acceptam concupiſcẽti, actus ille improbus durare permittitur: nec cohibetur cùm cohibere poſſit, nec reprimitur, aut remiſſè ei reſiſtitur. Qui enim ſic ſeſe habet, tacito conſenſu concupiſcentię acquieſcit, iuxta illã frequentem iuris regulam: Qui tacet conſentire videtur. Sexta: Si quis velit ſcire, vtrùm improbis appetitus cõmotionibus conſenſerit, nécne, conſideret diligenter, ſitne aſſuetus talibus motibus, vel confeſtim, vel mox poſtquàm eos animaduerterit, vel de eis deliberauerit diſſentire, & tũc in dubio exiſtimare licebit ei ſe nõ potiùs tũ, quã aliàs eis conſenſiſſe. Si verò aſſueuit eis cõſentire, tutius erit putare tũc tẽporis ipſis cõſenſiſſe. Multũ ergo valet ad tollẽdos tumultuoſos cõſciẽtię ſcrupulos habere propoſitũ omnino determinatũ de nunquã cõſentiẽdo eiuſmodi prauis & improbis incõceſſę cõcupiſcẽtię motionibus. Cęterũ bonarũ mẽtiũ eſt culpã nõ quidem agnoſcere, ſed timere vbi culpa non eſt. Sicut enim illud culpandi eſſet erroris: ita & hoc eſt piæ ſolicitudinis.

Quòd ſicut improbo feruore mala cõcupiſcẽtia exęſtiuat & bona extinguitur: ſic & probo cõcupiſcẽtia mala reprimitur, & bona exeritur.

ET quoniã ſicut impro-
bo feruore mala cõcu-
piſcentia furit, & bo
na extinguitur: ſic &
proba mala cõcupiſcen
tia reprimitur, & charitas exeritur,
prauiq; motus tã primarii, quã ſecunda
rii cohibentur, & extinguũtur: conſe-
quens eſt, vt de vtroq; feruore aliquid
diſſeramus. Sicut igitur aqua ſuppoſi
to igni feruet, id eſt exæſtuat: & vua-
rũ humor, quũ de muſto tranſit in vinũ:
ſic & homo nunc probo, nunc improbo
affectu ferue̊re dicitur. Feruent igitur
impii cõtrariis affectibꝰ: modò tumore,
modò audacia, modò auaritia, modò ꝓ-
digalitate, modò cæco tum ſui, tũ alio-
rũ amore, tũ eorũdẽ odio. Id quod Iſa-
ias teſtatur inquiens: Impii autẽ quaſi
Iſai.17. mare feruens, qđ quieſcere nõ poteſt, &
redũdãt fluctus eius in cõculcationem.
Super quo Hieronymus: Impii autem
ſiue iniqui fluctuabunt quaſi mare fer-
uens, & quieſcere nunq̃ poterũt. Quod
licèt de omni impio poſſit intelligi ta-
men propriè refertur ad populũ Iudęo
rũ, q̃ cõſona voce clamauit: Crucifige,
crucifige. Talem nõ habemus regem, ni
ſi Cęſarem. Sicut igitur mare feruens
quieſcere nõ poteſt, ſed redduntur flu-
ctus eius, & reuoluuntur ad littora at
q; iterum reſorbentur, & in ſe fracti lu
tũ efficiũt: ſic impii ęternę cõculcationi
ſubiacebũt: quorũ nullũ eſt gaudiũ, &
qui nulla pace requieſcunt, in eo, quod
impii perſeuerãt. Sic in circuitu impii
ambulãt: feruẽt ambitione atq; ſuper-
bia: cui vt ſufficiant feruẽt, & inſatia
bili opũ cupiditate: quas cũ cõgregârĩt
feruẽt libidinis æſtu. Sed cũ opes luxu
riãtes prodegerint, rurſus negotioſę a-
uiditatis turbine circũiactãtur: atq; ma
le partis peius vtẽtes, quærũt vt abſu-
mãt: & abſumpta requirere tẽtãt, &
inſano ęſtu agitati vitia vitiis alũt, &
qđ peſſimum eſt, adeò inſano æſtu effer
uẽt, vt exæſtuationis ſuę crimẽ in ipsũ
placidæ trãquillitatis authorẽ impiè re
ferãt. Etenim teſte Salomone, Stultitia Prou.19.
hominis ſupplãtat greſſus eius, & cõtra
Deũ feruet animo ſuo. Ille igitur, vt
ait Hieronymꝰ, ſupplãtãs greſſus ſuos
cõtra Deũ feruet animo, q̃ diuina impe
ria per ſuã inertiã cõtemnẽs, inſuper i-
pſum dominũ, quaſi importabilia homi-
nibus onera impoſuerit, mẽte repreben
dit inſana. Huiuſmodi male feruẽtes te
ſtatur dominus per prophetã Amos,
in ollis feruẽtibus eſſe leuãdos atq; diſ- Amos.4.
cruciãdos. Eſt autẽ bonus feruor qui à
pia affectione excitatur: & perfectus
ſi fuerit à charitate profectus. Etenim
accẽſi Spiritu ſancto feruẽtes dicũtur.
Vnde ſuper illud apoſtoli ad Romanos
capituli duodecimi, Sp̃u feruentes, tale
aſſidet marginale gloſſema: Spiritus i-
gnis eſt, quo feruet charitas. Vnde Do Luc.12.
minus ait: Ignẽ veni mittere in terrã:
& quid volo niſi vt ardeat? Chr̃s vti-
q; in hominis mẽtẽ Spiritũ ſanctũ im-
mittit, cũ eo charitatẽ infũdit: charitas
dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per
Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.
Porrò Spiritus ſanctus calefacit volũ
tatem charitate perfectam, eamq; inci-
tat, incendit, inflammat, ac feruêre
facit: ſic vt æſtuet ſtudio peragendi
omnia veræ pietatis opera, atq; explẽ-
di

di cuncta virtutis officia, ſiue ad Deũ, ſiue ad ſe proximumq́; pertineãt. Quid eſt igitur feruor charitatis? reſpondet quidã, feruor charitatis eſt charitas, ſicut intenſio caloris eſt caliditas intẽſa: vt feruor charitatis ſit charitas feruida. Quòd ſi vlteriùs quæras quid ſit hęc feruida charitas, habitus, an actus? reſpondet Gerſonus, charitatis feruorẽ eſſe actionẽ ex charitate veniẽtẽ. Sed cùm feruefactio volũtatis charitate affectæ ſit vehemens mentis ſtudium, atq; alacris atq; diligens mẽtis affectio operandi pro loco & tempore quicquid illa iuſtitia, quæ in ſe virtutes complectitur omnes, exigit: idq; quo ad fieri poſſit, omnifariã pręſtare: videbitur alicui charitatis feruorẽ non eſſe ipſos motus charitatis, ſed eorũ cauſam, vt ferueter id eſt alacriter, & diligẽter, affluenter fiãt. quã quidã putat eſſe habitũ charitatis acquiſitę, vel eius actũ, hoc eſt moralẽ dilectionẽ, ſiue habitualẽ, ſiue actualẽ. Sed hoc nõ ſatis eſt ad explicãdum hũc ſpiritualem, de quo agimus, feruorem. Quia vt authoritas dixit, ignis eſt ſpiritus ſanctus, quo ardet charitas. Quid igitur eſt feruor ſpiritualis? Eſt alacris ſtudioſa, & diligẽs, & ſolicita prõptitudo præſtãdi quicqd aut ratio dictat, aut lex pręcipit, aut pietas exigit. Efficitur autẽ huiuſmodi ſtudioſa volũtatis prõptitudo de Spiritus ſancti aſſidua motione, & pia morali affectione, & tãdẽ ex charitatis præſentia. Dicitur autẽ feruor charitatis, qui a volũtas prædicto modo feruens, alacriter, & diligẽter, & ſtudioſe elicit ac imperat & exequitur cũcta charitatis opera tã corporalia, quã ſpiritualia: nec ſolùm ſuperior hominis portio taliter feruet, ſed etiã eadẽ animi cõmotio portionẽ inferiorẽ feruefacit. Nã, vt ſentit ſanctus Thomas, feruor charitatis in hoc conſiſtit, q dilectio quæ eſt in ſuperiori parte, ſui vehemẽtia vſq; ad cõmutationem inferioris partis redũdat. Vnde & in quæſtione ſecũda ad decimãſextã diſtinctionẽ quarti libri Sẽtentiarũ idẽ autor huius verbi trãſlationẽ his verbis declarat: Dicitur enim feruor charitatis per ſimilitudinẽ, ſecũdũ quod ad exteriora quodammodò ebulliẽdo refunditur. Ex quo infertur, quòd quia virtus finita quãto intẽſior eſt circa vnã operationẽ, fit remiſſior circa aliã: quãuis ſit feruor charitatis quãtũ ad aliqua, poteſt tamẽ eſſe tepiditas quãtũ ad alia, quæ nõ cõſiderat. Idcirco feruidus erga vnũ bonũ faciendũ, vitabit veniale illud illi bono repugnans, quãtũ ad culpã: & diluet alterũ illi cognatũ, quãtũ ad pœnã. Quia talis feruidus charitatis actus eorũ diſplicentiã includit. At verò tepidus circa aliud ex ea parte nõ modò nõ diluit aliud veniale ſibi ſimile. ſed & illud cõmittit, ad qđ vitãdũ tepet. Quod cũ cõmittit: ipſum ſpiritualem feruorẽ nõ ſolũ impedit, nè exerat actũ ſuũ, ponendo actũ ei repugnãtẽ, qui ſimul eſſe nõ poſſunt, vtpote cõtrarii: ac perinde retardat affectũ hominis ab his, quæ ſũt prõ ptę amicitiæ officia: quin etiã diminuit illũ feruorem diſponendo peccãtis venialiter volũtatem ad ſimilia peccata committenda. Stat igitur aliquod peccatũ veniale in hac vita cum aliquo feruore charitatis. Siquidem nõ tollit charita-

Thom.

tem,ſicut peccatum mortale:poſſet tamen ille ſeruor tantus eſſe,quòd virtualiter includeret diſplicentiã cuiuſlibet retrahentis ab officio diuinæ amicitiæ præſtando, & ſecum afferre vehementiſſimam animi promptiſſimi occupationem,in reddendo quicquid dei ac proximi dilectio depoſcat.Sed hæc tanta ſpiritualis feruoris perfectio,paucis in hac mortali vita cõtingit:in illa autem glorioſa iuſtorũ reſurrectione,omnib⁹ beatis aderit,qua & eorũ animæ interim patiũtur.Notãdum & illud,oportere feruorem,ſiue ille ꝓueniat ex ſolo affectu naturali,puta parentis ad filios,ſiue morali,vt ciuis ad rempublicã:ſiue ex pia affectione præcedente Charitatem,ad Chr̃m eſſe ratiõe vel diuina vel humana directũ,nè feratur in præceps. Siqdẽ Vis cõſilii exps,mole ruit ſua. Sic enim ceciderũt illi,de qbus Apoſtolus ait:Aemulationem Dei habent,ſed nõ ſecũdũ ſcientiam. Deniq; iubet nos Paulus feruêre, nè lethali peccato frigeamus,nec veniali tepeſcamus.Sed alacres in Deo colendo nos exhibeamus, nec animi noſtri feruorem remittamus. Quod pręſtabimus ſi nullis aduerſis ab inimicis fidei ac virtutis nobis illatis perturbemur,nec loco cedamus aduerſario.

Quæſtio ſuperiori *bus affinis, De pia feſtorum celebratione.*

QVæritur vtrùm celebrãs feſtum teneatur ceſſare à peccato.hæc quæſtio poteſt habere multiplicem ſenſum. Primum:vtrùm liceat facere in feſto aliquod opus ſeruile.Secũdum:vtrũ qui non conteritur de ſuo peccato mortali de nouo peccet.Tertiũ:vtrùm teneatur ex vi præcepti vitare quodlibet peccatum,ſaltem mortiferum.Iam ponuntur aliquot propoſitiones.Quarum Prima ſit:Quilibet in die feſto,puta Dominico, tenetur ceſſare ab omni opere ſeruili.Quia ſcriptum eſt,Nõ facietis in eo omne opus ſeruile:quod & ab eccleſia confirmatum eſt.Secunda.Quilibet tenetur vitare à ſe in quantũ poteſt quodlibet opus,quanq̃ nõ ſit ſeruile qđ eſt impeditiuum quietis temporalis,in qua vacãdum eſt diuino cultui,niſi vrgenti neceſſitate excuſetur.Vt ſi quis exerceat venationem aut gregem ſeruet,aut obligetur alicui ſcripturæ conficiendę,quibus intendens nequeat intereſſe miſſæ, quam in die feſto audire tenetur.Nemini enim licet facere aliquid contra finẽ pręcepti ex intẽtione actuali,vel virtuali.Quòd ſi obiicias cõmunẽ authorũ ſentẽtiã,dicentiũ finem pręcepti nõ cadere ſub præcepto:Reſpõdemus, duplicem finem eſſe pręcepti.Alterum proximũ:alterum remotũ.Finis igitur proximus,qui eſt velut obiectum mandati, bene cadit ſub pręcepto:ſicut in propoſito mandatum de obſeruatione feſti negatiuum,Non facietis in eo aliquod opus ſeruile:quod habet pro fine proximo actum religionis,pro loco & tẽpore eodẽ die feſti exercẽdũ.Idcircò enim ceſſandũ eſt ab operibus ſeruilibus, quò ſit otium ad vacandum ſpiritualibus. Id quod præcepto affirmatiuo explicatur & iubetur:cũ dicitur, Sabbatha ſanctifices.

ſanctifices. Tertia propoſitio. Finis autē remotus, qualis eſt vnio ad deū perfecta per charitatē, eſt ille qui dicitur nō cadere ſub pręcepto, quo iubetur op⁹ externus facere. Qui enim honorat patrē nec ex charitate, nec ob charitatem, dei præceptū adīplet: licèt nihil grę à Deo mereatur. Quòd ſi dixeris, huic ſententię rēpugnare quod dominus Iſaię primo capite teſtatur, nō acceptare ſolennitates quòd charitate carerēt: & qđ ait capite quinquageſimooctauo, ſe non acceptare eorum ieiunia, & ſabbathū illorū, quia vacua erant dilectione in deum & proximum: Reſpondetur, Deū id dicere nō ꝙ eos reiecerit, quia nō ſeruârint diem ſabbathi quantum ad ſubſtantiā præcepti, ſed quòd eis nō concedebat petita ꝓpter peccata, quæ in deum, proximūq; eadem die committebātur. Quòd ſi adhuc à cōtrario contra hanc reſponſionem argumenteris: Deus glorificāti ſe, & p gratiā adhærenti in celebrādo feſtū dat hæreditatem vitę æternæ, ergo inibi deficiens meretur pœnā ęternam: nō bene colligis. Quia nō ſequitur qđ peccet nō diligendo deū in die feſti, aut mereatur pœnam ęternam: ſed concludendum fuit, ꝙ non meretur dei gratiam obtinere, neq; dabitur ei propter huiuſmodi cultū charitate carentem ęternæ vitę hęreditas: effugiet tamen peccatū, qđ alioqui ex omiſſione ſeruandi feſtū accederet. Quòd ſi hinc ex oppoſito arguas: Si ſeruans diem dominicum nō tenetur dilectionem elicere in eo, nec tenebitur ad cultum interiorem: Reſpondetur, non eſſe ſimile de vtroq;. Quia licèt cult⁹ latrię interior, id eſt recognitio maieſtatis ſupremæ cū reuerentia interiori ei debita, ſecundùm ſe non caderet ſub præcepto colendi feſtum exteriori obſeruatione: cadit tamē ſub eo, ſicut ratio & cōditio cultus exterioris. Neceſſe enim eſt, à recognitione atq; obſeruātia diuinæ maieſtatis īperetur exterior cultus, ſiue ſacrificiū, ſiue oblatio, ſiue corporalis quies, atq; ꝓſentia, quibus illis celebrādis religioſè aſſiſtitur. Etenim vt plena religione deū colat chriſtianus, tā interiori quā exteriori homine ſacrificio altaris in die dominico debet aſſiſtere, & ipſi vtrūq; cultū exhibere: ſicut ſacerdos nō ſolū ore, ſed etiā corde, id eſt attentè, & reuerēter diuinū, ꝑcariū, i. officiū perſoluere tenetur, vt ſatiſfaciat ecclæ pręcepto de diurnis horis perſoluēdis. Ex his fit mihi ꝓbabile, nō fuiſſe intētionē Scoti in eo, quod ſcribit ſuper diſtictiōe nona ad tertiū librū Sentētiarū, ꝙ exigatur dilectio Dei ſuper omnia ad implendū pręceptū de feſto colendo: ſed act⁹ interior latrię, id eſt reuerentia diuinę maieſtatis interior exteriorem cultū præcipiens. Sic enim cōiungitur pius cultor deo vnione reuerentiali, licèt nō ei vniatur charitatis vinculo. Quarta ꝓpoſitio. Nō tenetur homo in die feſto ex vi præcepti de obſeruatione ſabbathi conteri de peccato de quo ſemel contritus eſt: quia illud per primam cōtritionem remiſſum eſt. Quod autem ſemel remiſſum eſt, non eſt imputabile, vt opus ſit iterum remitti. Satis eſt remiſſa culpa denuò non delectari, vt peccatum vitetur: licèt illud facere plerunque ſit vtile ad euadendam pœnam totam tali peccato æquabilem, & ad cauendum, nè de nouo peccetur.

Quanto enim quis magis aſſueſcit præteritorum pœnitere peccatorum, tanto magis cautior fit & promptior & validior ad vitanda paſſim occurſura. Quinta propoſitio. Celebrans feſtũ nõ tenetur ex vi talis præcepti in die feſto conteri de peccato, cuius nunquam pœnituit: tũ quia præcepta Decalogi ſunt de actibus exterioribus, & non de interioribus, niſi ſint illis neceſſariò coninncti. Conteri autem de peccato, & celebrare feſtum, non habent neceſſariam cõnexionem: tum quia contritio eſt actio alterius virtutis à Sabbathiſmo: nam illa eſt virtutis pœnitentiæ: feſti autem celebratio eſt religionis actus. Non autem ſequitur, Iſte tenetur hoc pro tempore ad exercendam operationem vnius virtutis: debet ergo producere actionem alterius, niſi hęc illam pręſupponat: q́d in præſenti caſu non contingit. Deniq; non liquet, peccatorem debere conteri de tali peccato iure nec humano, nec diuino ſcripto, in die feſto: non eſt igitur id aſſerendum. Quòd ſi quis tale ius nouerit, afferat in medium, & cedemus ei. Quòd
Leuit. 18. *ſi quis afferat ex Leuitici capite viceſimotertio illud mandatum quod Dominus ſuper die expiationis dedit: Affligetis animas veſtras in eo. Omne opus ſeruile non facietis in eo. ad hoc reſpondetur, quòd iſta pręcepta per Euangeliũ ſunt antiquata. Secundò quòd ibi afflictionem vocat corporale ieiunium. Tertiò, quòd in illo feſto Deus addidit præcepto de feſto pręceptum pœnitentiæ. Quia erat inſtitutum ad expianda peccata, vt affligẽtibus ſe Deus propitius fieret. Hoc autem quod eſt huic feſto peculiare, non licet tanquam generale alijs feſtis accommodare. Sexta Propoſitio: Qui in die feſto peccat, vel actione interiori, vel exteriori, licèt tale opus non ſit de numero ſeruilium, & ſi non peccaret contra præceptum eccleſiæ de feſto colendo, profectò peccat contra præceptum Dei, & naturæ. Nam eo ipſo q́d aliquod tempus eſt cultui diuino ſpecialiter dedicatũ, & Deo ſacratũ, ſiue ſit à Deo ſiue ab eccleſia ad id dedicatũ, tenetur homo noua & ꝓpria obligatione Deũ in illo tempore nõ offendere. Qui enim tunc peccat, multò magis peccat. Hoc autẽ iure diuĩo & humano vitãdũ eſt. Exemplum eſt clarum de loco ſacro, vt illic Deꝰ ſpecialiter cognoſcatur & colatur. Certè ſi qs illic ſcienter peccat, vltra id q́d ſic peccat, videtur grauiorẽ multò offenſã Deo facere. Quod ſaluatur abſq; hoc q́d talis agat contra pręceptum eccleſię, etiam ſi contra intentionẽ eccleſię faciat. Verùm hæc ſub præcepto non cadit: & ita doctor Sanctus, quem pro ſe citat Adrianus, non dicit quòd qui peccat in ſabbatho violat pręceptum eccleſiæ, ſed quòd violat ſabbathum. Hæc Medina: qui propter prædictam rationem putat fornicãtẽ die feſto peccatum peccato addere. Sed nos adſcribamus verba ſancti Thomę, quæ ipſe poſuit articulo quarto quæſtionis centeſimæ vigeſimæſecundæ ſecundi libri. Ait enim: quia magis homo impeditur à rebus diuinis per opus peccati, quã per opus licitum, quanuis ſit corporale: ideo magis contra hoc præceptum facit qui peccat in die feſto, quãq aliquod corporale opus licitum facit. Vnde Auguſtinus*

guſtinus dicit in libro de decem chordis:
Melius faceret Iudæus in agro ſuo ali
qd vtile, quã ſi in theatro ſeditioſus exi
ſteret: & meliùs fœminæ eorũ die ſab-
bathi lanã facerent, quàm quòd tota die
in Neomenijs ſuis impudicè ſaltarent.
Hoc eſt quod per Iſaiam Dominus Iu-
dęis exprobabat, dicens: Ecce in die ieiu
nii veſtri inuenitur volũtas veſtra, &
repetitis omẽs debitores veſtros, & per
cutitis pugno impiè. Septima Propoſi-
tio: Peccãs venialiter nõ violat ſabbathi
ſmũ. Nõ enĩ q peccat venialiter in ſab-
batho, facit contra pceptũ de ſanctificã
do ſabbatho: qa peccatum veniale nõ ex
cludat ſanctitatem, cùm non tollat gra-
tiã neq; charitatem, quãuis eius feruorẽ
diminuat. Octaua Propoſitio: Quilibet
tenetur de iure naturali actũ religionis
elicere, ſaltem ſemel in vita. Quoniã qui-
libet poſtquam peruenerit ad annos diſ-
cretionis, tenetur referre ſe, ſuaq; in vlti
mum finẽ: ab eoq; gratiã amicabilem ex-
petere. quia ad hoc Deus hominẽ inuitat
& natura incitat. Id autem fit p deuo-
tionẽ: quæ, vt eã definit Hugo de Sctõ
Victore, eſt pius animi affectus deo de
dit⁹, qđ bonũ videtur exoptans. Hęc e-
nim vltima eſt diſpoſitio ad gratiã obti
nendã à Deo, ſi plena pcanti adſit. Huc
ptinet illud Michεæ prophetæ: Indica
bo tibi ô homo quid ſit bonũ, & quid do
minus quęrat à te. Vtiq;, facere iudiciũ,
& quęrere miſericordiã, & ſolicitũ am
bulare cũ Deo tuo. Quod cũ omni tem
pore facere debeamus, id diebus feſtis
vacando Deo facere oportet, vt ei dile
ctionẽ referamus eo tempore, in quo no-
bis feſtiuè repſentatur qualiter in mortẽ
ſe tradidit propter nimiam charitatem,
qua dilexit nos. Hic demũ eſt perfectus
ſabbathiſm⁹ populi Chriſtiani, per quẽ
in illã ſynceram & iucundam & perpe
tuam requiem intraturc

De quadruplici foro luendarum, leuiùs aut grauiùs pro peccatis, pœnarum.

FOrum à ferẽdo, Græ
cè ἀγορὰ: loc⁹ eſt, quô
multa vænalia ferun
tur: vt in vndecimo ca
pite Euangelij ſecũdũ
Matthęũ Dominus loquitur: Cui autẽ
aſſimilabo generationem iſtam? Similes
ſunt pueris ſedentibus in foro. Forũ quo
que eſt locus in quo iudicia exercentur:
gręcè, Δικαστήριον. Et profectò illud p
bè conſtitutum eſſe conſtat, vt in eo ius
ſuũ cuiq; reddatur. Id qđ ſi ſyncerè, pru
dẽterq;, ac piè, pbeq; geratur, pſidio eſt v
niuerſo ciuiũ generi: ac in primis ciuilẽ
pacem cõſeruat. Si autem peruertatur,
nihil pniciosius ciuitati acciderit. De
quo Cyprianus in ſecũda epiſtola ſecun
di libri ad Donatum pclarè inquit: Fo-
rũ fortaſſe à calamitatibus immune, qđ Cypria.
ab iniurijs laceſſentib⁹ liberum, nullis ma
lorum cõtractibus polluatur. Illic aciẽ
tuam flecte. Plura illic quę deteſteris in
uenies: magis oculos tuos inde diuertes.
Incisę licèt ſint leges duodecim tabulis,
& publico ære pfixo iura pręfixa sũt,
inter leges ipſas delinquitur, inter iura
peccatur. Innocẽtia neq; illic, vbi defédi
tur, reſeruatur. ſęuit inuicẽ diſcordãtiũ
rabies

rabies, & inter togas pace rupta forũ litibus mugit inſanum. Haſta illic & gladius, & carnifex præſtò eſt: vngula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens. Ad hominis corpus vnum, ſupplicia pluraquàm membra ſunt. Quis inter hæc vero ſubueniat? Patronus? Sed prẹuaricatur, & decipit. Iudex? ſed ſententiam vendit. Qui ſedet crimina vindicaturus, admittit: & vt reus innocens pereat, fit nocẽs iudex. Flagrant vbiq; delicta: & paſſim multiformi genere peccãdi per improbas mentes nocens virus operatur. Hic teſtamentum ſubducit, ille falſum capitali fraude cõſcribit. Hic arcentur hẹreditatibus liberi, illic bonis donantur alieni. Inimicus inſimulat, calumniator impugnat, teſtis infamat. Vtrobiq; graſſatur in mendacium criminũ proſtitutæ vocis vẹnalis audacia: cùm interim nocentes nec cum innocentibus pereunt. Nullus de legibus metus eſt: de quæſtore, de iudice, pauor nullus. Quod poteſt redimi non timetur. Eſſe iam inter nocentes, innoxium crimen eſt. Malos quiſquis non imitatur, offendit. Conſenſere iura peccatis, & cœpit eſſe licitum quod publicum eſt. Quis illic rerũ pudor? quæ eſſe poteſt integritas, vbi qui damnent improbos deſunt, ſoli tibi qui damnentur occurrunt? Iam verò aſcendam ad forum ſpirituale, in quo iudicia ſpũalia in peccatores exercẽtur: in quo aut ꝓ ſuis impœnitẽtes ꝑpetuis pœnis addicuntur: aut pœnitentes à peccatis abſoluuntur: vt in diuinam gratiam reſtituti, abſq; vllo impedimento in vitã æternam rectà tendant. Non pertinent autem ad hoc forum iudiciale innocẽtes, qui nulli vnquam peccato fuerunt obnoxii. quales ſunt infantes baptizati, qui ante rationis vſum mortui ſunt: vel ſi qui mox à baptiſmate priuſquam peccarent de medio ſublati ſunt. ſicut & martyrio conſummati, ſtatim in cœlum euolant: ſic alieni à reorum foro, vt reorum ſint ipſi iudices. Ad tales enim Dominus inquit: Cùm venerit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Enimuerò forum hoc ſpirituale quadruplex, non tam expreſſo nomine, quàm re ipſa ex ſacris literis colligitur, authoribus Altiſsiodorenſi, Henrico Gandauenſi, atq; Ioanne Gerſoneo. Eſt enim forum dei, & hominis, & Chriſti. Dei autẽ forum eſt duplex. Alterũ gehennæ: in quo regnat Dei iuſtitia furibunda & implacabilis, non affectu, ſed effectu: precibus inexorabilis, & veniæ cedere neſcia. Eo enim in foro nullatenùs datur miſericordiam appellare quẹ liberet, ſed iuſtitiã pati, quẹ impœnitẽtes hac vita defunctos in ẹternũ perpetuò puniat. Quos à ſiniſtris nõ ſtantes, ſed iacentes oſtendit dominus dicens. Ibunt mali in ignem æternũ. Nullam enim huiuſmodi excuſationẽ habent, quin illos æternos cruciatus patiantur, qui Dei elementiam contentioſis animis contempſerunt. Sicut Apoſtolus Paulus in ſecundo ad Romanos epiſtolæ capite commonſtrat. Alterum Dei forũ eſt locus purgatorius: in quo qui pœnitentes ſuorum criminum fide quẹ per dilectionem operatur, defuncti ſunt: tum à labeculis peccatorum venialium purgantur: tum debitis pœnis, quas hic non perſoluerũt

ſoluerunt puniuntur, donec eas ad librã perpetiantur. Quia non exibũt inde, do nec ſoluant vſq; ad vltimum quadrantẽ. Ibi enim peccator ſatiſfacit Deo per pœnam ab ipſo Deo inflictam, pœnam culpæ exequãte: quò purgatus ab omni labe, & ab omni debito ĩmunis, cœlũ dines ingrediatur. Eleuãtur autẽ in illo foro purgãdorũ tormẽta eorũ meritis, nõ vtiq; nouis, ſed antiquis, quibus ꝓmeruerunt vt ieiuniis, eleemoſynis, & orationibus, atq; ſacrificiis pro eis factis iuuarẽtur. Quia ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis in Domino exorare, vt à peccatis, id eſt à pœnis pro peccatis debitis ſoluantur. Tertium forum eſt hominis pœnitentis in hac vita, quando corde cõtrito & humiliato culpæ veniam ſemper à Deo obtinet: & pœnę pro culpa debitæ, vel totius, vel aliquantæ, quod frequentiùs contingit, remiſsionem aſſequitur. Vel certè ſoluit ſatiſfaciendo per quamlibet pœnam Deo acceptam voluntariè aſſumptam: abſq; eo, quòd à ſacerdote ſacramentaliter ei iniungatur, aut in contritione ſacramentali ſoluatur. Sic plerique ſancti veteris teſtamenti non pertranſito igne purgatorio, quùm primùm moriebantur, in ſinu Abrahæ excipiebantur. Hoc docet nos ſcriptura, quãdo de quouis iuſto tum temporis mortuo dicit, Et appoſitus eſt ad patres ſuos. Sic & in nouo teſtamento fideles, quorum plurima turba eſt, è veſtigio à morte euolârunt ad Dominum. Qualis fuit Paulus primus Eremita: Sancta Maria Aegyptiaca, & alii. Hi enim deſertum habitabant, vbi non erat adeò frequens ſacramentorum copia. Inſtinctu enim Spiritus Sancti acti eremiticam degêre vitam. Multos denique tales nutrit eccleſia Chriſti, qui ſi in aliquod peccatum inciderint, ita ſe ipſos puniunt, & piis operibus exercent, vt antequam ad ſacerdotis præſentiam accedant conſeſſuri illud peccatum, iam prorſus abſoluti ſunt apud Deum tam à pœna, quàm à culpa. At nihilominùs tenẽtur ſua omnia peccata tales fideles ſuis ſacerdotibus ſaltem ſemel in anno cõfiteri. Quartum demum forum eſt Chriſti, ſiue eccleſię: in quo ſoluitur pœna peccatis debita per ſacramentalem contritionem, & abſolutionem, & per ſacramentalem ſacerdotis pœnę iniunctionẽ. In hoc enim foro pręcipuè ſceptrũ tenet ac thronũ dulciſſima diuinæ gratię miſericordia. Quia in eo ſolutioni pœnæ accreſcit pretium ex paſſione Chriſti per ſacramentum pœnitentiæ ſoluenti accomodata. Nam vt dicit Sanctus Thomas in quæſtione nonageſima ad tertiam partem, articulo ſecundo ad ſecundum: Satiſfactio ſacramentalis confert gratiam prout eſt in propoſito: & auget eam prout eſt in exequutione. Sicut etiam baptiſmus in adultis. Ex quo liquet, multò præſtare ſatiſfactionem ſacramentalem non ſacramentali. Quoniam ſacramentalis pœna non ſolùm valet ſecundùm ſe ad ſolutionem debiti, ſed etiam clauium eccleſiaſticarum vi, quæ operantur peculiari modo ex virtute paſsionis Chriſti. Ex quo fit, vt plus conferat æquale ieiunium à ſacerdote iniunctum, quàm ex ſola ieiunantis voluntate exhibitum.

Eſt vtiq;, vt Henrici Gandauenſis verbis vtar, diſparitas valoris pœnarũ, prætermiſſo damnatorum foro, in quo nulla eſt redemptio, in alijs tribus foris: quia pœna in Chriſti foro ſoluta, diuina reputatione chara eſt, & pretioſa valde: quia ſacramentalis eſt. Minùs autem chara eſt & pretioſa quę fit in foro ſolius hominis punientis ſe: quia nõ eſt actu ſacramentalis. Vilis autem & minùs chara, & minimè pretioſa, quæ ſoluitur in foro Dei, id eſt in loco purgatorio: quam neceſſe eſt purgando pati, vt inde transferatur in cœlum. Ex quo fit, vt in tribus foris pœnis inæqualibus nõ ſoluatur niſi æquale debitum. Nam ſi quis non ſoluerit totam pœnam temporalem, cuius debitor eſt ꝓ peccatis ſuis in ſacramentali contritione, aut ſacramẽtali iniũctiõe ſibi definitã, ſi vult pro pœna ſatiſfactoria vniꝰ diei in foro Chriſti ſatiſfacere: pœna vnius diei in foro pœnitentis, acerbitas pœnæ illius erit maior. Si autem aliquis non ſoluerit totam pœnam prędictam temporalem cuius eſt debitor, neq; in foro Chriſti, neq; in foro hominis extra ſacramẽtũ pœnitentiæ, ſi oporteat illum pro pœna ſatiſfactoria vnius diei luenda in foro Chriſti aut in foro pœnitentiæ ſatiſfacere pœnã vnius diei in foro dei: acerbitas pœnæ vniꝰ diei ſatiſfactorię in foro dei erit multò maior. Ex quo meritò infert Caiet. *Caiet. duo corollaria. Alterũ eſt: Errare multũ pœnitẽtes volẽdo paruã pœnam ſatiſfactoriam imponi ſibi à ſacerdotibus. Alterum: Sacerdotes minùs bene proſpicere paratis ſuſcipere pœnã ſuis debitis ęqualem, imponendo eis minorem, leuioremq;. Siquidem ipſa prærogatio ſacramentalis ſatiſfactionis virtute clauium nata eſt, atq; potens tum augere gratiam, tum ampliùs valere ad minuendam tolerandamq; pœnam pro peccatis debitam. Ex quo etiã meritò Gerſonus in tractatu de indulgentijs conſideratione decimaſexta colligit, quòd ſi quis petit dilationem ſatiſfactiõis ſuæ fieri non in hac vita, ſed in purgatorio: poteſt hoc contingere culpabiliter propter debilitatem fidei de pœnis purgatorij: aut quia nimis amat delitias, & honores vitæ: vel aſperitates exhorret. Si verò veniat hæc petitio ex conſideratione fragilitatis ꝓprię, & debilitate ſuę patientiæ in aduerſis nè ſuccumbat & peccet, tolerabilis videtur eſſe timor iſte licèt imperfectus ſit, & non omnino excuſabilis: quia quodammodò diffidit de Deo, quòd non tolerabiliter ſecum ageret: neq; quod daret debitam patientiã. Colligitur autem ex hac conſideratione ratio moralis & theologica: Cur viri ſanctiſſimi tot flagellis atterũtur in hac vita: ſcilicet quia confidentes in dei miſericordia, quòd faciet eis cum tentatione prouentum, deſiderant hic puniri, & non in finem peccata ſua etiam venialia differri purganda. Quorum Deus petitionem exaudiens commutat ſententiam, & pœnam purgatorii in pœnam temporalis huius exilij, & in augmentũ eſſentialis præmii cum acceleratione Paradiſi. Hinc eſt illud Auguſtini: Hic vre, hic ſeca, vt in æternum parcas. Illud deniq; addamus ex Altiſsiodorẽſi quòd aliquando homo abſolutus eſt à ſuis peccatis quantum ad forum dei, & non eſt abſolutus*

Gerſo.

abſolutus quantum ad forum eccleſiæ, nec quantum ad forum hominis: id eſt ſuiipſius. Sicut cùm tanta eſt cõtritio, quæ delet maculam & omnem pœnam, abſolutus eſt quantum ad forum dei, ſed non quantum ad forum eccleſiæ. Ad huc enim tenetur facere pœnitentiam, quam iniungit ei ſacerdos: nec quantum ad forum ſuum, ſi dubitat an ſufficienter ſatiſfecerit. Aliquando verò abſolutus eſt homo quantum ad forum dei & ſuum: non tamen quantum ad forum eccleſiæ: ſicut quando contritio tanta eſt, quæ delet ſufficienter maculam & pœnam, & ſentit homo in ſe gaudium ſpirituale, & quandam ſecuritatem, per quam credit probabiliter ſe nullius pœnę debitorem. Sic eſt abſolutus quantum ad forum dei & ſuum: ſed adhuc tenetur ſubi:e pœnitentiam, quam iniungit eccleſia. De foro hominis dicit Apoſtolus: ſi nosipſos diiudicaremus, non vtiq; iudicaremur. De
Auguſt. *quo & Auguſtinus in libro de pœnitentia: Aſcendat homo tribunal mentis ſuę & ante oculos ſuos ſtatuat imaginem futuri iudicii, accuſante cogitatione, teſte conſcientia, timore carnifice: & ſic ſeipſum iudicet, nè in futuro iudicio à domino iudicetur.*

Quanto præſtat ſatiſfactionem pro peccatis Deo reddendam hac in vita fieri, quàm in aliam differri.

SEd vt in proximo capite dicta latiùs pateant, addamus & illud, quòd non tã diſputatione, quàm ſuaſione indiget: Multò eſſe præſtãtius, atq; eligibilius, hominẽ quandiu hãc vitã degit, rectè factis deo ſatiſfacere, quàm teſtamentariis cõmittere, vt ea exequãtur opera, atq; ſuffragia, que ipſe pro ſe agenda eis commendauit vt à purgatoriis pœnis eripiatur. Quod multis argumẽtis comprobatur. Primò quidẽ: Quoniã quodlibet o- 1
pus bonum à viuente factum, ſi ſit in charitate, gratiæ gloriæq; meritorium eſt. Siquidem danti poculum aquæ frigidæ reſpectu Chriſti, redditur ſua merces: at exiſtentes in Purgatorio, licèt meruerint apud Deum cùm pia opera pro ſeipſis facienda demandauerunt: tamen illic de.e iti nihil ſibi merentur: Dicente Auguſtino in Enchiridio, Auguſt.
Nemo ſperet quod hic neglexerit, cùm obierit à Domino ſe promereri, quo poſſit poſt hanc vitam releuari. Et rurſum: Hic omne meritũ cõparatur, ſcilicet, quia quãdiu anima manet in corpore, eſt cõpletè in ſuo ſtatu naturali, quo poſſit aut deficere, aut proficere: Dicẽte Apoſtolo in poſterioris ad ad Corinthios epiſtolę capite quinto, Omnes enim vos manifeſtari oportet ante tribunal Chr̃i, vt referat vnusquiſq; propria corporis prout geſſit, ſiue bonũ ſiue malũ. Secũdò, propter id q̃d ex pro-
ximo manifeſtè ſequitur: quia hic cũ ſit 2
in proficiendi ſtatu, quolibet opere charitatiuo meretur charitatis augmẽtum.

Sic enim fit, vt q iuſtus eſt iuſtificetur
3 adhuc. Tertiò, quia præbendo hic bo-
num exemplum proximis de rectè agen-
do, promeretur illic gaudium maius:
quia adimplet illud, Sic luceat lux ve-
ſtra apud homines, vt videant opera ve
ſtra bona, & glorificent Patrẽ veſtrũ,
4 qui in cœlis eſt. Quartò: Quoniam ſatiſ
factio in hac vita completa tutum hac
de vita exitum fideli præſtat. Qui enim
facit quod in ſe eſt, Domino piis operi
bus ſatiſfaciendo, immunis à pœna futu
ra hinc proficiſcitur: quòd ſi in aliquo le
ui errore humano defecerit, illic facilè
eluitur, vel à clementiſſimo parente con
donatur. Ex quo fit, vt ſecurus animam
ſuam in morte deo reddat. Non enim ſo
licitat eum cura de hæredũ vel teſtamẽ
tariorum fide in complẽdis ſuffragiis,
atq; legatis in ſuo teſtamẽto digeſtis, at
q; conſtitutis. Nam licèt aliquibus mu
neri obeundo fideles reperiãtur, pleriq;
tamen illorum ſunt infidi. Vnde Salo-
mon: Multi homines miſericordes vocã
tur, virũ autẽ fidelẽ quis inueniet? Quin
tò. Qui viuẽs rectè factis abundat, tam
5 dei, quàm Angelorum, cunctorumq; iu
ſtorum beneuolentiam ſibi comparat; ob
quam mortali corpore exutus ad eorũ
fœlicitatem alacriter admittatur: cõſu
lente nobis Seruatore noſtro, facere no
bis amicos de mãmóna iniquitatis, qui
nos præcedant in ęterna tabernacula.
6 Sextò. Quia qui dũ viuit quibuſlibet
miſericordię operibus peccata ſua redi
mere cõtẽdit, eccleſiã Chr̃i ſtudioſe fo-
uet, vtpote qui tã viuis, quã defunctis
talibus operibus multũ prodeſt. Sic fit
vt meritò ab vtriſq; iuuetur, vt ad cœle
leſte regnũ ſine mora promoueatur, &
à Domino cũ reliquis iuſtis fœliciter au
diat: Venite benedicti patris mei, perci
pite regnũ, quod vobis paratũ eſt à mũ-
di conſtitutione. Septimò. Talibus ope- 7
ribus bonam ſibi famã comparant, qui-
cunq; ea benefacta viuentes perficiunt.
Beneficẽtia enim apud deũ & homines
ſolidæ gloriæ ſuaueolentia cõparatur.
Sicut Apoſtolus dicit: Bonus odor
Chr̃i ſumus Deo. Octauò. Qui degens 8
hanc vitã, diligenter expendit ſua bona
vt ea defunctus abſq; vllo impedimẽto
deo fruatur, dignus vtiq; fit, vt abſq;
vllo tarditatis diſpẽdio adeò illic valde
exaltetur. Huiuſmodi nanq; exaltatio-
nem viro iuſto in Pſalmo decimoſexto
Propheta promittit: dicens, Expecta
Dñm, & cuſtodi viã eius, & exaltabit
te, vt hereditate capias terram. Nonò. 9
Bonorũ operũ ſtudiũ ea facientem non
modò in alia, ſed etiã in hac vita conſpi-
cuũ reddit atq; venerabilem, viriſq; pro
bis & improbis commonſtrat: ſic vt
ab aliis diligatur, & honoretur, ab aliis
timeatur & ſuſpiciatur: Dicẽte Dño,
Quicunq; honorauerit me, glorifica-
bo eũ: & qui me cõtemnũt, erũt ignobi-
les. Glorioſa vtiq; authoritate pollet q
virtutibus abũdat, vt alii dictis eius aſ
ſentiãtur, decretis cõſentiant, iuſſiſq; ob
temperent. Decimò: Quia ſicut ſcriptũ 10
eſt: Gaudiũ eſt iuſto facere iuſtitiã: qui
enim iuſta opera hac in vita exercet, ea
operãdo tot[9] hilareſcit, tã ſpũ lętatur,
quã corpore exultat: & gaudiũ ſuũ in
omes ſenſus tã interiores, quã exteriores
effũdit. Nã teſtimoniũ ſedulo verę pie
tatis cultu quẽ Deo adhibet, ei phibente
conſcientia

conſcientia, mens eius de præmio futuro certior facta, ſpe gaudet: Dicẽte Salomone: Secura mẽs, quaſi iuge cõuiuiũ.
11 *Vndecimò: Quia multò ampliùs ſatiſfactoria ſunt apud deũ opera bona facta à viuẽte, q̃ ſi eadẽ fiãt pro eodẽ mortuo. Quia viuẽs eſt ſui iuris ad faciẽdũ ea: & ſatiſfacit per ea omnino voluntariè. Quãdo verò eſt in purgatorio, iam eſt iuris alieni: & velit nolit patitur: propter quod plenior fit ſatiſfactio, & magis diminuitur debita pœna per vnum diem ieiunii impoſitum in foro Chriſti, id eſt in ſacramento pœnitẽtiæ. Habet enĩ tale ieiuniũ efficaciã ſatiſfactoriã, non ſolũ ex natura ſua & voluntate ieiunantis: ſed etiam ex vi ſacramẽti. Cuius pars eſt ſatiſfactio, vt docet ſanct9 Thomas tertiæ partis quæſtionis nonageſimæ articulo quarto, in ſolutione ad ſecũdũ. Plenior itaq; fit pœnarũ debitarum diminutio per vnum diem ieiunii à ſacerdote pœnitenti impoſitum, quã per alium diem ieiunii, quo ſponte ſua pœnitens ieiunat. Quia hoc tantùm habet ſatiſfaciendi vim in foro puri hominis ex eius deuotion e, & natura ipſius afflictionis: illud autem in pientiſſimo Chriſti foro. Sic tandem pœna in purgatorio, id eſt in foro dei vnius pœnæ præſentis vitæ cõparata, minus tollit de acerbitate ſupplicii: quia ibi purgatio fit ſecũdũ iuſtitiæ rigorẽ ad æqualitatem dicti cruciatum exigentis, vt docet Hẽricus Gandauenſis quæſtione decimaquarta quindecimi quotlibeti, vt proximo capite declarabimus. Ex quo liquet, multò magis viuenti prodeſſe vnã miſſam procuratã dici pro ſe, quàm fortè plures mortuo. Itidemq; de aliis ſuffragiis ſentire licet.* 12 *Duodecimò demum:*
Illud denique maximè expetẽdum quod mortalibus hac ratione contingit. Continuatis enim vſq; ad extremum halitũ talibus virtutum ſtudiis, & ſatiſfactoriis operibus à viuis, & frequentatis ſacramentorum vſibus fidelis anima cùm primùm à corpore fuerit egreſſa, tuta in cœlum euolat, ſtatimq; deo fruitur: vt ei non minùs quã latroni in cruce pẽdenti dictum ſit, Hodie mecum eris in Paradiſo. Vidiſti quos digeſſimus duodecim glorioſos bonorum operum fructus, quos proculdubio facit arbor bona: nec non quanta præmia maturiùs ſibi reddenda promeretur quiſquis dum hanc vitam viuit, rectè factis ſibi conſulit, non modò vt æternum illum, ſed temporarium etiã ignem euadat. Ex quibus profectò fructibus vnũ duntaxat aſſequitur is, qui per neglıgẽtiam ſuam, & ob ignauiam opera bona pleneq; deo pro debitis ſuis ſatiſfactoria in futurum differt, quantumuis fidelibus amicis diligenterq; mandata expleturis ſuffragia de ſua ſubſtãtia facienda relinquat. Quẽ vnũ? proculdubio relaxationem interim pœnarum, & tandem plenam earum dimiſſionem: ſi tamen paria debitis ſint ſuffragia pro illo facienda. Quare liquet quanta ſit eorum imprudentia, qui cùm ipſi ſibi in ſua vita proſpicere poſſunt, quomodò cùm primùm defuncti fuerint, dèo fruantur, velint priùs purgatoris ignis vim pati, & ibi terribiliter excruciari, præmonente Apoſtolo: Horrendũ eſſe incidere in manus dei viuẽtis.

Quod non modò de æterno, ſed etiam Purgatorio igne accipi debet. Auertat Deus à nobis talem vecordiã. Audiamusq́; Eccleſiaſten bis nos ad virtutum opera exhortantem: Quodcũq; poteſt facere manus tua, inſtãter operare. Quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erit apud inferos, quô tu properas. Sit tibi demũ exẽplo Caſſius epiſcopus Narrienſis: qui, teſte diuo Gregorio, quotidiano ſacrificio, aſſiduis precibus, & largis eleemoſynis à deo promeruit, vt cũ primũ hac vita defunctus fuit, ad cœlum euolaret. Hos demum duodecim, ex quodam ignoto authore decerpſimus, quos locupletatos ſacrarum literarum teſtimoniis adornauimus.

Quæſtionis Appẽdix: *De procuratione officii defunctorum ante mortem.*

VIr quidam tam pius quã doctus exegit à nobis ſcripto declarare, Vtrũ bene faciãt qui pro ſe ad huc viuentibus officium defunctorum fieri procurant. Et forſitan alicui videbitur, eos benefacere: tũ ob perfidiã quorũdam teſtamẽtariorũ, qui aut nunquã, aut valde tardè ſuffragia à defunctis pro ſe facienda inſtituta exequantur. Tum quia melius eſt, benefacta, quibus à pœnis Purgatorii defunctus liberatur, mortem eius præcedere, quàm ſubſequi: ſicut melius eſt in carcerem non mitti, quàm inde liberari. Sed contrarium nobis videtur. Primum eſt: Quia illud eſt contrarium eccleſiæ catholicæ inſtitutioni, quæ diſtincta officia, atque ſuffragia pro viuis & defunctis fieri inſtituit. Secundò. Quia orationes, quę in exequiis defunctorum dicuntur, pro defunctis & non pro viuis verificantur. Quòd ſi dixeris, eas precationes verificari pro tẽpore futuro, hoc nihil valet: cùm ipſæ proferantur in tempore præterito, nec ſint oracula Prophetica, quibus ſub forma præteriti ſolent futura prædici. Tertiò: Quia nihil fictitium debet eſſe, nec in ſacramentis Chriſti, nec in ſacramentalibus eccleſiæ exercendis: ſed omnia debent conſtare aperta planaq́; veritate. Proferre autem quempiam viuentem ſe mortuum, & tanquã pro eo mortuo cãpanas pulſari, proculdubio fictitium eſt. Quarto. Quia non licet præſumere iudiciũ dei, neq; præuenire iuſtitiã eius ei, q neſcit an ſuffragia quę pro ſe viuẽs facit, ſint ſatis, vt à totis pœnis purgatoriis ipſum eximant. Quintò. Quia ſi peractis ſuffragiis, quæ ille facit pro ſe adhuc viuens, poſteà viuat decẽ aut plures annos, aut iterũ in vita ſua replicãda erunt ab eo eadẽ defunctorũ ſuffragia, aut poſt eius obitum erũt ei adhibẽda. Sextò. Quia illud inducit errorem putantiũ miſſam, quæ intitulatur Pro peccatis pœniſq; remittẽdis peccatorũ, minùs liberare eius procuratorẽ viuentem à pœnis purgatoriis, quã eã quę inſcribitur Pro defunctis. Cũ è cõtrario opera facta à viuẽtibꝰ, cæteris paribus vtiliora ſint eis, quã ſi eadẽ taliter fiãt pro eis iã defunctis qualiter ipſi in ſuo teſtamento

teſtamento facienda decreuerunt. Quare viuentes vtamur ſacrificiis, cęteriſq; remediis pro viuentibus à culpa & à pœna liberandis conſtitutis: & morientes ſuffragia pro nobis exhibenda procuremus, quæ defunctis à pœnis purgatoriis eripiẽdis à ſancta & catholica eccleſia ſint accõmodata. Hęc enim ita diſponi geriq; eſt cõgruẽtiſſimum, atq; tutiſſimum, nec non ſanctis eccleſiæ ritibus, & piis maiorũ moribus maximè conſentaneum. Sic demũ neq; omnia teſtamentariis exequenda relinquentur, neq; omnibus diffidendum eſt. Nã eſt & reperire amicos fideles, q vltimã teſtatoris voluntatem fideliter atq; diligenter exequãtur. Semper itaq; ſacrificia, & precationes, & ieiunia, & eleemoſynę, cæteraq; bona opera ſunt à nobis hãc vitã viuentibus diligentiſſimè multiplicãda: vt nos præcedãt, vt iudicem præparent, & placatum præbeant atq; benignum. Adeò vt cùm primùm animę noſtrę corporibus exutæ fuerint, nõ modò infernum, ſed & purgatorium ignẽ effugientes in cœlum euolent.

De exequiis pro defunctis celebrandis.

DEfunctos dicimus eos qui mortui ſunt: eò q huius vitæ munus peregerunt, quos etiam functos vita dicimus: quaſi illud dicamus eos vixiſſe, neq; amplius viuere, ſint licèt victuri. Vt in Actis Apoſtolicis: Et deſcendit Iacob in Aegyptũ, & defunctus eſt ipſe & patres noſtri. Defunguntur autem hac vita mali, defungũtur & boni: ſorte tamen inæquali. De malis enim ita tradit Sapiens: Filii autem adulterorũ in cõſummatione erunt, & ab iniquo toro ſemen exterminabitur: & ſiquidem logæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & ſine honore erit nouiſſima ſenectus illorum: & ſi celeriùs defuncti fuerint, non habebunt ſpem, nec in die agnitionis alloquutionem. Hi enim cùm ſint in perpetuum cruciatibus perpetuis deputati, nullam habent minuendarum pœnarum ſpem: neq; in extremi iudicii die agnoſcet eos Chriſtus iudex viuorum & mortuorum, vt eos inde liberet. Quia lignum vbi ceciderit, illic erit. Fungũtur & hac vita aliqui boni adeò virtutibꝰ perfecti, vt quũ primùm animã egerint, in ſedes beatas euolent. Sicut latro ille, qui tãtum in cruce meruit, vt à Dño audiret, Hodie mecum eris in Paradiſo. Alii demum tales moriuntur, vt quãuis Deo chari hinc diſceſſerint, ſunt tamen à nonullis venialiũ peccatorum labeculis abluendi, & purgatoriis quibuſdã pœnis à quibuſdã tẽporalibꝰ debitis abſoluendi priuſquã ad beatificum regis glorię aſpectum admittãtur. Hos etenim ieiuniis, eleemoſynis, ſacrificiis, ac precibus ad Deũ fuſis iuuare pium eſt & ſalutare. Pium quidem, qa ad veram religionẽ futurę beatitudinis expectatio pertinet. Salutare autem, quia huiuſmodi ſuffragia purgãdis celeriorẽ ꝑpetuę ſalutis acquiſitionẽ efficiũt. Docuit nos hoc Iudas Macchabęꝰ, q collatione facta duodecim milia drachmarũ argẽti miſit Hieroſoly- 2.Macch. 12.

mam offerri eas ibi pro peccatis, mortuorum, cùm iuſtè & religioſè de reſurrectione cogitaſſet. Niſi enim eos qui ceciderant reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis: ſed quia conſiderabat, quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. Adhibenda ſunt igitur nō modò priuata, ſed publica quoq; defunctis ſuffragia. Quare taceant hæretici tam veteres q̃ noui, qui ſolēnes aſpernantur ceremonias in eccleſia catholica fieri conſuetas in eos qui in Chriſto piè moriuntur. Nos verò docti ab apoſtolis, & à viris apoſtolicis, ſanctiſq; doctorib⁹, in ꝓbatiſſima ſanctę eccleſię conſuetudine perſtemus. Fiāt veſtes lugubres quib⁹ pius naturę affectus lugētiūq; mœror indicatur. Tegatur & pullatis pannis monumentū in memoriā tum primi, tū ſecūdi Adę. Prioris qui dē humani generis perditoris: Poſterioris autē eiuſdē reparatoris. Et vt eiuſmodi lugubres veſtes amplius defunctis proſint, cōficiātur ex illis aliqua eccleſiæ ornamenta, vel pauperū indumēta. Quid ardentia funalia? Nūquid fruſtrà cera conſumitur? Abſit. Siquidem ſignificant illam veram lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ſignificant & illam claritatem, nō modò qua beati ſpiritus fulgent, ſed etiam illam gloriam, qua poſt vniuerſalem reſurrectionem iuſtorum corpora ſplendebunt. Quid incenſum? Nonne & ſuauem veræ pietatis odorē, qua Deū colimus: & deuotionis affectū, quo in eūdē tēdimus, adūbrat? Hæc enim omnia quāquam per ſe ſint ſpiritus ſancti vacua, tamen ob operantium fidē magnum apud dominum præmiū obtinent. Probè igitur Damaſcenus in ſermone de dormientibus inducit verba Athanaſii ſic dicentis: Licèt in arca qui in pietate conſummatus eſt depoſitus fuerit, nè renue oleum & ceras dominum inuocans in ſepulchro accendere. Accepta enim iſta ſunt deo, & multam ab eo recipientis retributionem. Oleum enim & cera holocauſtum ſunt. Ad hęc tintinnabulorum ſonitus non dubium quin repręſentet illam Archangeli, nempe Chriſti vocem: & horriſonam tubam, qua ad iudicium in ſepulchris dormientes excitabuntur. Nam vt ait diuus Paulus: Canet enim tuba, & mortui reſurgent. Nonne campanarum ſono percepto fidelium mentes excitantur ad fundendum preces ad dominum pro fideli hac vita defuncto? Quis enim eſt in Chriſto credentium, qui audito tintinnabulo ſignificante quemuis fidelem eſſe mortuum, non ſtatim pro eo liberando Deum oret? & dicat, Deus ſit tibi propitius: Dominus animā tuā ſuſcipiat. Quid tandem vel decentius, vel auguſtius, vel fauorabilius, quàm quod lugubrem pompam præcedat Dominica crux? Triumphale quippe ſignum quod apparebit in Cœlo cùm Dominus ad iudicandum venerit. Hæc denique cuncta omnium fidelium conſenſu, more, decreto bono & æquo, ſancta ſunt officia, & manifeſta

niſeſta rerũ ſacrarum argumenta, & ꝑ fidelis cuiuſq; ſtatu vel augẽdo ſi facultates adſint, nè defunctus aut vilis, aut contemptus habeatur ſuis: vel minuenda nè ille prodigus ventoſusq́; fuiſſe videatur. Deniq; omnia cum modeſtia fiant, & ſeruata illa mediocritate ac grauitate Chriſtiana, quæ eſt inter multum & parum: ita vt liberalitas & magnificentia Chriſtiana haud humana ambitione, ſed ſpirituali ſubmiſſione & deuotione ſplendeant. Poſtremò conſtat illud eſſe ſumma pietate plenum, tintinnabulorũ ſono ad peragendas exequias in vnum Chriſto credentes conuocari, vt pari cõſenſu tum peccatorum remiſſionem, tum ſanctorum communionem, tum carnis reſurrectionem, & vitam æternam profiteantur: & iuxta hanc acceptiſſimam Chriſto profeſſionem Deo preces fundant, vt fideli qui cum pietate fidei dormitionem accepit, à Deo remittãtur peccata, participet ſanctorum meritis, fiat conſors glorioſę reſurrectionis, & vita fruatur ęterna. O quàm multipliciter eiuſmodi fidelium conuentus defuncto confert! nanq; multiplicatis interceſſoribus multò exaudabiliores fiunt preces, quę pro eo ad deum mittuntur: & quia inter plures cõprecatores ſemper ſunt aliqui deo grati: quorum interuentu oratio non modò ſua ipſorum, ſed etiã aliorũ Domino ſit accepta. Nonne ſpõſa Chriſti Eccleſia, ei ſemper chariſſima, cuius nomine hęc vniuerſa gerũtur non vno ciue cõſtat, ſed pluribus & potiùs multis quàm paucis: vt quo populoſior fuerit ſiue orando, ſiue poſtulando, ſiue obſecrando, ſiue gratias agendo, eo ſit illi acceptior, & ad impetrandum petita efficacior? Nonne hac de re certiores nos facit Dominus apud Matthæum Apoſtolis loquens: Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quam petierint, fiet à patre meo, qui eſt in cœlis. Quid, quòd efficacia ſacrificii publicitùs celebrati multò eſt amplior, quàm cùm priuatim agitur? Nam licèt valor Miſſę ratione ſacratiſſimæ & diuiniſſimæ hoſtię in ea contentæ ſit infinitus: haud ſanè infinitè fructus eius fidelibus, ſed finitè communicatur: & iuxta catholici cœtus deuotionem aut plus aut minùs prodeſt. Creſcit enim plurimùm Miſſę fructus ille ſatiſfactorius & impetratorius ex oerffentium, & procurantium, & aſſiſtentium deuotione: vt quo plures illi fuerint, eo ſit fructuoſior. Ex quo ſequi videtur, vt, cæteris partibus, multò ſit certior & amplior fructus fidelibus accedens ex vna Miſſa ſolenni, ad quã totius populi deuotione cõcurritur, quã ex multis alioqui priuatis. Magna vis, ait Chryſoſtomus, eſt orationis in eccleſia concorditer à populo oblatæ. Nam cùm inter homines populo ſontes viros cùm ad mortem trahuntur petente, rex multitudine motus ſententiam deponat: multò magis rex cœleſtis à nobis placatus petitionem præbebit. Non audiſtis quod ita Petrus de carcere ereptus eſt, quoniam erat oratio prolixa, quæ ab eccleſia pro eo ad Deum fiebat? Quanto maius eſſe noſtra creditis exiguitate ad deũ ꝓtãto accedere populo, & ſupplicare? Nã ſi ꝓ meipſo p̄cari fiduciã non habeo, multò minꝰ ꝓ aliis. bene

placentium enim ſibiipſis hoc eſt. Cùm igitur offenderim & ipſe qualiter pro alio deprecabor? Nanq; vnus quidem pro multis oret, eſt magnæ res fiduciæ, multę libertatis indigens: multos autem vnà congregatos pro vno ſupplicationem facere nihil graue videtur. Et domi quidem orari poteſt: ſicut autem in eccleſia non poteſt, vbi tãta patrum multitudo, vbi clamor ad Deũ vnanimiter emittitur. Non ita Dominum ſolus orans audiêris, vt cum fratribus. Hic enim aliqd mai⁹ eſt, puta vnaminitas, & conſonantia, charitatisq; vinculum, & ſacerdotum orationes. Propterea nanq; ſacerdotes prępoſiti ſunt, vt multitudinis orationes cùm ſint infirmiores, hiſce potentiores adiungentes pariter cum illis ad cœlum aſcendant. Deniq; non eſt nouum exequiarum inuentum, ſed ab Apoſtolis inſtitutum. Nam eodem Chryſoſtomo referente, non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremẽdis myſteriis defunctorum agatur cõmemoratio. Sciunt enim illis multum inde contingere lucrum, vtilitatem multam. Cùm enim totus conſtiterit populus extenſis crinibus, ſacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur ſacrificium, quomodò deum non exorabimus pro eo deprecantes? Sed hoc quidem de his, qui cum fide migrauerunt. Catechumeni verò non digni hac cõſolatione cenſētur: ſed omni ſũt tali ſuffragio priuati, præter vnum ſolum. Quod autem illud? Dare licet pro eis pauperib⁹, & ex hoc eis aliquid præſtare refrigerationis. Vult nanq; Deus alterum alteri ꝓdeſſe. Quamobrem optimum eſſe cenſeo perſtare in Apoſtolica traditione. Quin eccleſiaſtica conſuetudine in exhibendis defunctis ſolẽniter exequiis, ita tamen vt minimè relinquantur alia quædam auxilia, qualia ſunt priuata horrendi myſterii ſacrificia: deinde eleemoſynę: tertiò, quotidianæ precationes: deniq; ieiunia. His enim quatuor ſuffragiorum generibus iuuandæ ſunt in Chriſto dormientium animæ. Nam oblationes quę in eccleſia fiunt, ad ſacrificia pertinent & eleemoſynas, medium inter vtrunq; locum tenentes: & quia offerre in eccleſia ea quibus opùs eſt, vel ad ipſius domus dei cõſtructionem & apparatum, vel adminiſtrorũ ſubſidium, virtutis eſt latrię: largiri autem eleemoſynam pauperibus opus eſt liberalis miſericordię: erroneũ eſt hoc illi ſimpliciter pręferre. Eſto quòd vrgente neceſſitate eleemoſyna aliquando oblationi ſit anteponenda. Poſtremò ex ſupradictis liquidò colligitur, eos non ſatis prudenter agere, qui ab eiuſmodi ſolẽnitatibus celebrandis indoctum vulgus auertunt, reuocando ſumptus in eis expendendos ad ſolas miſſas priuatas: neq; aduertunt illi, quòd licèt nõ affectu, effectu tũ hæreticorũ quorũdam erroribus fauent: qui ſolennes exequias, omnemq; catholicę fidei ſplendorem ab ea excludere impiè, atq; perperã moliuntur. Is demum ritus in agẽdis exequiis tenendus eſt quicunq; patriæ peculiaris eſt, modò à pietate nõ abhorreat: vt in Decretis habes, cauſæ tredecimę queſtione ſecunda.

De exequialiũ dierum numero.

Exe-

EXequiæ ſunt funebre officiũ, quod ſcilicet in funere exequimur: ab eo dictæ quòd homines pompam pòſt ſequantur. Celebrauit autem pientiſſimè Ioſeph exequias patri ſua valde celebres, vt conſtat ex vltimo Geneſeos capite: vbi ſic ſcriptum reperimus: Celebrantes autem exequias, planctu magno atq; vehementi impleuerunt ſeptem dies. Et vt de illo planctu magno alibi diſſeram, hic notandum eſt quòd ſuper his ſeptem diebus exequiarum ſic Auguſtinus deſcripſit: Neſcio vtrùm inueniatur alicui ſanctorum in ſcripturis celebratum eſſe luctum nouem dies: Quod apud Latinos nouendiale appellatur. Vnde mihi videntur ab hac conſuetudine prohibẽdi, ſi qui Chriſtianorum iſtũ in mortuis ſuis numerũ ſeruãt, q magis eſt ĩ gẽtiliũ cõſuetudine. Septimus verò dies authoritatẽ in ſcripturis habet. Vnde in alio loco ſcriptum eſt: Luctus mortui ſeptẽ dierum: fatui autẽ omnes dies eius vitæ. Septenarius autem numerus ꝓpter ſabbathi ſacramẽtũ præcipuè qetis indiciũ eſt. Vnde meritò mortuis tãquã requieſcẽtibꝰ exhibeĩ. Hęc ille. Quòd autẽ chriſtianis ꝓhibet nouẽ diebꝰ mortuorũ exequias celebrare, hoc ideo ꝑcipit, qđ eiꝰ tẽpore fortè periculũ erat, nè nr̃i gẽtiliũ ſuperſtitionẽ imitari viderẽtur. Sed iã ſublato de medio eiuſmodi offendiculo, maiores nr̃i, hoc quoq; ſicut quędam alia in melius ꝑmutauère: ſcilicet vt nouẽ cõtinuis diebus iuſta pro mortuis agerẽtur vt eorũ animę ꝑ iuges ꝑcatiões, obſecratiões, & oblatiões, & ſacrificia, à purgatoriis pœnis liberatę, ad nouẽ ſãctorũ beatorũq; angelorũ choros tãdẽ admittãtur. Sed & quoniã hac tempeſtate non ſolùm hæretici certos quoſdã dies exeqis deputatos reꝑhendũt, & auaritia ſacerdotũ inductos eſſe calumniãtur, ſed etiã nõnulli, qui ab hęretica prauitate procul abſũt, nõ ſatis eos colũt: & ab eis celebrãdis cõtra veterẽ cõſuetudinem neſcio quo colore diſcedunt. Animaduertãt obſecro quã ãtiqua fuerit illorũ obſeruatio. Siquidẽ vetuſtiſſimꝰ autor Tertullianꝰ, vt apoſtolicis tẽporibꝰ ꝓximꝰ, in libr. de Corona militis inquit: Oblatiões pro defunctis, ꝓ natalitiis, ãnua die facimꝰ. Et in libro de monogamia, mulierẽ quæ ad ſecundas nuptias nõ ꝑuenerat cõmẽdãs ait: Pro anima eiꝰ, ſcilicet prioris mariti, orat: & refrigeriũ interĩ poſtulat ei & in prima reſurrectiõe cõſortiũ: & offert ãnuis diebꝰ dormitiõis eiꝰ: nã hęc ni ſi fecerit, maritũ verè repudiauit, quãtũ in ipſa eſt. Prętereà Ambr. in oratiõe de obitu Theodoſ. Imperatoris: Nũc in qt quadrageſimũ celebramꝰ, aſſiſtẽte ſacris altaribꝰ Honorio Principe. Quia ſicut ſãctꝰ Ioſeph patri ſuo Iacob quadragĩta diebꝰ humanitatis officia detulit: ita & hic theodoſio pr̃i nr̃o iuſta pſoluit. alii tertiũ diẽ & .30. alii ſeptimũ & quadrageſimũ obſeruare cõſueuerũt. de his loqtur etiã Cõciliũ Nametẽſe, vt habetur de cõſecra. di. 5. c. Nullus pſbyterorũ qñ ad anniuerſariũ diẽ trigeſimũ vel ſeptimũ, vel tertiũ alicuꝰ defũcti, aut quacũq; vocatiõe ad collectã pſbyteri cõuenerĩt, ſe ĩebriare nullatenꝰ pſumãt: nec ꝑcari ĩ amore ſctõrũ, vel alicuꝰ aię bibere: vel alios ad bibendũ cogere: vel ſe

ſe aliena p̄catione ingurgitare: nec planctus, vel plauſus, vel riſus incōditos, vel fabulationes inanes ibi referre, aut cātare p̄ſumant, vel turpia ioca, vel vrſo, vel tornatricib⁹ ante ſe fieri patiātur: nec laruas dęmonū ante ſe fieri conſentiāt, quia hoc diabolicū eſt, & à ſacris canonibus prohibitum.

Vtrùm animæ in purgatorio loco detentæ nouerint ſe quorundam fidelium ſuffragiis iuuari.

SOlet quęri, Vtrùm animę corporibus exutę quæ in purgatorio loco puniuntur, nouerint ſe viuētium quorundā ſuffragiis adiuuari. Et fortè quiſpiam id neget: quoniam illic detenti nequeunt percipere quæ hic agūtur. Neq; eſt conſeruatio inter vtroſq;, viuētes videlicet ac mortuos. De hac enim vita defuncto Iob pronuntiat: ſiue nobiles fuerint filii eius, ſiue ignobiles, non intelliget. Sed è contrario ſtat ſcriptura, quę teſtatur, quòd ſancta eſt & ſalubris cogitatio, ꝓ defūctis exorare vt à peccatis ſoluātur: id eſt à peccatorum pœnis. Quod cùm ſit, vel in totum, vel ex parte, interdū enim cruciatus eorū paulatim dimittuntur, id ipſi percipiunt, & ſuffragiorum virtutem agnoſcunt. Prętereà cùm charitatis communio requirat exhibēda piáque officia in defunctos, ſi debito tēpore non exhibeantur, qui purgantur, affliguntur: quia à ſuis contemptui habentur. Si autem reddantur eis, & neſciant quòd eis adhibeantur, etiam inde dolent, putantes quòd in tormentis poſiti à ſuis negligātur: ac perinde accedit eis peculiaris quędam pœna ex humana negligētia vltra menſuram cruciatus diuinitùs eis definitam. Porrò ſi diuitis epulonis ardenti linguę fuiſſet aqua frigida infuſa, percepiſſet refrigeriū, & eius authorem: q̄nāto magis id percipiet dei amicus in purgatorio manens? Pro huius autem quęſtionis deciſione quædam notanda ſunt. Primum eſt: animas exiſtētes in loco purgatorio certò ſcire ſemet eo in loco detineri: quia ſciunt, ſe non eſſe in requie beata. Torquentur enim. Sciunt & nō eſſe detruſas in damnatorum tartara: Noſcunt enim ſe habere Dei gratiam, fidem, ſpem, & charitatem. Quoniam animæ corporibus exutæ & propriam eſſentiam, & quicquid eis ineſt, clarè intuentur. Non enim earum cognitio corporea mole p̄peditur. Quare cognoſcunt habitum gratię, quo ſunt deo gratę, & ad vitam ęternam capeſſendā acceptæ. Vident & in ſe charitatem, id eſt ſummam Dei dilectionem, per quam ſunt prorſus alienæ ab omni peccato, tā veniali quàm mortifero. Certæ q; ſunt neutro modo ſeipſos ibidem manentes peccare poſſe. Sunt enim iam extra peccantium viam: ac perinde conſtat eis, nequāquam eſſe perpetuò damnatos, ſed ad tempus purificari. Ad hæc pollent ſpe, quam hinc exeuntes habebant, dicentes, In pace in id ipſum dormiam, & requieſcam: quoniam tu Domine in ſpe ſingulariter conſtituiſti me. Ergo incunctanter expetunt, & expectant ipſam beatitudi

nem

*nem ſibi dandam dilutis peccatorum la
beculis inde egreſſis. Præterea fide nó-
runt tantùm tria eſſe animarum hinc ab
euntium receptacula. Videlicet ſeruan
dorum, damnãdorum, & purgãdorum.
Cùm autem manifeſtè cognoſcant ſe nõ
eſſe in loco beatorum, neq; damnatorum,
apertè nórunt eſſe ſe in loco purgandis
deſtinato. Quòd ſi quis dicat, animas quę
illic purgantur profunda tormentorum
abyſſo atq; grauiſſima adeò abſorberi, vt
neſciant vbi ſint: falſum id quidem eſt.
Quoniam & fidei, & ſpei, & charita-
tis actionibus liberè vtuntur. Quin po-
tiùs agnoſcunt dei iuſtitiam, eamq́; ap-
probant: pœnáſq́; ſibi illatas patienter
tolerant, quas & ſemet euaſuras certiſ-
ſimè ſciunt. Omnia denią; in eis pulchro
ſunt ordine diſpoſita. Apud eos enim
ſolùm qui horrẽdis illis tenebris, & per
petuis ignibus addicti ſunt, nullus ordo
ſed ſempiternus horror inhabitat. Am
pliùs: ſi perpetuò inferãorum carceri da
mnati, non obſtante immenſa illa dolorũ
grauitate nouerunt, ſicut ille diues pur-
puratus, ſeipſos eſſe in loco perpetuæ
damnationis, iuxta illam ſententiam iu-
dicis: Ite maledicti in ignem æternum:
multò minùs ignis purgatorius eum pa-
tientes impedit noſſe vbi ſint: atq; inde
exacta pœna ad æthereas ſedes eſſe ſe
transferẽdos. Apponã & rationẽ quã
olĩ Salmanticę manẽs ea de re aduerſus
quẽdam erroneum in hunc formaui mo-
dum, Cùm ii qui purgatorias pœnas pa
tiuntur, fide vigeant, bene nouerunt nul
lã eſſe in inferno redemptionem. Scriptũ
eſt enim: Lignum vbicunq; ceciderit, ſiue
ad Auſtrũ, ſiue ad Aquilonem, illic e-
rit. Experiuntur autem qui illic puniun
tur adhibitis ſuffragiis cruciatus ſuos
diminui: conſequens igitur eſt, eos noſſe
haud in damnatorum, ſed in purgandorũ
loco retineri. Secũdum notãdum eſt, ꝙ
ſicut in peccato duo cõcurrunt, tũ ipſius
actionis prauæ intẽſio, tum peccantis ꝑ-
tinacia ad ꝑmanẽdum in ea: ita & aliàs
alio vehemẽtiùs peccat, & ꝑtinaciùs pec
cato adhęret. Imò & vnus idemq́; pec-
cator quædam peccata vehementiꝰ quã
alia affectat, & aliis ꝑtinaciùs quã aliis
addicitur. Ex quo liquet, ꝙ quanto pec-
cata ſunt intenſiora atq; diuturniora,
tãto ſũt puniẽda non ſolũ accerbiùs, ſed
etiã diutiùs: vt iuxta delictorũ mẽſurã
ſit plagarũ & modus: hĩc quidẽ vel accr
bior vel mitior, illic autem aut lõgior
aut breuior. Ex quo elucet, ꝙ quemadmo
dũ in viuentibus ꝓ ſatiſfactiõis ſiue qua
litate ſiue quãtitate tam diminuitur cru
ciatus acerbitas, quã abbreuiatur carce
ris manſio: ſic & in defunctis eorum qui
purgãtur ſecundùm ſuffragiorum vel
qualitatẽ vel quãtitatem, cruciatus par
tim eleuantur, partim decurtantur. Hic
videtur per ſe cõtingere, vt illic aliquis
puniatur acerbiùs ꝓ criminis grauitate
& citiùs inde eripiatur, quia minùs ei ad
hęſit: & ꝙ alius puniatur ꝓ minori cri-
mine remiſſiùs, & tardiùs inde educatur
ꝗa pertinaciùs ei addictꝰ fuit. nõ igitur
in his qui illo igne purgantur, idem tor
mentorũ tenor ſemꝑ tenetur, non eadem
acerbitas continenter ſeruatur. Sed quo
maiora, pluráue ſuffragia pro eis fiunt,
eo magis quandiu ibi ſunt, eorũ crucia-
tus remittitur ac mitigatur, donec ſolue
rint vſq; ad vltimũ quadrãtẽ. Tertium*

notan

notandum eſt, quòd animæ, quæ illic purgantur, habent ſecum ſuos angelos, quos hic ſui cuſtodes ſortitę fuêre. Non enim angelus fidiſſimus animę ſibi creditæ ſocius eam deſerit, quam Deo charam ex hoc mundo deceſſiſſe nouit: neq; victricē relinquit, quam certantem adiuuit: ſed afflictam dictis ſolatur amicis. Sicut ſi quis regis filio carcere clauſo ſolatium præbeat, donec inde liberetur. His ita digeſtis tandem ponitur hæc Propoſitio facilè probabilis: Animę, quę in Purgatorio detinentur bene nórunt quæ ſuffragia pro eis fiant, & à quibus viuentium eis accommodentur. idq; quatuor modis probatur. Primò ſic: Tales animæ ſentiunt ſuas ipſarum pœnas diminui amplius quàm exigat patiendi mora: & nō propter ſua ipſarū opera, quę ibi faciūt. Ibi enim non merētur cùm ſint extra corpora, dicente Paulo: Omnes nos ſtare oportet ad tribunal Chriſti, vt vnuſquiſq; recipiat prout in corpore geſſit, ſiue bonum ſiue malum. Earum igitur tormenta eis diminuuntur propter aliorum opera, quæ eis applicantur. eſto quòd defuncti viuentes meruerint, vt ea ſibi poſt mortem prodeſſent. Quòd ſi fortè dicas, eis diminui cruciatus duntaxat propter æquaminem tormentorum tolerantiam, id vtiq; nō eſt ſatis. Quoniam qualis paſſionis grauitas eſt eis definita ab initio torturæ, talis pro toto ſuę purgationis tempore durat: nec eſt dare rationē propter quam in illo ſpatio nunc magis, nūc minùs crucientur, præter eam quę à ſuffragiis inducta eſt. Alioqui ei qui grauiùs peccauit ſi cruciatus diminueretur ex ſola temporis ſucceſſione, die puta decimo leuiùs torqueretur, quàm ille qui multò minùs peccauit in prima hora, qua torqueri cœpit: quod nullatenùs eſt veri ſimile. Quare qui experitur plus cruciatus fuiſſe ſibi detractum hora decima, quàm totis nouem horis præcedentibus, manifeſtè cognoſcit id ſibi cōtigiſſe propter aliquod opimum ſuffragium ſibi à viuentibus accommodatū. Diuus quoq; Gregorius tradit, quorundam defunctorum animas expetiuiſſe à quibuſdam amicis ſuis quędam ſuffragia pro eis fieri, eaq; obtinuiſſe: ac ſubinde eis exhibitis pœnas illas pœnitus euaſiſſe, ſuiſq; benefactoribus gratias egiſſe, proculdubio nouerunt illi ſuffragia pro eis facta, & à quibus facta fuerint. Secundò id probatur ab angelo cuſtode animæ deputato, qui etiam eam in purgatorio comitatur: eamq; ſalua Dei iuſtitia, quantum poteſt conſolatur. Maxima autem conſolatio defuncto accedit, ſi de ſuffragiis ſibi exhibitis nouerit gratos ei fuiſſe ſuos hæredes. Manifeſtantur igitur ab angelis cuſtodibus defunctis non ſolùm ſuffragia, quę pro eis fiunt, ſed etiam per quos facta fuerunt: puta quòd teſtamentarius ad plenum pia legata exequutus eſt: quòd hęres nō paucis eleemoſynis pauperibus diſtributis ei ſuffragatus ſit: qđ alius, ſiue cognatus ſiue amic9 ꝓ eo aut ieiunauit, aut preces ad Deum fuderit: atq; id genus cętera. Tertiò. Idem noſſe poſſunt animarū relatu, quę hoc de ſęculo ad eundē locū deſcendunt. Etenim ſeſe inuicem ibi cognoſcere valent, & ſpiritualia verba vltrò citroq; audire ac reddere poſſunt: & quæ pro pręcedentibus ſe ſuffragia ſint facta, aut fortè ipſi fe-

cerunt, eis liquidò enarrare. Planè vtrũq; hunc modum tradit Auguſtinus in libro de cura agenda pro mortuis, dicẽs: Fatendũ eſt neſcire quidẽ mortuos quid hic agatur, dum hic agitur. Poſteà verò audire ab eis, qui hinc ad eos moriẽdo pergunt, non quidem omnia, ſed quæ ſinuntur etiam isti meminiſſe: & quæ illos, quibus hæc indicantur, oportet audire. Poſſunt & ab angelis, qui rebus, quę hic aguntur præſtò ſunt audire aliquid mortui, quod nunc quẽq; illorum debere audire iudicat, cui cuncta ſubiecta ſunt. Multi quoque ad viuos aliquos ex mortuis venire credunt. Sicut è contrario Paulum ex viuis in Paradiſum raptum eſſe diuina ſcriptura teſtatur. Hæc Auguſtinus. Quarto idem modo euenire poteſt, reuelatione videlicet ipſius dei, qui non continet in ira ſua miſericordias ſuas. Habet enim dominus eos, qui illic purgantur charos, agnoſcit amicos, atq; quos iuſtitia punit, pietate ſolatur. Etenim ſi ei qui adhuc incerta victoria in hac miſerabili vita Dominus ſuam præſentiã pollicetur, dicẽs: ſi quis diligit me, diligetur à patre meo, & manifeſtabo ei meipſum: quanto magis idẽ præſtabit ei, qui plena de aduerſario ipſius nomine tulit victoriam: & ei quem purgatum vult, quò eum in cœleſtibus ſecum ſedere faciat. Quod autem huic ſententiæ ſuperiùs oppoſitum eſt, haud eſt ei contrarium. Quoniam etſi defuncti non cognoſcant naturali cognitione quæ hic agantur dum hic aguntur, neq; ſit vulgaris & communis conuerſatio, & colloquutio familiaris inter viuos & mortuos iuxta naturæ ordinẽ: interdũ tamen exercetur ex diuina diſpenſatione, vt viui à mortuis diſcãt, & moueãtur, & viuentes mortuis ſuffragentur: ſiquidẽ vtriq; ad eandẽ dei ciuitatem pertinẽt, quibus & apud deũ ipſum futura eſt communis & amica ac periucunda beatitudo. Quatuor deniq; prędictis modis, experimento videlicet, & angelico miniſterio, & animarũ hinc ad eos euntiũ relatu, ac dei reuelatione, qui purgantur ſcire poſſunt quæ ſuffragia, & à quibus pro eis agantur.

¶ Vtrùm liceat eccle *ſiaſtico viro certo quodam modo negotiari.*

QVis me conſtituit iudicem inter vos ô viri pientiſſimi religioſe, dicet n q; præſtãtes? Modeſtiùs enim de me ſentio, quàm vt inter eiuſmodi partes ſententiam feram: agam igitur haud iudicem, ſed ſequeſtrum. In primis autem caueat iſte conſultor ab omni auaritia: quia non eſt vita hominis in abundantia eius. Caueat inquam ſibi: quia diuitiarum cupiditas licèt apertè per ſe plerunq; non admittatur: interdum tamen non intellecta irrẽpit in humana pectora: iuxta illud Sapientis, Eſt via quæ videtur homini recta: & vltima eius ducunt ad perditionem. Præſtat ergo hanc quæſtionem, liceátne ſacerdoti negotiari, per alias atque alias ſententias decidere: vt ſic ad

eam controuerſiam, quæ nunc nos maximè vrget componendam commodiùs deſcẽdamus. Supponamus ergo illud in primis: Negotiationem eſſe cõmutationem rerum, pecuniarúmue lucroſam. hoc conſtanti ſit prima propoſitio.

FAs eſt clericos ex artificio aliàs iuſto & honeſto, nec impediente ſe à perſoluendo officio eccleſiaſtico, cui eſt adſtrictus, quo res venalis mutatur in melius, lucrũ acquirere ſibi, & domeſticis ſuis neceſſaria, eiuſmodi res viliùs emendo, & cariùs vendendo: qualia ſunt emere viliùs chartam, & tabulam nudã rudemq́; vt eãdem deſcriptam pictamq́; cariùs vẽdat. Tale eſt quoq́; pullũ equinũ, vel mulã emptã domi nutrire, & adultã pluris diſtrahere. Tale eſt etiã Agriculturam in conductis aruis exercere ad lucrum.

SEcunda propoſitio: Ex tali artificio nõ modò licet ſacerdoti cõparare ſibi & ſuis familiaribus neceſſaria ad victũ & veſtitum, ſed etiam ad ſubueniendum pauperibus & indigentibus lucrũ prætendere. Hæ duæ propoſitiones conſtãt ex capi. Clericus. diſtinctio. 91. & extrà, ne cle. vel monachi. cap. 1. Paulus quoq́; idem ſentit, cùm præſcribit laborãti legem, dicens Epheſ. 4. Qui furabatur, iã non furetur: magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonũ eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti. & de ſeipſo prima Corinthiorum. 4. laboramus operantes manibus noſtris.

TErtia propoſitio. Licet clerico non habenti beneficium eccleſiaſticũ, nec patrimonium, nec potenti laborare manibus ſuis propter infirmitatem corporis, aut languorem, negotiari permutatione pecuniarum, aut rerum venalium aliàs iuſta ad ſupplẽdam extremam, vel valde magnam neceſſitatem ſuã & ſuorum. Qualis eſt emere viliùs frumentũ, vel vinũ, & alia eiuſmodi, vt cariùs illa vẽdat vbi & quando pluris vendũtur. & in tali caſu ſi talis clericꝰ haberet aliquas pecuniolas, poſſet illas licitè credere mercatori, vt pro vtroq́; in illis negotietur in cõmune lucrum, dãnumq́;. Siquidem non relinquitur illi aliud remedium, vnde conſulat propriæ indigentiæ niſi iuſtè & modeſtè negotietur: vt vel ex tali lucro poſsit diutiùs vitam ſuſtentare, quàm ſi abſq́; vlla vtilitate paulatim eas conſumeret. Quòd ſi iubeas illũ mẽdicare, vide ne id ſit abſurdum, indecẽs, & improbabile. Nolunt enim id ſacri canones, niſi quiſpiã ex profeſſo mendicitatem ſubiret. Sic enim legis diſtinct. 93. Mendicat infœlix in plateis clericꝰ, & ſeruili opere mancipatus publicam à quolibet poſcit eleemoſynã. qui ex eo magis deſpicitur à tãtis, quòd & miſer & deſolatus iuſtè putatur ad hanc ignominiã deueniſſe. Quòd ſi dixeris, Tolerabilius talem neceſſitatẽ patiẽtẽ mendicare, quã ſic negotiari vnde hoc conſtiterit. Siquidẽ grauiter peccant clerici, qui mẽdicant, ſi victũ aliter iuſtè habere poſſunt: qua ea, quibus pauper victurus erat accipiunt. 1. q. 2. c. Clericos. fortè aduerſarius reiiciet hanc curam in epiſcopum, vt quem ad clericatum promouit alat. rectum id quidem & canonicum. Sed ſi epiſcopus ceſſet, melius eſt clerico indigenti iuſta & alioqui honeſta negotiatione alere ſe, quàm turpiter oſtiatim

*oſtiatim mendicare, & debitas aliis pau
peribus neq; laborare, neq; negotiari va
lẽtibus ſubuẽtiones ſibi cõuaſare. Attẽ
de obſecro an præter id, quod habetur
extrà, nè clerici. capi. multa. faciat quo-
q; ad rem quod Paulus. 2. Theſſal. 3. in
quit: Quoniam non inquieti fuimus in-
ter vos, nec gratis panẽ manducauimus
ab aliquo. Sed in labore & fatigatio-
ne nocte & die operãtes, nè quem veſtrũ
grauaremus, nõ quaſi nõ habuerimus po
teſtatẽ, ſed vt noſmet ipſos formã dare
mus vobis ad imitandum. Nam cũ eſſe-
mus apud vos, hęc denũtiabamus vobis:
quoniam ſi quis non vult operari, nec
manducet. Hæc Pauli cenſura eò ver-
git, vt qui nõ poteſt operari laborãdo,
operetur iuſtè & honeſtè negotiando.
Quæras quæ ſit hæc neceſſitas? Nem
pe ea, qua tenetur alere ſe & familiam
ſuam, parẽteſq; decrepitos, ſororeſq; nu
biles, & de caſtitate periclitantes. Sic
enim determinatur neceſſitas, qua decer
nitur ſacerdoti ſtipendium neceſſariæ
ſuſtentationis. Vel certè hæc neceſſitas
cenſenda eſt extrema, vel maxima vi-
ctus & veſtitus indigentia.*

*QVarta Propoſitio. Sacerdos ha-
bens patrimoniũ, vel beneficium ec-
cleſiaſticum ſibi ſufficiens, ſi habeat paſ
cua hæreditaria aut eccleſiaſtica, non ſo
lũ poteſt illa locare paſtoribus: ſed etiã
conductoribus deficientibus poteſt com
parare ſibi pecora quæ depaſcant eius
gramina, atq; illa cũ fuerint pinguia &
adulta vendere. Nã quædam neceſſitas
hic intercedit vtendi ſic ſuis paſcuis, nè
reddantur ſibi prorſus inutilia. Eàdem
ratione poteſt clericus talis locare peco
ra quædam, non dico ad lucrandũ coẽm
pta, ſed è patrimonio, vel decimis habi-
ta: nec tenetur eadem mox vt habuerit,
diuendere. Eàdem quoq; ratione poteſt
vendere ſine negotiationis nota quicqd
ei ſuperfuerit è frumẽto, vino, carnibus,
& aliis obſoniis cõparatis ad alendũ ſe
ſuamq; familiam. Eàdem quoq; ratione
ſi reponat ille magnam quandam muſti
quantitatem, ex vineis ſuis aut decimis
accedentem in doliis ſuis, & indigeat
quinquaginta vel pluribus muſti amphò
ris ad explenda & cõponenda ſua do-
lia, poteſt illa hac neceſſitate ſeruandi
ſua cõpulſus tũ emere, tum cũ alio vino
vendere: nec ideo eſt habendus clericus
negotioſus: modò hęc nõ fiant data ope
ra pro lucro improbè ex talibus emptio
nibus augendo, ac ſubinde in fraudem
negotiationis põtificio iure vetiti. quid
ſi talis clericus ſibi ſufficiẽs emat muſtũ
& recõdat in vinum, vt inde alat pau-
peres, aut ſacellum ędificet? Reſpõden-
dum videtur, ꝙ licèt muſtũ verè ſit vinũ,
tamen adhuc eſt impurum, & potui ine-
ptum, & iſuaue: ac perinde cautum eſt
ſacris inſtitutis, nè ad vſum myſterii ſan
guinis Chr̃i admittatur. Depuratur au
tem & miteſcit, & aptum bibendo red
ditur, ſi ĩ apotheca ſecretiori, cõmodiſq;
doliis cõdatur, ac ſubinde arte quadam,
& humana opera ſeruetur, defęceturq;.
Iã verò ſi ius eſt, clericũ rudẽ tabulã ru
demq; mulã, & cætera id genus viliùs
emere, eademq; artificio quodã meliora
reddita cariùs vendere, vt Chr̃i paupe
res alat: cur nõ permittetur eidẽ muſtũ
viliùs emptũ & opificio quodã humano
melius & potabile redditũ cariùs ven*

dere? vt ex tali lucro vel pauperes alat, vel diuinũ cultũ foueat? Verũ q̃a Paulus opportunè admonet prohibere nos ob omni ſpecie mala, maxima eſt in hoc caſu adhibẽda cautio, vt id ipſum fiat à clerico modicè, vel intra modũ potiùs, & neutiquã moliatur id facere in quantitate, frequentia, & licẽtia quibus laici de muſto negotiãtur. Alioqui ille bonus cleric⁹, nõ minùs cẽſeretur vinarius negotiator, quã laicus mercator. Porrò tanta iam vini copia expediẽda adeò ille diſtringeretur, vt in eũ militaret intemerata Põtificii iuris iuſſio, qua prohibentur ſacerdotes negotiis ſæcularibus vacare, nè ab ſpiritualibus vacent. Vnde Iulius Papa. 14. q. 4. Quicunq; tẽpore meſſis vel vindemiæ non neceſſitate, ſed propter cupiditatem cõparat annonam, vel vinum: verbi gratia, de duobus nummis comparat modium vnum, & ſeruat vſq; dum vendatur denariis quatuor, aut ampliùs, hoc turpe lucrum dicimus.

QVinta Propoſitio: Nullatenùs licet clerico habenti ſibi & ſuis neceſſaria negotiari, exceptis caſibus pertractatis, aut aliis eiuſmodi commutatione denariorum pro denariis, aut rerũ pro pecuniis quantumuis iuſta laicis permiſſa. Quoniam talem negotiationem omnia decreta ſanctorum vetuerunt, vt habes. 14. q. 4. c. Clerici ab indignis quæſtibus nouerint abſtinendum, & ab omni cuiuſlibet negotiationis ingenio, vel cupiditate ceſſandum. Et rurſus in Canonum ſtatutis firmandum eſt, vt quicunque in clero eſſe voluerit, emendi viliùs, & vendendi cariùs ſtudio non vtatur. Et cap. ſi quis oblitus. ſ. vt ex quolibet negotio turpis lucri quæſierit aut per diuerſas ſpecies vini, vel frugis, vel cuiuſlibet rei emendo aliqua & vendẽdo incrementa ſuſceperit, alienus habeatur à clero. Dixeris, Quid ſi quiſpiam id faciat intendens inde alere pauperes, ſacellum inſtituere, cultumq; diuinum fouere: nempe finis iſte quamlibet honeſtus & pius non magis ſuffragatur tali clerico ad negotiandum, quàm publica neceſſitas, aut pauperum inopia, ad procurandum, aut aduocandum, & iudicandum in crimine capitali, aut ad ægrotis medendum. Quæ omnia Decretis Canonicis ſunt clericis prohibita. Quare ſicut clerico non licet eſſe procuratorem, nec aduocatum, nec iudicem in cauſa ſanguinis, nec medicum: ita non licet eidem agere negotiatorem. Quòd ſi velis eludere hanc ſententiam, eò quòd non ſit negotiator qui nõ frequenter negotiatur, animaduertas oportet iure Pontificio nõ tam habitus, & cognatas eis appellationes, quàm actus ipſos vetari ſiue frequentes, ſiue raros. Omnis enim lex quæ de moribus eſt actiones præcipit & inſtituit, vetat aut permittit: nõ habitus: licèt habitus quadãtenus reſpiciat & intẽdat. Sed id rurſus, vt ex habitibus actus proficiſcantur & perficiãtur. Finis. n. habitus eſt operatio, ſalua ſint charitati iura ſua. Ex quo ſequitur minimè licere eiuſmodi clerico ſibi ſufficienti credere pecuniam mercatori, quò per illã pro ipſo negotietur: quia hic ſimpliciter negotiatur, licèt medio mercatore: imò immediatè negotiatur

cum

*cum mercatore,cui committit pecuniam
ſuam. Paciſcitur enim cum eodem de
cõmuni commodo & incõmodo. Quid
quòd non modò ſic diſtrabitur ab ſpiri-
tualibus actionibus & implicatur ſęcu
larib⁹ negotiis cũ conuenitur ad exami
nandã rationem dati, & accepti? Sed
multò quoq; magis diſtringitur,ſpiritu
ſolicitatur,vel deniq; ab euentu damni,
ac lucri,quàm ſi manibus ſuis ipſe nego-
tiaretur.Demum conſtat initiatis ad ſa
cra diuina prohiberi à corporis diſtra-
ctione,nè inde animus ab officio diuino
diſturbetur.Tandem ſi quis clericus hu
ius decreti lineam tranſilierit, implica
bitur nempe tranſgreſſionis culpa vel
leui,vel graui, vel mortali: vel perti-
nacia interdũ anathemate digna. Quæ
quanta ſit culpa in re præſenti, potiùs
eſt diſcernẽda,quã in genere modò per
tractanda. Hæc ſcripſimus non vtiq;
fiducia præſtandi quod exigebatur,ſed
voto inſeruiendi quibus inurbani for-
tè videremur niſi ciuiliter aggredere-
mur,qđ tãtopere efflagitabamur. Ad
ſummam, libenter hãc noſtram reſpon-
ſionem ſapientiorum cenſuræ ſubmitti
mus.*

Concio de tribus *theſauris.*

*ENimuerò quia cupidi
tas eſt procul dubio
charitatis venenũ: &
cũctas mortaliũ men-
tes penetrat, nè dicam
occupat: comprecandus eſt Omnipo-
tens rerum Pater,vt ſi diuitię nobis Ec
cleſiaſtis quibus nõ licet eſſe diuitibus ni
ſi in pauperũ vſus nõ adſint, earũ cupi-
ditatem à cordibus noſtris penitus au-
ferat: & ſi adſint, infirmitatem no-
ſtram ſua gratia adiuuet, vt cor non
apponamus, ſed eis iuſtè, ſobriè, ac piè
vtamur: & vt debitũ temperamentum
opibus vel acquirendis vel expendendis
adhibẽdum clariùs percipiatur,vt vehe
mentiùs diligatur,& faciliùs pleniuſq;
pręſtẽtur, lubuit nobis hanc cõcionẽ de
tribus theſauris à nobis olim elaboratã
prædictis adiũgere. Theſaurus igitur
eſt diuitiarũ copia,quæ reponitur in lõ-
gũ tẽpus ſeruãda. Quod ergo quiſque
diu ſeruãdũ recõdit,eſt theſaurus eius,
ac perinde pręcæteris ab ipſo maximi
fit,præcipuumq; ſibi bonũ eſſe cẽſet. Il-
lud enĩ cogitat,optat,amplectitur: quo
ſi potiatur,fruitur,eiq; ſeruando totus
incũbit: & ab eo pẽdet ſic,vt nihil aliud
præter theſaurum ſuum curet affectet-
q;. Hoc nempe bene nórunt cuncti
theſaurorum repoſitores,ſiue probi ſint
illi,ſiue improbi: nórunt inquam re ipſa
verum eſſe id quod veritas aſſerit, di-
cens: Vbi eſt theſaurus tuus,ibi eſt
cor tuum. Quid eſt cor tuum, niſi
mens tua? Totus enim tuus animus eſt
in eo quod in primis amas, & cogitatu
& affectu: futurus deniq; in loco the-
ſauris tuis congruo,vel inferno, vel ſu-
perno. Eſt enim reperire in ſacris ſcri-
pturis triplex theſaurorũ genus. Alius
enim eſt inſipientium theſaurus, alius
ſtultorum: alius ſapientum, atque
prudentium. Impiorum nanque the-
ſaurus eſt iniquitas in infernum car-*

cerem detrudendus. Imprudentium gaza poſſeſsio eſt terrena breuiſsimo temporis curriculo corrūpenda. At ſapiētiū ſpirituales ſunt opes cœleſti beatitudine confirmandæ. Quapropter dominus noſter Ieſus Chriſtus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, compertum habens, neminem eſſe mortalium, qui non ſatagat ſeponere ſibi theſaurum vel commodum, vel incommodum: quia nullus eſt qui nolit eſſe beatus, prouidentia quadam diuina nos monet, vt omni ſtudio curemus coaceruare nobis theſaurum, non vtique iniquum, ſed iuſtum: non temporarium, ſed perpetuum: non denique in terra, ſed in cœlo. Nolite ait, theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur: theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuū. Quare pro triplici theſaurorum genere primùm quidem dicemus, quàm inſipienter impii theſauros ſuos coaceruāt. deinde quā ſtultè imprudentes diuitias ſuas infodiant terræ. Deniq; quàm ſapiēter atq; fœliciter pii diuitias ſpirituales in cœlo recōdant. Theſaurus igitur impiorum iniquitas eſt. Omnis enim qui facit peccatum, teſte Ioanne Euangeliſta. 1. Cathol. 3. & iniquitatem facit: & peccatum eſt iniquitas. Et cur peccatū eſt iniquitas? Nempe quia tranſgreſsio eſt diuinæ legis, & cœleſtium inobedientia mandatorum. Porrò quicunque peccat, agit iniuſtè contra Deum proximumq́. Contra Deum quidem: quia minimè reddit illi debita fidei, ſpei, & charitatis, ſanctimoniæ, & pietatis, cæterarūq; virtutum obſequia. Contra proximum autem: quia tollit ab illo beneuolentiæ, nec non beneficentiæ officia. Quid quòd his contraria refragante Deo retinet? incredulitatem, deſperationem, odium, impuritatem, impietatem: deniq; maleuolentiam amplectitur, maleficiūmque exercet. Sic fit vt pro virtutum cumulis deo reponendis, vitiorum detrimēta ſibi cōgreget. Ad hæc, quis neſcit theſaurum infidelis eſſe incredulitatē? hæretici, prauū dogma? ſuperbi nimiā celſitudinē? auari, lucrū iniuſtū? ſimoniaci, ſacrilegiū? luxurioſi, ineptos fluxus? voluptarii, carnis delectationē? irati, iniquam vindictā odiūque? guloſi, ſaturitatem atque ebrietatem? inuidi nefarium de alieno damno gaudium, & infœlicem de commodo dolorē? & quod peſſimum eſt, tantam cunctorum libidinem vitiorum, quantum ſpiritualium bonorum tædium? Scilicet adeò pulchri ſunt, & expetendi inſipientium theſauri! At operæpretiū eſt videre, quā grauiter illos traducat Dominus per Prophetam Amos capite tertio dicēs: Cōgregamini ſuper montes Samariæ, & videte inſanias multas in medio eius & calūnias patiētes in penetralibus eius & neſcierūt facere rectū, dicit Dominus: theſaurizātes iniquitatē, & rapinas ī ędibus ſuis. Propter hoc, dicit Dominus, tribulabitur, & circūuietur terra & detrahetur ex te fortitudo tua, & dirūpētur ędes tuę: q.d. ſi fretus diuitiis ſperas domū tuā eſſe protecturū, male

confidentiam

cõfidẽtiã iſtã præſumis. Nãq; aduerſus te, tuique ſimiles præſcriptũ eſt, Prouerbiorum capite decimo: Nihil proderũt theſauri impietatis, nempe in die vindictæ. Et quomodò fiet, vt poſsis alia iſtis tuis copiis ꝓtegere qb⁹ temet defẽdere nequibis? Atq; locupletiſsimus ille Hebręorũ rex iſtam tuã confidentiam damnat: dicens Prouerbiorũ cap. vigeſimo primo: Qui congregat theſauros lingua doloſa, van⁹ eſt & excors, & impinguatur ad laqueos mortis. Quibus cõſtantibus liquet, me parũ dixiſſe, nihil profuturos impietatis theſauros, qui ſint ſui poſſeſſoribus maximè nocituri. Audite Michæã voce Domini intonãtẽ capite ſexto: adhuc ignis in domo impii, & theſauri impietatis, & menſura minor iræ plena. Nũquid iuſtificabo ſtatêrã impiã & ſacculi põdera doloſa? in qbus diuites eius repleti ſunt iniquitate, & habitãtes in ea loquebantur mendaciũ, & lingua eorũ fraudulẽta in ore ipſorũ. Et ego ergo cœpi ꝑcutere in te ꝑditione ſup peccatis tuis. Tu comedes & nõ ſaturaberis: humiliatio tua in medio tui. Et app̃hẽdes & nõ ſaluabis: & quos ſaluabis in gladiũ dabis: tu ſeminabis & nõ metes: calcabis oliuã, & nõ vngeris oleo: muſtũ, & nõ bibes vinũ: & cuſtodiſti pręcepta Amri, & omne op⁹ dom⁹ Achab, & ambulaſti in volũtatib⁹ eorũ vt darẽ te in perditionẽ & ſibilũ: & opprobriũ populi mei portabis. Profectò terribilis eſt tãt⁹ minarũ cumul⁹ iuxta myſticos quoq; intellect⁹: et nõ modò Iudęos perfidos, impias gẽtes, obſcœnos Sarracenos, ſed & pertinaces hæreticos, cęteróſq; Chriſtiãos pauperũ oppreſſores, & prauis iri quiſq; moribus penitus infectos grauiter vrget. Siquidem hos vniuerſos oſtendimus manifeſtè theſauros impietatis inſipienter ſibi cõgregare. Aliud eſt ſi fortè ſperas tot tantiſque culpis congeſtis te meritas pœnas euaſurum. Sed reclamat in te Paulus Apoſtolus dicẽs, Exiſtimas autem homo qui iudicas eos, qui talia agũt, & facis ea, ꝙ euades iudiciũ dei? erras toto cœlo. Nã in eo ꝙ alterũ iudicas, teipſum condemnas: eadem enim agis, quę iudicas: ergo quòd excuſes nihil habes: quippe qui tui ſimiles iudicas, ſuppliciorũq; reos eſſe cẽſes. Quòd ſi dixeris: Ipſe equidẽ ſũ fur, vel adulter, aut homicida, & euaſi id qđ inqs iudiciũ: & ſi alter quiſpiã ob id eſt affect⁹ ſupplicio, ipſe tñ nullas tuli ꝓ crimine pœnas. Deſipis ô ſceleſte: neq; enĩ eſt apud deũ qđ apud homines eſſe deprehẽditur, in terris iudiciũ: Vbi eiuſdẽ criminis rei alter plerũq; dat pœnas, abit alter innoxius: cũ deo autẽ nequáquam ſic luditur, cuius verũ eſt in prauos iudiciũ. Scimus enim iudiciũ dei eſſe ſecũdũ veritatẽ. Quòd ſi futurorũ ĩprouidus malorũ, pñſenti abuteris impunitate: et hominũ imprudẽtiſsime, neſcis, heu neſcis ꝙ, vt quidã teſtat̃, lẽto gradu ad vindictam ſui procedit diuina ratio: tarditatemq; ſupplicii grauitate cõpenſat. At omnia vehementiùs Paulus: An diuitias, inquit, bonitatis, & patiẽtię, & lõganimitatis eius cõtemnis? diuitiæ bonitatis dei ſunt, qbus bona malis dat. patiẽtia verò eſt, quę peccatores ignorãtia, vel aliqua ꝑturbatiõe lapſos patienter vt cõuertãtur tolerat ad tempus. Longanimitas autem qua ex malitia peccantibus longum pœnitentiæ ſpatium dat. Tu verò male tibi promittis impunitatem. Petùs donum Dei

quo te ad pœnitentiã expectat cõtemnis peſſime, quaſi veniam deſperes cõuerti ceſſas, iacesq́; ignauus. Nũquid ignoras quòd benignitas dei, qui non vult mortẽ peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat ad pœnitentiam te adducit: idq́; vel internis pulſibus, vel externis incitamentis: tu autem ſecundùm duritiam tuam & impœnitẽs cor theſaurizas tibi iram in die irę, & reuelationis iuſti iudicii dei, qui reddet vnicuiq́; ſecundùm opera ſua. Singula verba põdus habent. Nam duritiam cordis vocat, qua homo incitabulis diuinis non cedit: & veluti cera frigore iniquitatis obſtricta, ſignaculũ imaginis diuinæ nõ recipit. Impœnitens autẽ cor eius eſt, q nõ reſipiſcit quũ agnoſcit errata, qui defẽdit male acta, cui culpę nõ diſplicẽt, ſed vitia placẽt: q eſt ex eorũ numero qui lętantur, cũ male fecerint: & exultãt in rebus peſſimis. Hic ſi fortè ſcelerũ tãdẽ cõſciẽtia ſtimulatus, & veluti quodã œſtro cõcitus ſe perperàm feciſſe doleat, dolet quidem, ſed nondum rectè dolet: quia non dolet ad ſalutem, vt erigatur in deum: verùm ægreſcit in peius, & animo conſternatus agitur in præceps, ruitq́; tandem in extremũ lethalis impœnitentis morbũ. Hoc enim eſt illud infœliciſſimum cor, de quo ſcriptum eſt: Cor durum male habebit in nouiſſimo: tuum eſt tuum cor durum atque miſerrimum, qui tantis clamoribus non excitaris, qui tantis terroribus non concuteris, nec illectamẽtis conuerteris: ſed pertinax iniquitatis artifex theſaurizas tibi iram: quia vltionum diuinarum immenſos aggeres tibi componis. Quot quot enim ſcelera ſceleribus addis, tot pœnarum luendarum aceruos apud inferos humeris tuis ferendos imponis. At leuiùs forſitan ferendum, ſi quiſquam alius in tam graues calamitates te protruderet.

Eſt aliquid, magnis crimen abeſſe malis.

At vbi tu tibi malũ paris extremum, non eſt quò dolor afflicti remittatur: non eſt quòd cauſeris, ipſe te tormentis adiicis: tu tibi theſaurizas iram in die irę, & re vera non eſt quòd in alium damnationem noſtrã reiiciamus. Nunquid in diabolum? Sed quamuis violentus ſit hoſtis, incitare ad malum poteſt, cogere verò nõ poteſt. Nunquid in Deũ? At deus intentator malorum eſt? imò cũctorũ procurator, largitorq́; bonorũ. Nos igitur ſoli proculdubio ſumus vltima damnationis noſtræ cauſa, & re vera ita agimus vt dicit Apoſtolus. Deus enim vocat nos ad pœnitentiam, ſed nos theſaurizamus nobis iram. Deus inuitat nos ad veniam, ſed nos quotidie cumulamus offenſam. O impia ſuperbaq́; temeritas! Vim quodammodò facimus deo iniquitatibus noſtris, ipſi in nos trã diuinitatis armamus, cogimus quadantenus ad vlciſcendas criminum noſtrorum immanitates: volentem deum, propè eſt, vt non permittamus vt parcat. Nam cùm in eum nullum vnquam ſignum iniuſtitiæ cadere vel apparẽre poſſit, ſic agimus vt ſi enormitates ſcelerum noſtrorum non vlciſcitur, iniuſtus eſſe videatur. Sed idcirco quoſdam in hac vita punit, vt non iniuſtus appareat, & vt punitorum exemplo corrigãtur alii. Quoſdam verò hic non corripit, nempe duros & impœnitentes, quos grauiùs punien-

punie̅dos in die iræ, & reuelationis iuſti iudicii ſui ſeruat: tu̅c enim tu̅c ſupremus ille tremendusq́; iudex horrendos illos vltionum ſuarum theſauros coram vniuerſo orbe reuelabit aduerſus inſenſatos: id quod ipſe multò antè teſtatus eſt Deuteronimii ca. trigeſimoſecu̅do, dice̅s: Nõne hæc co̅dita ſunt apud me? & ſignata in theſauris meis? Mea eſt vltio, & ego retribuã in tempore, vt labatur pes coru̅. Iuxta eſt dies pditionis, & adeſſe feſtinãt te̅pora. Sed iã trãſeat ſermo noſter ad imprude̅tes theſaurizatores: hi ſunt, qui cu̅ habeant pecunias, veſtes, prędia, vectigalia, aliasq́; diuitias, vel hęreditario iure, vel proprio labore, vel induſtria co̅paratas, abſq; vlla deniq; iniquitatis nota poſſeſſas, aut illas abde̅do reddunt inutiles tum ſibi, tu̅ cæteris. Aut è contrario vanè ſtulteq́; eaſde̅ prodigu̅t ſine vllo cùm corporis, tum animę emolumento, quod ad vitam perpetuam compara̅dã faciat, iuuetq́;. Quoru̅ ſanè magna eſt ſtultitia: quã meritò ſapie̅tiſſim⁹ ille rex in hæc verba traducit, Eccleſi. 4. dicens: Et co̅uerſus ſum ego & vidi vanitate̅ ſub cœlo. Eſt vnus, & no̅ eſt ſecu̅dus, & quide̅ frater & filius non eſt ei, nec eſt finis omni labori eius, & quide̅ oculus eius no̅ ſatiatur diuitiis. Et cui ego laboro, & fraudo animã meã bonitate? Sed & hæc vanitas, & diſtictio peſſima. Nec miru̅ Eccleſiaſtę bis fuiſſe inuectu̅ aduerſus hominum vanitatem. Didicerat enim ea à parente ſuo rege prophetaq́; pſalmo trigeſimooctauo ſic inſonante: Veruntame̅ vniuerſa vanitas omnis homo viuens. Quid vanius homine qui modò vera p falſis, modò falſa p veris recipit? Iã pbãda reprobat? Deinde admittit inco̅moda, co̅moda verò remittit, ſemperq́; leuibus curis bonis vel malis agitatur, nec animaduertit q̃ ĩ imagi̅e ptrãſit homo. Homo eni̅ nat⁹ de muliere, vt ſanctus Iob humanã calamitate̅ deplorãs inquit, breui viue̅s te̅pore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur & co̅teritur, & fugit velut vmbra, & nu̅quã in eode̅ ſtatu permanet: nunc gaudet, nu̅c mœret: timet modò, modò ſperat: iam effertur animo, iã deiicitur: varioq́; curaru̅ fluctuat æſtu, ſed fruſtra co̅turbatur. Vide vanã perturbatione̅, theſaurizat homo, & ignorat cui co̅gregabit ea. Magna ne̅pe vanitas eſt nimias co̅gerere pecunias, maior verò co̅gerere & neſcire cui co̅greges illas. Pacatas ô auare mihi porrige aures, ſi fortè ĩtelligas ĩ quãto verſeris errore du̅ nullu̅ pręſtabis theſauris cumulãdis fine̅: tu vide̅ris tibi homo magni conſilii, excogitas quotidie genera acqre̅dę pecu̅ię de negotio, de agricultura, de iuris co̅ſultatio̅e, de militia, de vectigalib⁹, no̅ modò pfanis, ſed etiã ſacris: nolo dicere de fœnore, no̅ de ſimonia, no̅ de ludo, vel rapina paulò ſuperi⁹ ſua iniqtate dãnatis. Eſto iuſtè acquiris, iuſtè colligis: bene ſeruas, haberis prudens. Sed ab imprude̅tib⁹ qui no̅ circu̅ſpiciu̅t quãta mala ſecum afferat vanitas auaritię, quàm aſſiduos acquire̅do labores, quã anxias retinendo curas, quã trepidos amittendi timores, quàm turbidos perde̅do dolores: quibus homo ſuſq; deque vexatus vanè conturbatur & noxiè. O miſeram imprudentiam! Homo theſaurizandi cupiditate cæcus minimè proſpicit quòd cùm per mille labores,

res, difficultates, pericula, atq; ſalutis vi tæq; detrimenta: nam & multi propter diuitias perierunt: ingentes theſauros ſibi conuaſauerit, in promptu eſt, vt vel rubigine æra conſumātur. Aut tineis blattiſque veſtes exedātur: aut dolonum mi ſurripiatur à furibus: aut denique à tyrannis auferantur vi. id quod adeò frequens eſt, vt notius ſit vſu, quam lectione. Quòd ſi contendas in tuto te tuas repoſuiſſe diuitias, quaſi ſit auaritię quiſpiam locus inacceſſus: verum eſto. Attamē quid ſtultius fieri poteſt quam reponere, & neſcire cui reponas? Sed iā video te reſponſionem moliri. Vis nedicere, repono filiis meis repono nepotibus reliquiſue meis poſteris: nec intelligo cur tāta orationis vi theſaurizātes corripias, vrgeaſq; præſertim cùm id affectus naturæ ferat. Cui Paulus Apoſtolus adſtipulans ſecunda ad Corinthios .13. nec, inquit, debent filii theſaurizare parentibus, ſed parentes filiis. non repugnamus naturæ: Apoſtolum ſuſcipimus. Sed tu caue nè labaris in verbo theſaurizare. Non enim eo eſt vſus Apoſtolus, quò ſignificaret, debere parentes filiis reponere magnam cōgeſtę pecunię vim: ſed quòd parentes filiis potiùs, quā parentibus filii debeant præparare quātas quantas opes, quibus hæreditario iure ſuccedant: quo minus neceſſariis indigeant. Attende igitur nè vox iſta pietatis, excuſatio ſit iniquitatis. Theſaurizare debet pater filio, ſed nullatenùs de acquiſitis iniuſtis: id enim eſſet impium. Theſaurizare debet pater filio, ſed neceſſaria vel perſonę, vel ſtatui: ſed nō vtique ſuperflua. Qualiter enim licebit patri reponere filio ſuperflua, quæ nefas eſt ſibi retinere? pręcipiente illud Chriſto: Quod ſupereſt, date eleemoſynam. Ex quo liquet, nemini fas eſſe abſq; criminis nota condere ſibi filiiſq; ſuis theſauros, nec aliquos, ſi pauperes extrema neceſſitate laborent: nec ſuperfluos, ſi magna. Alioqui iura charitatis in proximum ille violauerit, imò diuinam quoq; amittet. Suffragatur huic ſentētiæ Ioannes Apoſtolus, maximus ille dilectionis aſſertor, dicens: Si quis habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem patientem, & clauſerit viſcera ſua abeo, quomodò charitas dei manet in eo? Theſaurizare denīq; debet pater filio, ſed non ea, quibus indiget ad redimendū animam ſuam. Redemptio enim, vt ait Sapiens, animæ viri, ꝓprię diuitię. Pater erat ille cui propheta Daniel dixit: Nunc rex accipe conſilium meum, & peccata tua eleemoſynis redime, & miſericordiis pauperum. Porrò nolo putare tanta imprudentia te laborare, vt optes potiùs filiorum tuorum corpora bene curata cute nitēre quàm virtutibus animam tuam pollēre. Quid quòd ſi adeò deſipias, vt malis filios tuos hanc vitam quàm aliam fœliciter agere: nunquid infinitis cōgeſtis theſauris poteris ab illis mortem depellere? nempe non magis quàm tuam. mortales ſunt parentes, mortales filii, & filii filiorum, & qui naſcuntur ab illis. Vtrorūque tranſit vita, pręteruolat ætas. Siquidem in imagine tranſit homo, ſed & fruſtra conturbatur, theſaurizat, & ignorat cui cōgregauit ea. Quid ſi cùm primùm filii, aut nepotes paternam hęredita

ditatem adierint, theſauros illos tam diligenter abditos eruerint, protinusq; ludo perdiderint, aut cum ganeonibus, & meretricibus adſumpſerint, aut ignauia vel inertia amiſerint, aut vt dolose ab his tollatur? Quare conſtat ſtultã eſſe, pernicioſamq; nimium tantas accumulandi poſteris opes curam, quæ ſæpe citius, quã cõquirantur, euaneſcunt, pereũtq;. Miſerum quot parentum greges hęc improuida pietas in tartara detrudat! Quòd ſi hęc de laicis verè dicũtur, quid erit de eccleſiaſticis, quibus nefas filios progignere, aut genitis eccleſiæ theſauros relinquere, dices? Theſaurizabunt nepotibus? nihil minùs. Audi diuum Ambroſium: Aurum habet eccleſia, non vt ſeruet, ſed vt eroget. Donabit itaq; ſacerdos cognatis ſuis, ſed vt indigentibus ſubueniat: idq; aliquanto largiùs quàm alienis: non vt ditiores multò reddat. Deniq; illud intereſt inter laicos & eccleſiaſticos, quòd illi pauperibus obuiis poſtulãtibus notiſque tenentur ex ſuperfluo eleemoſynam neceſſariò dare: hi verò obligãtur quærere pauperes populi ſui, quibus ſuperflua diſtribuant. Premit & hęc cenſura religioſos, vberiores habentes reditus, vt quæ illis ſuperſunt inopibus dilargiãtur. Quapropter cõpertum ſit, ſtultos qui ſuperfluas ſibi diuitias auarè coaceruant & recondunt, paulò minùs eſſe in culpa, ſi pauperibus afflictis extrema, vel magna victus aut veſtitus egeſtate nõ ſubueniãt, quàm in ſapientes, qui aliena rapuerunt iniuſtè. Vtroſq; enim ſermo diuinus pari ſententia damnat. Pſalmus trigeſimus octauus ſimul ait, Inſipiens & ſtultus peribunt: & relinquent alienis diuitias ſuas. Alienos etiam vocat illorum filios, & oſtendit extraneos. Non vtique habendi ſunt filii parentibus proximi, quibus fuerunt in cauſa vt ſtultè perirent: & ſepulchra, ait, eorum domus in perpetuum. Hęc tandem erit illis perpetua habitatio: quia nõ reſurgẽt, vt habeãt ęternã vitam, ſed vt in pœna damnẽtur perpetua. Quod malũ, omniũ proculdubio malorum maximum: eorũ quę mortalibus accidere poſſunt, vt cautiſſimè & diligentiſſimè vitemus, pientiſſimus mundi Seruator nos admonet in hæc verba: Nolite theſaurizare theſauros veſtros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiũt, & furãtur: ſed theſaurizate theſauros veſtros in cœlo; vbi neq; ærugo nec tinea demolitur, & vbi fures nõ effodiũt nec furantur. Quis nõ admiratur hoc cœleſte cõſiliũ? quis nõ amplectatur tã ſalubre præceptũ? cui parẽdo ſimul & extrema miſeria vitatur, & ſuprema fœlicitas cõparatur? Deſinite tãdẽ ò mortales deſipere: deſinite terrenas opes cœleſtibus anteferre: incipite theſauros ſpũales prudẽter ĩ cœlo collocare. Veſtra res igitur, aut vt malè theſauros veſtros repõnẽdo ſimul cũ illis intereatis, aut bene ſeruemini. Bene habet. Sẽtio vos nõ nihil Dñi monitis cõmotos, & quãtũ mihi cõiectare ex aſpectu veſtro licet ãnuitis: & interrogãtibus ſimiles hęc reſpõdere videmini, Reſipiſcimus demũ: pœnitet nos iacturæ prioris: offenſũ iudicẽ placare cupimus: recõciliare nobis expetimus: & vt Zachęus ille euãgelicus ſi quid quẽquã defraudauimus reddimus quadruplum. Theſaurizare volumus

volumus theſauros noſtros haud in terra ſed in cœlo. Sed quomodò id faciemus? Primùm ſi fidem diuinis oraculis præſti teritis: ſi totam ſpem in vno Deo collo caueritis: ſi ceteris illum omnibus amore prætuleritis: deinde ſi proximum beneuo lentia ac beneficentia ſitis proſequuti. Si quæcunq; vultis faciant vobis homi nes, hæc eadē illis feceritis. Deniq; ſi fe ceritis fructus pœnitētiæ dignos, ſi elee moſynam præſtiteritis: non vt honorifi cemini ab hominibus, vt faciūt hypocri tæ: nec tantùm humano quodam affectu ducti, vt faciunt ethnici: ſed vt benefa ciendo conſeruo ſitis in dominū grati, vt illi placeatis, ipſumq; promereamini: ſi oraueritis, ita non vt auram captetis humanam, ſed vt diuinam gratiam deme reamini. Si deniq; ieiunaueritis, non vt apud homines habeamini ſancti, ſed vt apud deum ſitis mundi & immaculati. Quicunq; enim hæc pietatis officia per ſequuntur vt hominibus tātùm placeāt, non in cœlo, ſed in terra, id eſt nō in deo ſed in homine theſauros ſuos reponunt: tamq; acceperunt mercedem ſuam: Hu manum quippe fauorem, nullamq; aliam habent, quam à deo ſperent. At quicun que intuitu dei præcipuè eadem perfece rint, optimam habent pud illum repoſi tam gratiā: quia pater noſter qui videt in abſcondito, reddet nobis mercedē mul tò opulentiſſimam. Dicetis: Quid ſi ne ceſſum ſit publicitùs eleemoſynam elar giri? coram populo Deum precari? ma niſeſtè ieiunare? vel certè nè ſimus alti s ſcandalo, ſi nūquam viderint nos debitis officiis vacare. Sed tunc credite mihi ſa tis eſt ad promerendam mercedem, ſi ſic fiat opus bonum in publico, vt tamen in tentio ſit in occulto. In cœlo quippe re condis, non in terra, quiſquis affectu tali coram hominibus hæc exerces, quali ſo lo deo ſpectāte peragere, ac perinde nō tam vt hominibus, quàm deo placeas. Quia intentio tua operi tuo nomen im ponit. Deniq; vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuū. Si theſaurus tuus eſt in terra, in terra eſt cor tuū, & in terra eſt merces tua. Quia terra es, & in terram ibis. Operæpretiū eſt adſcribere quibus verbis Iacobus Apoſtolus filius ille to nitrui deflet calamitatem inſipientium diuitum, qui theſauros ſuos imprudenter in terra defodiunt. Agite nunc, ait, di uites, plorate vlulantes in miſeriis ve ſtris, quę aduenient vobis: diuitię veſtrę putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum & argē tum veſtrum æruginauit, & ærugo co rum in teſtimonium vobis erit, & man ducabit carnes veſtras ſicut ignis: theſau rizaſtis vobis ignē in nouiſſimis dieb⁹. Quem ignem? Proculdubio illum quem deprompturus eſt æquiſſimus iudex in quo die iudicaturus eſt viuos & mortu os, aduerſus inſipientes & imprudentes theſaurorum ſuorum repoſitores, dicens his qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem ęternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Eſuriui e nim & non dediſtis mihi manducare: ſi tiui, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus & nō operuiſtis me: infirmus & in carcere, et nō viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt & ipſi ei dicentes: Domine quando te vidi mus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpi tem,

*tem, aut nudũ, aut infirmum, aut in car
cere, & non miniſtrauimus tibi? Tũc re
ſpondebit illis dicens: Amen dico vo-
bis quandiu non feciſtis vni de minoribus
his, nec mihi feciſtis. Attendite diligen
tiſſimè, quòd non aliud crimen, peccatũ,
vel delictum, præter ſolam illiberalita-
tem & erga pauperes & inopes impie-
tatem declarauit fuiſſe cauſam, vt eiuſ-
modi immiſericordes infœliciſſimè pa-
riter & iuſtiſſimè damnarentur. Quan
to fœliciores pauperes ſpiritu, quippe
ſapientiſſimi, qui valde prudenter ſpiri-
tuales diuitias in cœlo ſibi theſaurizant.
Quorum beatitudinem Saluator no-
ſter prædicans, eoſdem bono animo eſſe
iubet, dicens: Gaudete & exultate, quo-
niam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.
Hi ſunt qui à dextris iudicis ponẽdi au
dituri ſunt illum mitiſſimis colloquiis
ipſos ad beatitudinem capeſſendam alli-
ciẽtem, vocantemq́;. Dicturus nanq́; eſt
eis: Venite benedicti patris mei, poſſide
te paratum vobis regnum à conſtitutio
ne mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mi-
hi manducare: ſitiui & dediſtis mihi bi-
bere: hoſpes eram & collegiſtis me:
nudus & operuiſtis me: infirmus & vi
ſitaſtis me: in carcere eram & veniſtis
ad me. Tunc reſpondebunt ei iuſti dicen
tes: Domine quando te vidimus eſurien
tem & pauimus? ſitientem & dedimus
tibi potũ? quãdo autẽ te vidimus hoſpi
tẽ, & collegimus te? aut nudũ & ope-
ruimus te? aut quãdo te vidimus infirmũ
aut in carcere & venimus ad te? & re-
ſpondẽs rex dicet eis: Amen dico vobis
quãdiu feciſtis vni de his fratribus meis
minimis, mihi feciſtis. Quo magis poteſt
eleemoſynæ gloria creſcere? q́ quòd rex
regum & dñs dominantium reputat ſi-
bimet eſſe donatũ quidquid ſubſidii ab-
iectiſſimo pauperculo fuerit tributũ, ſub
inde redditurus nobis præmiũ, quo nec
maius, nec fœlicius excogitari poteſt.
Quare ſi nolum⁹ cũ diuitibus auaris da
mnari, ſed cũ benignis & liberalibus &
iuſtis ſeruari, audiamus quid Paulus iu-
bet Timotheo nomine eius nobis præſcri
bere; Diuitibus, ait, huius ſæculi præci
pe non ſublime ſapere, neq́; ſperare in in-
certo diuitiarum: ſed in Deo viuo, qui
præſtat nobis abundè ad fruendũ, bene
agere, diuites fieri in operibus bonis, fa
cilè tribuere, theſaurizare ſibi fundamẽ-
tum bonum in futurum, vt apprehẽdant
vitam æternam: quam nobis præſtare
dignetur, qui pro nobis fact⁹ eſt pauper,
vt inopia eius nos diuites eſſemus.*

De octo virtutum gradibus per quos oportet pios ſacerdotes ad altare dominicum aſcendere.

*ETenim ſicut Ezechiel
loquens de ædificio in
mõte cõſtituto ait: Et
in octo gradib⁹ aſcẽſus
eius: ita & beatus Pe
trus octo gradus mirè diſponit, quibus
priùs in hac vita ritè aſcenditur ad do-
minicũ altare, & inde ad cœleſtẽ domũ.
Sunt autem octo illi aſcenſus quos pul-
chra gradatiõe enumerat: Fides, Virt⁹,
Scientia, Abſtinẽtia, Patiẽtia, Pietas
Amor, Fraternitas, & Charitas. Scri*

pſit itaq; beatus Petrus ad Chriſto cre dentes in primo poſterioris epiſtolæ capite iu hunc modum: Vos autem curam omnem ſubinferentes miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patentiam, in patientia autem pietatem, in pietate autẽ amorem fraternitatis, in fraternitate autem charitatem. Fugata iam mundana cõcupiſcẽtia, quæ ſpiritualem vitam corrũpit, exhortatur fideles, vt omni ſtudio conemur per gradus ſpiritualis incrementi, quos diſtinxit, ad ſummam ſpiritualis vitæ peruenire, dicens: Vos autem omnem curam, hoc eſt ſolicitudinem ſub inferentes, eſtote: id eſt omne ſtudium adhibet, vt ſubminiſtretis in fide virtutẽ. Primum ad ſpiritualem promotionẽ gradũ fidem ponit, quæ fundamẽtũ eſt, ac baſis, ſeu principium bonorũ vitaliũ. Quia iuſtus ex fide, quæ per dilectionẽ operatur, viuit. Et ideo ſecundo gradu locat virtutem, non eã quę eſt miraculorũ operatrix, nec bellicã fortitudinẽ: ſed eã quæ eſt bonorũ operũ effectrix, quæ ſanctis cogitatis, caſtis dictis, probiſque factis conſtat. Nã ſine his fides otioſa eſt, & mortua eſt, vt dicit Iacôbus. Deinde tertiò additur virtuti ſcientia, qua opùs eſt ad probè rectéq; agendũ. Vnde in Iſaia, Quieſcite male agere: Diſcite bene facere. Vel hęc ſcientia accipienda eſt cognitio ſecretorũ dei myſteriorũ: quę nõ cuiuis cõtingit, ſed exercitato in habitu meliorũ operũ. Poſt hæc quarto loco apponit abſtinẽtiã, ſicut ſentit Beda: vt cùm fideles bona facere edidicèrint, mox à malis abſtineant, nè in vacuũ ſciẽtia cœleſtium cedat ſi quis ab illecebris terreſtribus continere ſe neglexerit. Quin & temperantia autore Oecumenio opùs eſt ei, qui ad ſcientiæ menſurã peruenit, nè idem magnitudine ſcientiæ laſciuiat. Quinto gradu cõgruè patientiã adnectit: quoniã neceſſe eſt vt abſtinẽtiã ſemper patiẽtia comitetur: vt quicunq; à voluptatibus mundi ſe continere didicit, eius quoq; aduerſa animo firmo ſuſtineat, à dextris videlicet & à ſiniſtris per arma iuſtitiæ munitus. Sed & vt ait Oecumenius, quoniam nõ contingit eum, qui modico tempore vtitur temperantia, firmiter donum poſſidere. Semper enim cupiunt affectiones eam quæ à præfocatione liberat ad id quod peius eſt perducere, ſubingreſſa tolerantia rem omnem peragit, & pietatem conciliat, perfectiorem in deum confidẽtiam efficiens. Ideo quoque ex pietate quæſita eſt charitas fraterna, quæ nequaquam accedit, niſi benignitas ad omnia tribuerit aditum pietatis. Oportet igitur ſexto loco patientiæ pietatem quoque, quæ erga proximum verſatur, copulare, vt vir iuſtus erga eos, quos patienter tolerat, eis malum pro malo non reddendo, pius exiſtat: eiſdem benefaciendo, iuxta illud apoſtoli: Charitas patiens eſt, benigna eſt. Ideoq; ſeptimò ſubiungit pietati amorem fraternum eſſe adnectendum: vt, ſicut Beda dicit, non alterius rei intuitu pietatis opera ſuis quoque aduerſariis impẽdat, niſi fraternæ tantùm dilectionis: hoc videlicet tota intentione procuratus, vt quos docendo ſolùm, vel redarguẽdo inducere nequit, ad affectũ pietatis orãdo

vel benefaciendo conuertat. Deniq; quoniam fraternus amor nondum eſt perfectus abſq; dei dilectione, octauò addidit charitatem, quæ eſt omnium bonorum complementum: ſicut Paulus ſæpe teſtatur. In amore autem, ait, fraternitatis charitatem ſubminiſtrate. Nanq; charitatem teſte Beda hoc loco appellat ſpecialiter eam, qua conditorem diligimus, quæ proficientibus virtutum gradibus meritò amori fraternitatis adiungitur: quia nec deus ſine proximo, nec ſine Deo proximus perfectè valet amari. Et quidem dei amor excellentior eſt amore proximorum: quia illos ſicut nos, Deum verum ſupra nos ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute diligere iubemur. Sed tamen conſuetudine amoris fraterni oportet mos ad amorem conditoris aſcendere. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, deum quem non videt quomodò poteſt diligere? Ex fraterna igitur dilectione ad paternam aſcendendum eſt: non quaſi priùs dilexerimus eum, ſed quia prior dilexit nos ille. In hoc em̄ extat charitas, quòd hæc & dei filiū, & huius patrē euicit: hūc quidē, vt ſibi dilectum filium daret: filiū verò vt ſanguinem ſuum pro nobis effunderet. Poſtremò illud tantum modò aſſcribamus, quòd autore eodem Beda iuxta modum dilectionis, qua ſibi in hac vita ſancta fraternitas copulatur, ſupernorū quoque ciuiū ſocietati in præſentia ſui creatoris cōiūgetur.

Parerga.

Locus Gregorianus aſſertus.

SAnctus Gregorius homilia ſexta putauit Diuum Ioannem Baptiſtam Chriſtum interrogaſſe in hæc verba: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? vt ei manifeſtaret, vtrū is qui per ſe in mūdū venerat, per ſe & ad inferorū clauſtra deſcēſurus eſſet: vt quē pręcurrens mūdo nuntiauerat, hunc moriendo & ad inferos deſcendendo præcurreret, & patribus in ſinu Abrahæ expectantibus prænuntiaret. Quod mirum deberet non videri, tantum Prophetam circa hoc addubitaſſe, niſi deſcenſus Chriſti ad inferos eſſet de præcipuis fidei articulis, quem tantum prophetam ignoraſſe par non ſit: quòd ſi illud ſciebat, qualiter Gregorius tradit Ioannem expetiſſe ea de re à Chriſto doceri? quia quod Ioannes fide certum habebat, viua voce Chriſti ampliùs cognoſcere expetebat, vt eſſet talis qualis Petrus, cū reſpondit Chriſto: Ad quē ibimus? verba æternæ vitæ habes. nos credimus & cognouimus, ꝙ tu es Chriſtus filius dei. Credimus, ait, fide: cognouimus ex vitæ ſanctitate, doctrinæ ſynceritate, & miraculorū potētia quòd tu es Chriſtus filius dei. Crediderat & Abrahā deo pollicēti ſibi ſemen benedictū, terrāq; ſanctorū poſſidēdam. Sicut ſcriptū eſt, Credidit Deo Abrahā, & reputatū eſt ei ad iuſtitiā. Nihilo minùs expetiuit à deo ampliorem quandam manifeſtationem: dicens, Domine deus, vnde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſim eam? Certè tantus Patri-

archa ſignum quærit à deo, non diffidendo, ipſumq; tentando, ſed potiùs ſperando, modumq; quærendo, quo tantum promiſſum & apertiùs, & manifeſtiùs ſibi conſtaret. Et vt ad nouum teſtamentum veniamus, Beata virgo Maria certa fide tenebat Chriſti incarnandi myſteria: ſed ad eam angelus mittitur, vt cœleſti nuntio narrante, ea diſtinctiùs, ac plenius agnoſceret. Huc ergo tendit reſponſio cùm ait: Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui reſurgunt. Adeò mirabilibus operibus ſe Chriſtum eſſe apertè teſtatus eſt. Addidit & doctrinæ ſuæ egregiam excellétiam, & ab humana ſapientia longè alienam, dicens: Pauperes euangelizantur: hoc eſt pauperibus denũtiatur euangelium regni cœleſtis: dicendo, Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. quæ habentur Matthæi quinto capite. Tandem intulit aliquanto tamen occultiùs mortis ſuæ mentionem, dicens, Beatus eſt qui nõ fuerit ſcãdalizatus in me. Et vt verbis vtar tanti doctoris, cuius partes ago, quid eſt dicere, Beatus qui nõ fuerit ſcãdalizatus in me? niſi aperta voce abiectionẽ mortis ſuę humilitatẽq; ſignare: ac ſi patẽter dicat, Mira qdem facio, ſed abiecta ppeti nõ dedignor. quia ergo moriẽdo te ſubſequor, cauendũ valde eſt omnib⁹ nè in me mortẽ deſpiciãt, qui ſigna venerãtur. Percepit itaq; Ioãnes lęt⁹ Chriſti reſpõſũ, & à deo intellexit myſteriũ, vt iam nõ tantũ crederet paulò poſt mortẽ ſuam Chriſtũ moriturũ, atq; ad inferos deſcenſurũ: vt tandẽ nõ ſolum prophetico reuelatu præditus, ſed etiã viua voce ipſius Chriſti inſtitutus, ſedentibus in vmbra mortis tã optatũ bonũq; nuntiũ apportaret. Euenit deniq; hac quoq; mirabili ratione, vt Ioãnes diſcipulos ſuos in Chriſtum quoq; transferret ab eo docendos, alliciendos, atq; ſuſcipiendos.

Vtrùm teneatur aduocatus alteri parti cauſæ ſecreta manifeſtare.

Diuus Thomas cùm decreuiſſet aduocatum cauſam iniuſtã ſciẽter fouentẽ grauiter peccare, ſubiecit, ꝙ aduocatus, qui principio credit cauſam iuſtã eſſe, & poſteà in proceſſu nouerit eam iniuſtã, non debet eã prodere, ſcilicet vt aliam partem iuuet, vel ſecreta ſuæ cauſæ alteri parti reuẽlet: poteſt tamẽ & debet cauſam deſerere, vel eum cuius cauſam agit ad cedẽdũ inducere, ſiue ad cõponendũ ſine aduerſarii damno. Hæc vera ſunt, ſed egent diſcretionis iudicio, in eo quòd dicit, Aduocatũ non teneri parti innoxiæ, cauſæ iniuſtę ſecreta reuelare. Nã id verũ eſt, quoties poteſt reus alia via graue damnũ vitare: quę ſi nõ pateat, tenetur aduocat⁹ ſpõte ſua admonere cautè & ſine ſcãdalo eũ, qui iniuſtè vexatur, manifeſtando ipſi quomodò euadat, damno vel irreparabili vel magno immunis. Nec eñ aduocat⁹ minùs obligatur ei quã alii illo præcepto: Eripite egenũ, & pauperẽ de manu peccatoris liberate. & illo, Eruet eos qui trahũtur ad mortem. & illo ad Romanos primo, Digni ſunt morte,

morte, non ſolùm qui faciunt, ſed qui cõſentiunt facientibus. Super quo legis in gloſſa, cõſentire eſt tacere cùm poſſis redarguere. Hæc ita ſe habere diuũ Thomam ita ſenſiſſe agnoſcet ſi quis contulerit articulum tertium quæſtionis ſeptuageſimæprimæ cum articulo primo quæſtionis ſeptuageſimæ. quæ quidem quæſtiones continentur in ſecunda ſecundi libri parte: quam idem author diuinitùs conſcripſit. Cæterùm putárim equidem eiuſmodi aduocatũ quamuis taceat, & nõ admoneat eũ qui iniuſtè vexatur, minùs teneri ad reſarciendũ dãnum quod iniquus vexator alteri infert: quia licèt facere omittat quod requirit charitas, non tamen cõmittit quo iuſtitiã violet.

An ſatis piè ſentiãt qui infantes, præſentanea morte excludẽte baptiſmum, fide & votis parentũ Chriſto accedere putant.

NOuit viros duos nõ minùs pietate, quàm ſapientia præditos rationibus haud ineptis motos, ſenſiſſe, infantes quos baptizandi nulla adeſt facultas, parentum votis deo oblatos Chriſti cõſortium aſſequi. Id quod ſi rationibus, potiùs quàm ſcripturarum ſanctarũ autoritate, vel eccleſiæ ſanctæ decretis aſſerendum eſſet, non modò piè, ſed & ſecundùm ſcientiam dictum videri poterat. Enimuerò cùm par ſit, rationes illas quantumuis probabiles ſacræ cedere autoritati, non video vnde integra ſuperſit ſcientia pietáſue illud aſſerere, quod ſacro concilio excluſum conſtat. Quæ de re placet adſcribere ad verbũ verba quibus in Florentino concilio decretum, explicatumq́; eſt, infantibus non alia ope, quàm ſacro baptiſmate ſubueniri poſſe. Circa pueros ait, Propter periculum mortis, quod poteſt ſæpe contingere, cùm ipſis non poſſit alio remedio ſubuenire, niſi per ſacramentum baptiſmi, per quod eripiuntur à diaboli dominatu, & in dei filios adoptantur, admonet non eſſe per quadraginta aut octuaginta dies, ſeu aliud tempus iuxta quorundam obſeruationem ſacrum baptiſma differendum. Sed quàm primùm fieri poteſt conferri debet: ita tamen, quòd mortis imminente periculo mox ſine vlla dilatione baptizentur etiam per laicum vel mulierem in forma eccleſiæ, ſi deſit ſacerdos: quemadmodum in decreto Armeniorum pleniùs continetur. Accedit & ad hoc Zozimi papæ decretum, quod inſertatur in epiſtola Auguſtini ad Optatum. Fidelis, ait, dominus in verbis ſuis, eiuſq́; baptiſmus re, ac verbis, id eſt opere, confeſſione, & remiſſione vera peccatorum, in omni ſexu, ætate, & conditione generis humani eandem conditionem tenent. Nullus enim qui peccati ſeruus eſt liber efficitur, nec redemptus dici poteſt, niſi qui verè per peccatum fuerit antè captiuus: ſicut ſcriptum eſt: Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Per ipſum enim renaſcimur ſpiritualiter. Per ipſum crucifigimur mũdo ipſius morte, mortis ab Adã

omnibus nobis introductę atq; transmiſſæ, vniuerſæ animæ illud propagatione contractum chirographum rumpitur. In quo nullus omnino uatorum antequã per baptiſmum liberetur, non tenetur obnoxius. In his enim verbis apoſtolicę ſedis, tam antiqua atque fundata, certa & clara eſt catholica fides, vt nefas ſit de illa dubitare Christiano.

De quodam contractu An vſurarius ſit.

QVæſitum eſt, vtrùm contractus, in quo quis deponit apud negotiatorem centum aureos ea conditione, vt quicquid lucro acceſſerit, vſq; ad nouem deponenti, tantum accedat: & quicquid fuerit inde amiſſum vſq; ad eundem numerum eidem perdatur. Quod autem vltra nouẽ vel fuerit acquiſitum vel amiſſum, ad negotiatorem tantũ pertineat.

Viſum eſt mihi eiuſmodi cõtractũ eſſe vſurariũ, iniquũ, & iniuſtum. Eſt inquã vſurarius: quoniã cũ ſors debeat ſubiacere periculo deponentis ſicut operæ & labores periculo negotiantis, quicquid ſupereſt à nouem vſque ad centũ, mutui rationem ſapit, non ſocietatis. Accedunt autem lucra depoſitori nouem, nõ dubium quin ratione totius ſortis: pro mutuo ergo quæſtum accipit, ac perinde vſuræ labe implicatur. Eſt autem iniquus: quia negotiator ſubeſt diſcrimini amittẽdi è cẽtũ nonaginta, ſimul cũ opera & impenſis. Deponenti autem tantùm nouem, diſpendium accidere poteſt. Eſt deniq; iniuſtus, tum quia frequentiùs, & propè ſemper lucrabitur depoſitor, ſiquidem habiturus eſt quicquid lucro acceſſerit vſq; ad nouem: tum quia nũquam erit æquale inter eos, qui ſic pacti ſunt emolumentũ quãdiu quæſtus ad decem & octo minùs peruenerit: id quod rariùs continget.

Vtrùm peccator verè dicere poſſit, Credo in Deũ.

ENimuerò tractãda nobis eſt quæſtio ſilentio nõ prætereunda. Si enĩ credere in deum eſt tendere in deũ fide per dilectionem operante, cùm obnoxius mortifero peccato charitate careat, videtur nõ credere in deũ: ac perinde mentiri, quãdo Symbolum, aut apoſtolicũ, aut Nicenũ profert: etiam ſi illud pronuntiet exactus ab infideli fidẽ ſuã ꝓfiteri. Quod graue admodum, atq; durũ videri debeat. Sunt qui huic quæſtioni reſpondeãt, Peccatorem quidẽ pronũtiãdo Symbolũ, ſimpliciter confiteri articulos fidei, vt quemadmodũ fatetur eccleſiam ſanctam catholicam, ita dicendo credere ſe in deum, non quempiã motũ in deũ à charitate per fidem directũ ſignificare: ſed tãtũmodò deũ eſſe: vt ſit ſenſus, Credo in deũ, credo eſſe vnũ deũ. ſed hãc prædicti nodi ſolutionẽ haud amittit ipſa tradendi articulos fidei forma, qua aliis articulis apponĩt prępoſitiũcula, ĩ, aliis nõ, vt aliis alius fidei motus in deũ tanq̃ finẽ: alius in creaturã, tanquã ab illius ratio

ne alienum demonſtretur. Idcirco ſunt alii putantes peccatorem exprimentem Symbolū ideo nō mentiri dicendo, Credo in Deum, quòd hanc ſententiam haud ex ſua ſed catholicæ eccleſiæ perſona proferat. Sicut illud Pſalmographi: Lauabo per ſingulas noctes lectū meū: lachrymis meis ſtratum meum rigabo. rectè verificatur, eò quòd eccleſiæ nomine ſic enuntiatur, quæ in nonnullis ſuis membris per ſingulas noctes lachrymatur. Alioqui non modò peccatores, ſed & multi iuſtorum mentirentur illud cantantes. At non videbitur alicui ſimile id quod inducitur: quia illa lachrymantis diſtributio per ſingulas noctes non vniuerſitatem, ſed lachrymarū multiplicationem deſignare poteſt: quā, tum iuſtus vt adhuc iuſtificetur, tum peccator vt in primis iuſtificetur præſtare valet. Nihilo minùs ſeruatur veritas peccatoris dicentis: Credo in Deū, quādo illud profert tanquam eccleſiæ miniſter in celebranda Miſſa. Sed ea ratio non videtur illum à mendacio liberare, quando ipſe nec vt miniſter eccleſię, nec forſan omnino vt eius membrum illud profert. Non enim de ipſa tunc eccleſia cogitat, ſed ferè tantùm vt perſona quędam ſingularis illud priuatè pronuntiat. Quid igitur dicendum? vt hic priuatus fidei confeſſor ac peccator verè ſe dicat credere in deum? forſitan id liquebit ex eo, quod modò ſubiungam. Poteſt enim duplex eſſe in deum intentio. Altera charitate formata, altera non formata charitate. Quæ enim intentio procedit ex vero & amicabili in deum amore, non dubium quin ſit charitate perfecta. Quę autem intentio prouenit ex amore concupiſcentis deum, licèt non dum ſit charitate perfecta, in deum tamen progreditur, & commoda eſt & apta, vt tādem additis debitis circunſtātiis charitate perficiatur: & quidem vtrāq; itur in Deum, licèt non ęquali gradu. Vtraq; enim eſt diligentis Deum, licèt non æquali amore: & vtranque Deus acceptat: alteram ad meritum, alteram ad profectum. Etenim piè intendit ac orat, & qui habet charitatem petendo eius augmentum, & qui non habet illam primam, petendo gratiā. Nā quanuis precatio ex bono naturæ deſiderio profecta non ſit meritoria, ſicut illa, quę eſt per charitatem: poteſt tamen eſſe expetiti boni impetratiua. Quia ſicut meritum diuinę innititur iuſtitię, ſic impetratio diuinæ miſericordię. His ita conſtantibus videtur nobis bifariàm poſſe credendo in deum iri, vel intentione ex charitate profecta, atq; amicitiæ amore perfecta: vel intētione ex proba habēdi Deū cōcupiſcentia nata, licèt nō dū charitate pfecta. Vtroq; itaq; modo ad Deū tenditur: alio tamen perfectiùs, alio autem imperfectiùs. Sed in tantum vt vterq; verum dicat ſe credere in deū, & qui credit in illum fide quæ per dilectionem operatur, & qui credit in deū fide, qua Deum per dilectionem nondū charitate perfectam ſibi concupiſcit. Auguſtinus autē id tantùm quod perfectum eſt expreſſit, cùm dixit: Credere in Deum eſt credendo eum amare, credēdo in eum ire, credendo ei adhærere, & eius membris incorporari. Hæc enim quatuor explicat Sāctus Thomas, quæ

pertinent ad fidem ſecundùm ordinem eius ad voluntatem, cuius eſt intendere finem. Diſtinguūturq́; ſecūdùm ea, quæ ad finis conſequutionem, qui Deus eſt, exiguntur. In primis enim exigitur affectio ad finem, ad quam pertinet credēdo amare: id eſt diligere, atq; deſiderare illum. Ex amore autem & deſiderio finis incipit aliquis in finē moueri, ad quod pertinet in eum ire. Motus autem in finem ſpectat, vt illuc tendens ei coniungatur: propter quod dictum eſt ei adhęrere credendo. Ex coniunctione autem ad finem aliquis perducitur in participationem perfectionum eius ad quod pertinet credendo membris eius incorporari. Hoc eſt enim credere in Deum perfectum per fidem & charitatē. Nihilo minùs eſt aliud credere in Deum imperfectum per fidem informem, bono tamē deſiderio in illum intentum. Quare tam qui fide formata, quàm qui informi mouetur in deum rectè, vereq́; poteſt dicere ſe credere in deum, in quem vel amicabili dilectione, vel proba concupiſcentia tendit. Accedit ad hoc ſapientiſſimus Toſtadus in decima ad quartūdecimum in Exodum caput quæſtione, ita diſſerēs: Eſt enim credere in Deum, intellectu & voluntate totaliter Deo inhærere: non quidem per amorem, quia hoc pertinet ad charitatē: ſed fide ſcilicet, quòd voluntas noſtra velit, & mandet intellectui noſtro aſſentire omnibus, quæ deus dicit, qualiacūq; & quātacūq; illa ſint, & mādet aſſentire omnib⁹, quę à catholicis de deo dicūtur, quātacunq; difficilia ſint: & q. ipſe intellectus aſſentiat omnib⁹ illis, nō quia illa intelligat, quia rationem noſtram effugiunt: ſed quia propter dei amorem illis aſſentimus: & iſta vocatur captiuatio intellectus noſtri in obſequium Chriſti, vt dicitur ad Corin. 2. cap. 10. & in hoc conſiſtit propriè ratio fidei, cùm omnia iſta credimus, & deum potentem ad hoc, & bonum exiſtimamus, vt totam mentem firmiſſimè in eo nullo exiſtente ſcrupulo ponamus. Hęc ille. At nè ſibi noſter Toſtadus contrarius videatur, animaduerte cùm priùs dixit: totaliter Deo inhęrere non quidē per amorem: amoris nomine ſignificaſſe eum, qui pertinet ad ſpiritualem amicitiam. Cùm verò poſteriùs dicit: ſed propter Dei amorē eis aſſentimus: deſignat eū qui ad cōcupiſcentiā attinet. Non q̃ à credente in Deū charitatē excludat, ſed vt doceat, ſufficere amorem cōcupiſcentiæ: quo affectus quicunq; credens, veraciter dicere valeat, Credo in Deū. Ad quod etiā facit quod ſanctus Thomas in articulo ſecundo ad quæſtionem ſecundam ſecundæ partis ſecundi libri dicit, vbi credendi differentiam ab Auguſtino aſſignatam pertractat: & nullā facit charitatis, ſed duntaxat voluntatis mentionem. Nimirum relinquēs illud credere in Deum vtriq; commune, tam ei, qui credendo tendit in Deum amore concupiſcentiæ, quàm ei qui amore amicitiæ in eundem fertur. Quòd ſi pœnitens prioris vitæ male actę, priùs mouetur concepta de deo fide ac timore, deinde deſiderio, poſteà ſpe, vt tandem obtenta venia per charitatē ei inhęreat. Liquet eiuſmodi pœnitentem priùs tendere in Deum per fidē ipſius deſiderio affectam, quàm per eandē charitate perfectam.

fectam. Poſtremò idem Auguſtinus huius diſcriminis autor catechumenis ita pręcipit: Accipite filii regulam fidei, quod Symbolum dicitur: & cùm acceperitis in corde ſcribite, & quotidie dicite apud vos antequam dormiatis, antequam procedatis veſtro ſymbolo vos munite. Nunquid hæc ille præcipiendo pręſcribebat eis, vt charitate perfecti Symbolum profiterentur? Putárim ego, ſalua meliori ſententia, Auguſtinum virum mitiſſimum optaſſe quidem catechumenos ex charitate ſymbolum profiteri, non tamen tantam perfectionem à recenter conuerſis ante ſuſceptum baptiſma exegiſſe. Quamobrem ſicut qui præſenti crimine Deo contrarius, actuq́; ab eo auerſus nequit veraciter dicere nomine proprio ſe tendere in Deum, neq́; credere in Deum: ſic & qui timore pœnarum, & præmiorum amore, quæ eccleſia catholica prædicat commotus, à peccato ad Deum conuerſus eſt, concupiſcendo tendit in Deum, ac verè dicit, Credo in Deum: licèt nō ita perfectè, ſicut ille qui procedit illa fide, quę per dilectionem operatur.

Aſſeritur Caietani expoſitio.

QVæritur, vtrū quòd Dominus pollicetur dicens: Si enī dimiſeritis hominibus peccata eorū, dimittet & vobis pater veſter delicta veſtra, ſemper eueniat? Reſpondetur primò, quòd ſi talis remiſſor iniuriæ fuerit in charitate, remittetur ei peccata: id eſt pœnæ peccatorum adhuc tolerandæ pro peccatis, de quibus iam toto corde pœnituit. Siquidem minus eſt remittenti pœnas quàm culpas remitti. Secundò. Si talis remiſſor ſit habitu in mortali peccato, bono autē affectu atq́; pio deſiderans obtinere à deo ſuorum delictorum ignoſcētiam, alteri qui eum offenderit libenter ignoſcit, nec non alium quemlibet infundendę gratiæ obicem de medio tollere conatur, Deus eius conatum perficiet, vt plenam ſuorum peccatorum veniam tandem aſſequatur. Is enim rectè probeq́; dimittenti ſibi, dimitti poſtulat. Huic enim ſententiæ ſuffragatur Rabanus dicens: Per hoc quòd dominus dixerat, Amen, ſignificatur, illis à domino conferri omnia, quæ ritè poſtulant, qui conditionis additæ ſeruare pactum nō negligunt. Profectò ritè poſtulant: quia adhibitis circunſtantiis ſubmotisq́; aliis atq́; aliis impedimētis exaudiri depoſcunt. Tertiò: Si quis dei nomine audito, eiuſq́; reſpectu proximo, qui ſe contumelia affecerat, libenter parcit: at tamen adhuc fornicandi affectu tenetur: haud ideo quia ignoſcit alteri, conſtat ei tandem dominum ſemper parciturum, cùm veniæ conſequendæ impedimētum prauo affectu contineat: & quia id non videatur Chriſtus actu à ſe auerſo promittere. Cęterùm putárim equidem nō raró cōtingere, vt eiuſmodi peccatori alteri propter Deum notabilem iniuriā remittenti, Deus ob eiuſmodi remiſſionem, ſpiritum verę cōtritionis infundat: quò demum ſit indulgentia dignus. Nā ſi nonnullis aliis rectè factis ſolent peccatores quaſi congruè mereri, vt ſic à deo adiuuen-

adiuuentur, vt tãdem omnia peccata auerſentur, eiuſq; gratiã cõſequãtur, multò magis ideueniet hoc facto pietate pleno, quod in tantũ Chriſtus extulit, vt ſit vel præcipuum conſiliũ adeuadenda ſupplicia peccatis debita. Id quod Auguſtinus teſtatur dicens in hæc verba priùs etiam inducta. Vbi non eſt prætereundum, quòd ex omnibus his ſententiis, quibus nos Dominus orare præcepit, eam potiſſimùm commendandam eſſe iudicauit, quæ pertinet ad remiſſionem peccatorum, in qua nos miſericordes eſſe voluit: quod eſt vnum conſilium miſerias euadendi. Denique forſitan hac traditione valeat hoc in loco Caietanus à Catherini reprehenſione defendi.

Vtrùm clericus lethale chrimen cõmittat res eccleſiaſticas vel auarè recondens, vel prodigè conſumens.

CAP. Primum.

Hæc autem quæſtio multiplices, varioſq; ſinus implicat: in qua explicanda doctores non contemnendi in diuerſas ſententias conceſſere. Ego autẽ quanuis non ſim is, qui tantas valeam componere lites, in eo tamẽ ſacerdotibus minùs eruditis operam meam nauabo, vt omiſſa ea opinione, quæ durior videtur, alteram quæ mitior eſt, quo ad meliùs fieri poterit, explicem, eandemq; pro virili breuiſſimo verborum compendio diligẽter abſoluam. Pro quo in primis notandum: eſt clericorum alios eſſe prælatos, qui bus totius epiſcopatus cura incumbit: alios inferiores animarũ curatores, eorũ coadiutores: alios canonicos: alios vel fabricæ, vel hoſpitalium, ſimiliũq; piarũ inſtitutionum adminiſtratores atq; procuratores. Eſt & ſecundò notãdum, virum eccleſiaſticum poſſe poſſidere duo bonorum genera. Alterum patrimoniale, vel aliunde iuſtè acquiſitum: Alterũ eccleſiaſticum, vel eccleſiæ reſpectu licitè acquiſitum. Dico autem licitè acquiſitum: quia interdum ſacerdos illicitè occupat eccleſiaſticos prouentus, vtpote is, qui per ſimoniæ labem beneficium obtinuit, vt clarè probatur in Extrauagante Pauli Veneti, quæ incipit: Cùm deteſtabile. de ſimonia. Vbi illa conſtitutio paulò poſt prĩcipiũ ſic habet. Per electiones verò, poſtulatiões, cõfirmatiões, prouiſiões, vel quaſuis alias diſpoſitiones, quas ſimoniaca cõtigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant in eccleſiis, monaſteriis, dignitatibus, perſonatibus officiis eccleſiaſticis, & quibuslibet beneficiis, aut aliquo eorũ cuiquã ius nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus ſuos. Sed ad illorum omnium, quæ percepit, reſtitutionem ſub animæ ſuæ periculo ſit adſtrictus. Hactenus conſtitutio. Præterea & ille, qui non intendit eccleſiæ administrare, & qui non facit ſuum officium, ſiue ſacramenta non adminiſtrans, ſiue non celebrans & ſacrificium non offerens pro illud procurantibus, ac decimas & primitias, aliaq; munera offerẽtibus: vel precationes ſtatutas tam diurnas, quàm nocturnas nõ perſoluens. Hi

Seſsione nona, in Bulla reformationis curiæ, & aliorum.

enim omnes non faciunt fructus ſuos: ſed tenentur eos reſtituere, iuxta decretum in ſecundo concilio Lateranenſi factum. Quod ſic habet: Statuimus & ordinamus, vt quilibet habens beneficiũ cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio, diuinum officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, beneficiorũ ſuorum fructus ſuos nõ faciat, pro rata omiſſionis officii & temporis: ſed eos tanquam iniuſtè perceptos in fabricas huiuſmodi beneficiorũ, vel pauperũ eleemoſynas erogare teneatur. Si autem vltra dictum tempus in ſimili negligentia contumaciter permanſerit, legitima monitione præcedente, beneficio ipſo priuetur: Cùm propter officium detur beneficium. Intelligitur autẽ officium omitti, quo ad hoc, vt beneficio priuari poſſit, qui per quindecim dies illud bis ſaltem non dixerit. Hoc igitur iam per eccleſiam definito de his, qui diuinum officium prętermittunt.

Caput Secundum.

IAM de bonis patrimonialibus ponitur talis cõſtitutio. Quicunq; clericus habet bona patrimonialia, vel alia, non tamen eccleſiaſtico iure ſibi acquiſita, eſt eorum verus & abſolutus dominus. Verus quidem: quoniam ius dat ei verum dominiũ. Siquidem non eſt alius, cuius ea bona eſſe debeant. Abſolutus autem: quia liberè bonis eiſdẽ vti poteſt. Quilibet enim in re ſua eſt moderator & arbiter. Ex quo ſequitur, authore ſancto Thoma articulo ſeptimo ad quæſtionem.185. ſecundę ſecundę, quòd clerici habentes talia bona, ex ipſarum rerum conditione nõ obligantur ea aliis conferre, ſed poſſunt eas ſibi retinere, vel etiã aliis pro libito elargiri: attamen in ipſarum rerum diſpenſatione peccare dupliciter poſſunt. Primò. Si talia bona auarè retineant: cùm vel cognatis, vel amicis liberaliter aut magnificè impartienda ſint. Cũq; eorum diſtributione non ſubueniatur eis, qui vel extrema, vel magna neceſſitate laborant ſecundùm quòd charitatis debitum requirit. Dexeris forſitã, Clericus diues ſuis bonis veſcatur, vt eccleſiaſtica bona pauperibus integra tribuat. At nõ ita, ſed multò aliter Chriſtus ſtatuit, dicens: Dignus eſt operarius cibo ſuo. Et Apoſtolus: Nemo militat ſuis ſtipendiis. Bene habet. Enimuerò qui habet ſua quibus alatur, cibo non eget alieno: vtatur igitur ſuo, & non abutatur alieno. Videris minùs intelligere quid dicas: quoniã ſuo ipſius cibo veſcitur, qui iure ſibi debito & impenſo vtitur. Et quanuis hęc ita habeant, putárim equidem æquitate plenum eſſe, obuia tanta pauperum tum publicorum, tum occultorum multitudine huiuſmodi clericum in primis ſuis bonis patrimonialibus veſci, quatenus ei ſufficerent: deinde ſi ea non ſibi ſatis eſſent, ad congruam ſuæ perſonę & ſtatus ſuſtentationem, de bonis eccleſiaſticis quantum ſibi deeſſet, partem capere: vt reliqua omnia in vſus pauperum integra ſyncerè expenderẽtur. Dixeris, Hoc facere eſt conſilii: non autem pręcepti. Sic habet. Sed occurrente pauperum neceſſitate id conſilii ſubiit præcepti naturam, quod præterire nefas ſit. Quin videtur

quòd

quòd ille talis clericus ſemper teneatur ex diuino mandato ſuis bonis alijs, vt eccleſiaſtica indigentibus quibuſlibet impartiatur: Hieronymo autore grauiſſimo in epiſtola ad Damaſum Papam ita tradente: Clericos illos conuenit ſtipendiis eccleſiaſticis ſuſtentari, quibus parentũ & propinquorum bona nulla ſuffragãtur. Qui autem bonis parentum, & opibus propriis ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt accipiant, ſacrilegium cõmittunt. Hinc & Apoſtolus in priori ad Timotheum epiſtola præcipit: Si quis fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis, & non grauetur eccleſia: vt iis quæ veræ viduæ ſunt, ſufficiat: Sed ad hoc reſponderi forſitan poßit, Hieronymũ de iis clericis verba facere, qui non ſunt addicti, vel adminiſtrationi ſacramentorum populo Chriſtiano exhibendorum, vel ad præſtandum aliquod officium eccleſię: vt qui altario non ſeruiunt, de altario non participentur. Vel ſicut ſanctus Thomas reſpondet, dicendum eſt, quòd non omnia bona eccleſiarum ſunt pauperibus largienda, niſi fortè in neceßitatis articulo, in quo etiam pro redemptione captiuorum & pro aliis pauperũ neceßitatibus vaſa quoq; diuino cultui dedicata diſtrahuntur: vt dicit ac cenſet eſſe faciendum Ambroſius: & in tali, vt inquit ſanctus Thomas, neceßitate peccaret clericus, ſi vellet de rebus eccleſiæ viuere, dummodò haberet patrimonialia bona de quibus viuere poſſet. Super quo Caietanus: Vide quòd clericus, ſiue epiſcopus quantumcunq; habeat bona patrimonialia, poteſt de eccleſiaſtica præbenda viuere, niſi in ſupradicto neceßitatis articulo: in quo tamen etſi peccaret viuendo de ſua prębenda, non tamen tenetur ad reſtitutionem: quia eius peccatum conſentiret in abuſu, quo non ſubueniret aliis quando ſubueniendum eſt. Libertas autem à reſtitutione conſurgit, ex eo quòd præbenda ſe habet vt ꝓpriũ clerici vel epiſcopi bonum. Deniq; hæc bona expendendo, cauere debet talis clericus infirmorum ſcandalum: & nè det calumniatoribus anſam detrahendi eius bonitati. Facilè enim ac libenter imponerent ei tetram impotentis auaritiæ notã ſi ſeruatis patrimonialibus bonis, eccleſiaſtica duntaxat in ſuos vſus cõſumat. Poſſunt & ſecundo modo eccleſiaſtici ſuis patrimonialibus bonis abutendo peccare. Idq; bifariàm: vel expendendo illa propter improbum finem, ſcilicet vt tali largitione viam ſibi aperiant ad aliquod flagitium, facinúsue perpetrandum: vel ob inanem gloriam eadem effundendo: atq; ob ludicram delectationem illa paraſitis & ſcurris leuiter donando. Id quod Auguſtinus valde reprobat, dicẽs: Donare res ſuas hiſtrionibus vitium eſt immane, non virtus: & ſcitis de talibus quã ſit frequens fama cum laude, quòd laudatur peccator in deſideriis animæ ſuę, & qui iniqua gerit, benedicitur. Deniq; quia hæc patrimonialia bona, & alia his ſimilia ſunt ſua ipſius clerici, tã ꝗ̃ ſunt ſua ſicut cuiuſlibet alterius, quomodocunq; ea prodigat: nemini tamẽ neq; pauperi, neq; reipublicę tenetur tantundem reſtituere. Quia eiuſmodi res ſunt proculdubio poſſidentium dominio deputatæ. Peccauit tamen eas res prodigendo, vel grauiter, vel mortiferè, vel auarè retinendo, pro negotii

negotii qualitate. & profectò quamuis eiſdem duobus modis laicus quoque peccet, tanto tamen grauiùs clericus eo peccat, quanto altiori dignitatis gradu prę ſtans virtutis opus potiùs exhibere tetur. Hoc enim eſt quod aiunt, Quando altior eſt ſtatus, tanto ruina maior.

Caput tertium.

S*VNT autem quædam bona fidei epiſcopi, vel alterius ſiue clerici ſiue laici, credita, in quoſdam pios vſus diſpenſanda: puta quibuſdam pauperibus alendis, vel puellis dotandis, vel infantibus expoſitis nutriendis, aut ſtudentibus ſcripturas ſacras ſuſtentandis, aut infirmis curandis ex ſpeciali inſtitutione eroganda: de quibus talis ponitur cõſtitutio. Quicunque talium bonorum adminiſtrator expendit ea in alios vſus præter eos ad quos peculiariter inſtituta ſunt, exitialiter peccat: & ad reſtitutionem eorum faciendam eis, quibus nocuit, omnino tenetur. Quoniam conſtat eum committere contra iuſtitiam commutatiuã, vel dando alienis aliena, vel ea ſibi retinendo; & ideo reſtituere tenetur ei, à quo abſtulit, vt æqualitas conſtituatur: reſtituto ei, qui minus habet eo, quod alter plus habet: vt pote ſi eleemoſynarius quiſpiam vltra ſtipendia ſua recipiat centum pecuniarum libras pauperibus diſtribuendas, ſi eis fraudem faciat, eas præter modum ſibi præfinitum expendendo, vel ſibi retinendo, lethaliter peccat, & ad damnum pauperibus illatum reſarciendum tenetur: nec ſolùm ipſe principalis damnificator reſtituere tenetur talia bona tam mobilia quàm immobilia, ſed illi quoque ad quos illa deuenêre, vt puta dilapidatoris ipſius cognati, vel amici: atque quilibet alii iniuſti eorum poſſeſſores eadem reddere debent damnum paſſis. Verùntamen, vt ait Toſtadus, fideles talium bonorum adminiſtratores ſi verè indigeãt, licitè poſſunt inde, quantum eis opus eſt, modeſtè accipere: id eſt non amplius, quàm vt ſuſtententur. Nam ſicut aliis pauperibus ex officio ſubueniunt, ita ſibiipſis inde neceſſaria tanquam verè egenis prouidere queunt: imò debent potiùs, cùm ſeipſos plus quàm alios ex charitate diligere teneantur. Viderint tamen circumſpectiſſimè, nè mentiatur iniquitas ſibi, neque pauperum bonis aut delitiari, aut ditescere tentent. Quia ſi ex illis abſque vera ſua ipſorum indigentia aliquid vſurpárint, inque ſuos vſus conuerterint, furti rei ſint: ac perinde quicquid de ſumma detraxerint, reficere debent, ſi ſeruari velint. Quid? ſi hoſpitale illud cui talia bona fuerunt applicata ſit ab infidelibus occupatum, aut aliás euerſum? planè conſtat ædificandum eſſe alterum priori ſimile in regione fidelium ex illius vectigalibus, ſi tamen extent: quo reædificato ſuſcipiantur in eo, atque foueantur pauperes, quales anteà ſuſcipi fouerique ſolebant. Quid ſi tales extent hoſpitalia? & ad ea neque pauperes, neque infirmi conueniunt, vt in eis alantur & curentur? Nimirum expendenda ſunt eorum vectigalia*

in ſuſtentandis aliis pauperibus & infirmis, qui ſint deficientibus perſimiles, velut eis cognatiores. Hoc enim tanquam bonum & æquum Dominus Didacus Alauenſis Eſquineleus, epiſcopus Abulenſis, Abulæ faciendum tam piè, quã prudenter inſtituit. Nam cùm extra muros eiuſdem vrbis ſint duo hoſpitalia dedicata curandis infirmis, alterum Lazareis, alterum Antonianis, in quibus nulla fit hoſpitalitas, ordinauit, & mandauit vt eorum prouentus, eiſq; ſuperflui, in curãdis ęgrotis gallico morbo infectis ĩ hoſpitali deo patri dedicato, eiſdẽq; medicãdis cõſtructo expẽderentur. Id quod diligenter exercetur magno talium ægrotantium commodo.

Caput quartum.

ACcedamus iam ad tractandum vel vſum, vel abuſum eorum bonorum quæ ſunt & dicuntur eccleſiaſtica. Qualia ſunt: Primitiæ, decimæ, & oblationes, & quæcunque intuitu eccleſiæ eccleſiaſticis, aut aliis donantur. De quibus illud in primis animaduertendum eſt, Cuncta illa bona à laicis porrigi ad ſufficiendum ea, quibus opùs eſt ad cultum diuinum, & ad congruam & decentem ſuſtentationem tum epiſcopi, tum clericorum, & ad pauperum ſubuentionem. Eſt enim inopinabile tantam decimarum, primitiarum, oblationum, donariorum, aliorumq; prouẽtuum copiam ſolis clericis à laicis donari in ſolos eorum vſus. Eſſet enim id iniquum, & improbum, & impium. Iniquum, quia contra iuſtitiæ ęqualitatem: improbum, quia ſuperfluum: impiũ, quia aduerſus pietatem, quam in Deum & homines præſtare tenemur. Rectè igitur Auguſtinus ad Bonifacium ſcribit: Si priuatum poſsidemus, quod nobis ſufficiat, non illa bona noſtra ſunt, ſed illorum quorum procurationem gerimus: non proprietatem nobis vſurpatione damnabili vendicemus. Hoc ſuppoſito conſiderandum eſt, quòd aut omnia bona eccleſiaſtica ſunt diſtincta, aut indiſtincta: ſi ſunt diſtincta, eorum diſtinctio deſcribitur in capit. quatuor. duodecima, quæſtione ſecunda. Quatuor autem tam de reditu, quàm de oblatione fidelium, prout cuiuſlibet eccleſiæ facultas admittit, conuenit fieri portiones: quarum vna ſit Pontificis: altera clericorum: tertia pauperum: quarta eſt fabricis applicanda. De quibus ſicut ſacerdotis intererit integram miniſtris eccleſiæ memoratam diſpendere quantitatem, ſic clericus vltra delegatam ſibi ſumman nihil inſolenter nouerit expetendum. Ea verò quæ eccleſiaſticis reſtaurandis ædificiis attributa ſunt, huic operi veraciter prærogata locorum doceat inſtauratio ſanctorum manifeſta. Quia nefas eſt, ſi ſacris ædibus deſtitutis in lucrum ſuum Præſul impẽdia his ſacris ædibus deputata conuertat: ipſam nihilo minùs aſſcriptam pauperibus portionem quanquàm diuinis rationibus ſe diſpenſaſſe monſtraturus eſſe videatur: tamẽ iuxta hoc quod ſcriptum eſt, ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videat opera

veſtra

veſtra bona, & glorificēt patrē veſtrū, qui in cœlis eſt: oportet etiam præſenti teſtificatione prædicari, commendari, & bonę famę præconiis non taceri. Ex hoc textu primò conſtat, quòd ſi bona eccleſię diſtincta ſint in quatuor partes, omnium ſimul coniunctorum ſic procurator & diſpenſator eſt epiſcopus, vt Pontificia autoritate fretus faciat vt quælibet perſona tam vera quàm ficta portionem ſuam accipiat. Idq́ue ita exequatur, quòd, vt iuxta Apoſtolum, fidelis dictum inueniatur, ſua tantùm portione contentus. Ex quo ſequitur, vt ait Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſtio.185.arti. ſeptimo (quòd ſi, vt dictū eſt) diſtincta ſint bona, quæ debent in vſum epiſcopi cadere, ab his quæ ſunt pauperibus, & miniſtris, & cultui eccleſiæ eroganda: & ſi aliquid eorum ſibi retinuerit epiſcopus de his quæ ſunt pauperibus eroganda, vel etiam in vſum miniſtrorum, aut in cultum diuinum expendenda, non eſt dubium, quòd contra fidem diſpenſatoris agit: & ad reſtitutionem tenetur. Ad huius autem ſententię clariorem intellectum multum facit quod idem autor ſcripſit in ſecunda ſecūdę queſtione. 62. articulo. 5. ad quintum: Prælatus, ait, poteſt rem eccleſiæ ſurripere tripliciter, puta ſi epiſcopus vſurpauerit res Capituli: & tunc planum eſt, quòd debet reſtituere ponendo eas in manibus eorum, ad quos de iure pertinent. Alio modo ſi rem eccleſiæ ſuæ cuſtodiæ deputatam in alterius dominium tranſtulerit: puta conſanguinei, vel amici: & tunc debet reſtituere eccleſię, & ſub ſua cura habere vt ad ſucceſſorem ipſius perueniat. Tertio modo poteſt prælatus ſolo animo ſurripere rem eccleſiæ, dum ſcilicet incipiat habere animum poſſidendi eam tanquam ſuam, & non nomine eccleſię: & tunc debet reſtituere, talem animum deponendo. Ex his Sancti Thomę verbis bene colligit Caietanus, quòd prælatus non ſolùm eſt diſpenſator rerum mobilium, ſed etiam immobilium cuſtos, & aliorum omnium bonorum eccleſię, quorum alienatio eſt ſibi iure prohibita: & ideo bene commentatur, quòd cùm in primo modo ſibi vſurpet rem alteri deputatam, clauduntur cuncta bona alteri deputata, tam particulari, vt canonico, officiali, portionario, & capellano, quàm collegio, vt capitulo, ſiue hoſpitali, quàm etiam multitudini, vt pauperibus, ſtudentibus, peregrinis, & infirmis, & cæteris id genus. In ſecundo autem modo ſub his quę ſunt epiſcopi cuſtodię deputata continentur prędia, fundi, domus, ornamenta, cunctáque vaſa ſacra, cenſus, vectigalia, reditus vniuerſarum decimarum, primitiarum, oblationum, aliorúmque prouentuum, atq; poſſeſſionum: quę vniuerſa iure cautum eſt, nè ab eccleſia alienentur, prę terquam in quibus id fieri licet, accedente ad id debita atque idonea ſummi præſertim Pontificis authoritate.

Caput quintum.

IAM VERO SI *eccleſię bona maneant indiſtincta, id eſt in quatuor illas*

O ii portio-

portiones non diuiſa, eorum diſpoſitionem Martinus Papa definiuit in.c.epiſcopus.10.q.2. Sic enim decreuit: Epiſcopus habeat poteſtatem in rebus eccleſię, vt diſpenſet neceſsitatẽ habentibus cum omni reuerentia & timore Dei. Participare etiam eum oportet quę neceſſaria ſunt, ſi tamen ipſe & qui cũ eo ſunt fratres indiguerĩt aliquo, vt neceſsitatẽ nullo modo patiantur, ſecundùm Apoſtolũ ſanctum dicentem: Victu tantùm, & tegumento, his contenti ſumus. Si autem res eccleſiaſticas in ſuas proprias voluptates vſurpare voluerit, aut fratribus, aut filiis, aut quibuſcunque propinquis dederit poteſtatem, vt per eos latenter lædantur res eccleſiaſticæ, hunc obnoxium oportet eſſe concilio. Sin autem epiſcopus & qui cum eo ſunt presbyteri, aut diaconi accuſentur quòd ea quæ vel ex reditu, vel quolibet actu eccleſiæ venerint, in ſuos vſus colligunt, & pauperes fraudant, & fame conficiunt: Hoc enim corripi oportet, ſecundùm quòd ordinatum fuerit à ſacro concilio. Vidiſti quomodò bonis eccleſię indiſtinctè manentibus, tum epiſcopus, tum presbyteri, & canonici, non domini, ſed diſpenſatores, & procuratores eccleſiaſticorum bonorum eſſe decernũtur. Vnde ſanctus Thomas.2.2.q.185.articul.7. probè inquit: Si verò eccleſiaſtica bona non ſunt diſtincta eorum diſpenſator eſt epiſcopus, eorundemq́; diſtributio fidei eius cõmittitur: & ſi quidem in modico deficiat vel ſuperabundet, ea diſtribuendo; poteſt hoc fieri abſq; bonæ fidei detrimento. Quia non poteſt homo in talibus pũctualiter accipere illud q̃d fieri oportet: ſi verò ſit multus exceſſus nõ põt latêre. Vnde videtur bonę fidei repugnare, & ideo nõ eſt abſq; peccato mortali. Dicitur enim Matthæi.24.capi. Quòd Matt.24.
ſi dixerit malus ſeruus in corde ſuo, morã facit dominus meus venire (quod pertinet ad diuini iudicii contẽptũ) & cœperit percutere cõſeruos ſuos (quod pertinet ad ſuperbiã) mãducet autẽ & viuat cũ ebrioſis (q̃d pertinet ad luxuriã) veniet dominus ſerui illius, in die qua nõ ſperat: & diuidet illũ (ſcilicet à ſocietate bonorũ) & partẽ eius ponet cum hypocritis (ſcilicet in inferno.) Vnde ſtatĩ ſequitur: Ibi erit fletus, & ſtridor dẽtiũ. In talibus igitur bonis indiſtinctis, vt idẽ ſanctus Thomas ait in quodlibeto.6. art.12. non ſolùm peccatur ex eorundem abuſu, ſed etiam ex ipſa rerum conditione, dum aliquis in ſuos vſus conuertit q̃d eſt alterius: & ideo tenetur ad reſtitutionem, tanquam defraudator rei alienę. Quod quidẽ peccatum committi poteſt ferè in omnibus caſibus in proximo capite exp̃ſsis. Ecõtrariò autẽ fidelis & prudens ſeruus, quem præpoſuit dominus eius ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram, in omnibus ſibi bonis commiſsis fideliter & prudẽter aget, & in eis dominicæ familiæ diſtribuendis diſtributorię iuſtitiæ regulam ſeruans communia illa bona rectè ac iuſtè diſpenſabit. Atque tam ſibi quàm aliis iuxta vniuſcuiuſque dignitatem & indigentiam quod opùs fuerit impartietur. Licebit igitur epiſcopo ex illis indiſtinctis eccleſię bonis tot tantáque ſibi ſumere, quot quantáque requiruntur ad ſuę perſonę ſtatusq́; ſuſtẽtationẽ:

proſpicietq́;

proſpicietq́; ſibi non ſolùm ea, quibus eſt opus ad viuendum, ſed etiam ad honeſtè agendum: id eſt non ſolùm ſecundùm abſolutam neceſſitatem, ſed etiam ſecundũ ſtatus ſui decentiam. Decentiam inquam non vtiq; ambitioſam, ſed modeſtam, neque ſecundùm apparatum pretioſarum veſtium, dapiúmue, quem humana vanitas & ingluuies finxit: ſed quem recta ratio præſcribit, & Chriſtiana pietas permittit. Dabit & eccleſiæ ſuæ miniſtris ſecundùm ſui cuiuſq; gradum & miniſterium omnia neceſſaria ad victum atque veſtitum, cęterosq́; vſus, ſine quibus vita hæc humana neque agi, neque decenter duci poteſt: præſertim ab eis, quos non modò interiori, ſed etiam exteriori mũditia nitere decet, vt à mundis munda tractentur. Enimuerò quia generali regula definiri nequit quid eſt quod deceat vnamquanque perſonam, vel ſtatum, id æſtimandum ſapientis arbitrio relinquitur. Enimuerò quia plus ęquo nobis placemus, & animo efferimur, tutius multo eſt in aſſignanda ſtatus decentia minuere potiùs quàm agere, & ad frugalitatem declinare: vt vel hac ratione ſuperſint plura pauperibus diſtribuenda. Impartietur item omnia, quæ eccleſiaſticæ fabricæ exiguntur, vt domus dei ſit bene conſtructa, adfabrè ædificata, & opportunis adminiculis inſtructa. Deniq; vt adſint domo Dei ſacra ornamenta, ſacraq́; vaſa, & ſacræ veſtes, cæteraq́; vtenſilia, quibus eſt opùs ad mundum atq; ſplendidum deo cultum exhibendum. His autem ita comparatis, quid ex toto illo eccleſiaſticarum opum aceruo reſiduum fuerit, in pauperum vſus expendendum eſſe videtur. Nam & interdũ incident tempora, cùm poſthabendi ſunt pauperes non extremè indigentes, vtpote ſi expendedæ ſunt eccleſiæ opes in cõducẽdis militib⁹ ad arcendos atq; propulſandos fidei hoſtes à Chriſtianorum finibus, eóſque ſi è re Chriſtiana fuerit, penitus opprimendos. Denique quia laici non dant decimas, & primitias, & oblationes tam vberes, vt epiſcopos aut clericos diuites faciant, ſed etiam vt ex eis pauperibus ſubueniatur, committunt illa bona epiſcopo tanquam eccleſię procuratori, & indigentium patri, qui eadem pauperibus diſtribuat: nè eis fraudati, rurſus laicis ſint oneri. Ex quo fit vt quemadmodum rex faceret iniuriam reipublicæ ſi exigeret ab ea duplicia ſtipendia militibus expendenda, vbi ſimplicia ſufficerent: ita epiſcopus iniuriam laicis infert, ſi dãda pauperib⁹, aliis prodigè donet. Quia ſic laici iterum compelluntur donare pauperibus, opportunè & importunè petentibus. Denique quoniam in priori caſu, & maximè in hoc epiſcopus male diſpenſans eccleſiaſtica bona eius curæ commiſſa, & perniciosè peccat, & ea reſtituere tenetur his, quibus nocuit, conſtat eum non eſſe illorum dominum, ſed diſpenſatorem, & procuratorem: & hoc eſt quod iura proclamant, illa vtique capitula, quæ fuerũt condita, quando clerici nihil proprium habebãt: ſed eccleſię bona indiſtincta erant, & omnibus communia.

Caput ſextum.

IAM verò quod proximo capitulo eſt affine, quæritur, vtrùm clericus præbendatus teneatur facere quatuor illas partes de reditibus eccleſię, & oblatione fidelium: ſcilicet, epiſcopo, clero, fabricę, atq; pauperibus. Huic quęſtioni reſpondet Syluester poſt Abbatem, cap. 1. de eccleſiis ędificandis. ſtandum eſſe conſuetudini, quo ad quartam epiſcopi, & fabricæ, quæ valet iuri derogare, niſi quando fabrica maneret derelicta. quia tūc eſſet irrationabilis ea conſuetudo, & non valeret, & teneretur dare quartam in vſum fabricæ. Hoc intellige habere locum, quando reditus ſuperſunt, detractis his, quæ ipſi clero ſunt neceſſaria. Quantum verò ad quartā pauperum, nulla valet cō ſuetudo in contrarium, quin teneatur ſacerdos præbendatus eam pauperibus erogare. imò plus dico, quòd non ſolùm quartam, ſed etiam omnia ſuperflua neceſſitati, ſcilicet perſonę & ſtatui, tenetur erogare pauperibus ſub pœna peccati mortalis, niſi in duobus caſibus. Primo ſi egeat fabrica: vel ſecundo, ſi velit dei cultum ampliare: nulla tamen extrema pauperum neceſſitate occurrente. Hæc ille. Sed eius dicta moderāda ſunt temperamento, quod apponit Ioannes Gerſonus dicens: Si bona eccleſiaſtica ſunt data generaliter & indiſtinctè alicui eccleſiaſtico, tam pro ſuſtentatione ſua quàm pro pietatis exercitio, poteſt eiuſmodi eccleſiaſticus mediocriter illis bonis vti ſecundùm decentiā ſui ſtatus, etiam ſi nihil reſiduum ſupereſſet pauperibus erogandum. Vnde, vt notat Innocentius in capi. cùm ab omni. de vita & honeſtate clericorum: Aſſignantur reditus eccleſiaſtici principaliter, vt clerici ex ipſis honeſtè viuere poſſint: nec tenentur pauperibus potiùs ſubuenire quā ſibiipſis, nec priùs reficere ędificia quā ſeipſos. Et de iis quæ ſuperſunt clericis, vbi ſibiipſis cōſuluerit, intelligendum eſt quod Hieronymus ait: Quicquid habent clerici, pauperum eſt.

Caput ſeptimum.

IAM verò de pauperum quarta tractandum eſt. Pro qua talis ponitur concluſio: Vbicunque quarta bonorum eccleſiaſticorum portio eſt pauperibus aſſignata, eſt eis integra tribuēda, niſi fortè vrgentiori neceſſitati ſit ex ea ſubueniendum. Prima pars huius concluſionis eo liquet, quòd pauperes ſunt veri domini bonorum ſibi applicatorum, & non epiſcopus, neque clerus, neque fabrica, qui ſuas habent diſtinctè portiones: neque laici, qui talia bona in eccleſiam intulerunt. Nam quùm primùm illa deo obtulerunt, ipſorum dominium à ſe in eccleſiam tranſtulerunt, quæ pauperibus ſuam quartam non tam gratis, quàm iure eis debitam aſſignant. quia ea de cauſa populus tantum prouentuum copiam annuatim ad eccleſiam portat. Ex quo exploratum habetur, omnes eos fures eſſe, qui talia bona pauperibus ſubtrahunt: eſſeque eorum reſtituendorū reos. Etenim in eos, qui accommodata pauperibus bona ſurripiunt ad literam Dominus per Iſaiam loquitur: Vos enim depaſti eſtis gregem

gem meum: & rapina pauperum eſt in domibus veſtris. Super quo Hieronym⁹: Reor hoc fuiſſe inter ſenes & prĩcipes veteris populi, quod inter epiſcopos & preſbyteros noſtri tẽporis. Noſtri quoq; principes cùm pauperes delinquentes publicè arguant & confundãt, & nec eis nutum faciant, in quorum domibus rapina pauperum inuenitur, dum eccleſiæ opes ſibi theſaurizant: & in delitiis abutuntur, quæ ad ſuſtentationem pauperum dantur: & ſibi reſeruant, vel propinquis tribuũt: & aliorum inopias, ſuas vel ſuorum diuitias faciunt. Hæc Hieronymus. Enimuerò ſi clericus portionis pauperum diſtributor rerum indigentia prematur, poterit impunè inde ſibi, ſicut aliis indigentibus ſubuenire, faciet tamen parcè, ac modeſtè: imò intra modum potiùs: cauebitq; omnino nè cupiditate cæcus egeſtatẽ fingat, vbi egeſtas non eſt. Secunda autem concluſionis propoſitæ pars eo eſt manifeſta, Quòd ſi cauſa fidei, vel reipublicæ exigat pauperum non extremè indigentium bona ad vtriuſq; defenſionẽ, relictis pro tempore iis, quæ neceſſaria ſunt pauperibus, ea poſſunt inculpatè expendi. Quia hæc bona particularia illis multò potioribus atq; vniuerſalibus bonis deſeruire debent, ſiquidem deteriora ſiunt meliorum reſpectu: quia hæc ſunt illorum finis.

Hierony.

Caput octauum.

ENimuerò meritò iã quęritur vbinã gentiũ lateat illa quarta bonorum eccleſiaſticorum portio pauperibus aſſignanda. Nullibi enim quod ego ſciam de communi aceruo ea pauperibus ſecernitur: nullibi in eorum vſus reponitur. Vbi igitur latet? Nam non videtur fuiſſe coniuncta bonis fabricæ deputatis, quæ paſſim ſunt adeò tenuia, vt vix eius ſumptibus ſufficiãt: neq; latere videtur in Canõicorũ Præbendis, quæ de communi redituum ſumma eorum ſingulis in proprios vſus conuertendæ quolibet anno attribuuntur. Eſto, nonnihil contrariæ ſuſpicionis afferat laudabilis admodùm conſuetudo, quam conſtanter ſeruat Abulenſis eccleſiæ Capitulũ, diſtribuendo videlicet pauperibus eleemoſynas, quantas res exigit ſingulis cuiuſlibet hebdomadæ quarta ſextaq; feriis, quoties hiſce diebus in cœtũ ſimul conueniunt. Adde quòd in feſtis tũ Natalis tum Reſurrectionis dominicæ diebus definitas habent eleemoſynas, pudentibus oſtiatim petere pauperibus diſtribuẽdas. Pręter id quod in nutriendis infantibus expoſitis non paucam ſuarũ pecuniarum copiam exhauriunt. Verùm hæc non ſunt indicia ſatis idonea quibus ſit nobis exploratum, pauperum portionem in Canonicorum portione concluſam latêre. Vbinam ergo latet pauperũ portio? Caietanus ſentit haud immeritò, apud epiſcopi portionem eam latêre. Moderatur autem ſuam ſententiam duabus propoſitionibus. Quarum prior eſt: Si reditus eccleſiaſtici epiſcopo aſſignati ſunt adeò tenues, vt vix ſufficiant ad ſubſidium epiſcopo comparandum: aut adeò mediocres, vt tantùm ei ſufficiant, parumq; ei ſupereſt, in epiſcopi quarta non includitur ea, quæ debet eſſe pauperum.

rum. Quoniam totus ille reditus Prælati ſuſtentationi deputatus eſt: ſicut peculiares portiones ſunt applicatæ ſingulis canonicis, & fabricæ. quæ quidem ſunt ſuæ ipſorum, ita propriæ, vt de eis non teneantur aliquid pauperibus erogare, tãquã id eis ſtricto iure debeatur. Nam cùm paruus eſt exceſſus, nihil iuris pauperibus affert. Quod enim parũ eſt, pro nihilo deputatur. Ex quo fit, quòd ſi talis epiſcopus paucum illud, aut aliquid plus de ſuo dimenſo tollens, ſiue bene ſiue male illud tribuat, non tenetur aliquid pauperibus reſtituere. Enimuerò ſicut eſt vituperandus ſi paucas illas opes in vſus improbos conſumpſerit: ita eſt laudandus, ſi eas ad probos vſus accommodârit. Quid igitur, ſi tam epiſcopus, quàm ſinguli canonici atq; fabrica potiantur reditibus duntaxat ſibiipſis ſufficientibus? forſitan nonnullis in locis fuerit illa pauperum portio xenodochiis conſtruendis, & ædificandis, & locupletandis, in quibus pauperes reciperentur, alerentur, & à morbis curarentur. Forſitan &, quod veriſimilius fuerit, vbi eccleſiaſtica bona nõ ſufficiebant, niſi ſuſtentandis epiſcopo, clero, atq; fabricæ, loco quartæ pauperib⁹ aſsignandæ ſucceſſit collecta, quæ ſingulis totius anni dominicis fit, vt eleemoſynis oſtiatim viritimq; congregatis, indigentibus præcipuè honeſtis ſubueniatur. Quid ſi bona fabricæ eccleſiæ alicubi applicata non tantùm eius vſibus ſufficiant, ſed omnes ſumptus et neceſſarios atq; vtiles plurimùm excedãt? Meritò ibi exiſtimari poſsit, in fabricali portione pauperum portionem contineri. Siquidẽ Symmachus Papa deſignatis ſeorſum epiſcopi & clericorum portionibus, partes fabricæ atq; pauperum ſimul velut vnicam portionem comprehendit, dicens: De reditibus eccleſiæ, vel oblationibus fidelium, ſola epiſcopo ex his vna portio remittatur. Duæ eccleſiaſticis fabricis, & erogationi pauperum profuturæ, à preſbytero ſub periculo ſui ordinis miniſtrentur. Vltima clericis pro ſingulorum meritis diuidatur. Sed quia his non obſtantibus ſemper remanet dubia quartæ pauperum manſio, reuertamur ad Caietanum. Cuius ſecunda Propoſitio eſt: Si reditus epiſcopo aſsignati ſunt adeò pingues & abundantes, vt in animum ſapientis cadere non poſsit, illos eſſe duntaxat ei pro ſola ipſius ſuſtentatione deputatos, meritò cenſendum eſt, in epiſcopi portione pauperum contineri portionem. Ratio eſt: quia fabrica, cleroq; ſeorſum ſuas partes habentibus, non eſt à pauperibus auferenda portio ſua, eiſq; iure debita: nihil aliud, quàm redundantia illa bonorum prælati remanent, vbi pauperum portio contineatur. Adde quòd illa talia epiſcopis bona remanent affecta antiqua illa ſanctáque iuris diſpoſitione, vt ex eis reddenda pauperibus quarta detrahatur. Nam quemadmodùm quando cuncta eccleſiaſtica bona erant communia, commiſſa erãt epiſcopo cum debito atque vinculo diuidendi ea in quatuor partes diſtribuendas, epiſcopo, clero, fabricæ, atque pauperibus: ita excluſis duobus membris, fabrica videlicet atq; clero à tali

bonorum communitate(quia clerici nūc obtinēt proprias Præbendas portionis ſuæ loco, & fabrica poſſidet portionem antiquitùs ſibi aſsignatam) proculdubio epiſcopalis bona remanent et pauperibus diſtribuenda. Siquidem adhuc pauperibus debetur ea bonorum eccleſiæ pars, quę anteà ipſis debebatur. Nec obſtat huic determinationi ſi dicatur, iura illa eſſe per contrariam conſuetudinem abrogata: ſciente tanto tempore Romano Pontifice pauperes à prælatis ſua portione fraudari, neq; eos compellente, vt eam ipſis reddant. Quia pernicioſam illorum bonorum vſurpationem nequáquam laudabilis conſuetudo, ſed illaudabilis abuſus induxit. quippe qui de prelatorum iniquorum auaritia profectus eam impiam fraudem ad hanc vſq; tempeſtatem produxit, in qua ſæua libido cuncta totáq; mortalium corda ſic occupauit, vt omnia tam diuina, quàm humana ſusq; deq; ferat: atq; pernicioſe admodùm perturbet. Deniq;, vt fertur, aggrauat, non minuit mala conſuetudo reatum. Et illud: Multa per patiētiā tolerātur, quę ſi ad iudicium deducerētur, arguerētur. Præterea dato quòd huiuſmodi iura ſint abrogata, quo ad id qđ eſt poſitiui iuris, hoc eſt, quo ad quotam portionem, vt iam non diſtribuatur pauperibus tota illorū bonorū quarta, ſed vel quinta, vel ſexta, vel quæuis alia: nō tamen abrogari queunt quantum ad id, quod eſt iuris diuini, hoc eſt, epiſcopos eſſe pauperum patres, ac perinde debere eis porrigere quantum ſit opùs ipſorum neceſsitatibus ſubleuandis vel extremis, vel magnis. Nihilo minùs fas eſt Prælato retinere ſibi neceſſaria ea quibus indiget ad ea quæ eius ſtatum decēt commodè exequenda. Deniq; ſi epiſcopus talia bona pauperibus debita prodigat, dādo ea ſuis cognatis non æquè indigentibus, vel aliis indignis perſonis nō ob earum paupertatē, puta vel hiſtrionibus, vel meretricibus, quod abſit à tanta dignitate, proculdubio non ſolùm grauiſſimum crimen incurrit, ſed etiam omnia quæ ſic perperàm dilapidauit, tenetur de ſuo patrimonio pauperibus reſtituere. Imò nec ſolùm ille eiuſmodi reſtitutioni eſt obnoxius, ſed etiam quicūq; eadem receperunt. Quia ſicut ille lapidator iure non potuit aliena dare: ita nec ipſi aliena licitè retinere valent.

Caput nonum.

COnſequēs eſt de fabricæ portione diſſerere. Super qua talis videtur ponenda concluſio: Si fabricę eccleſiæ non eſt aſsignata ſua quarta, & epiſcopales reditus ſunt ita pingues & ſuperabundantes, ſicut in proximo capite diximus, eodem modo eodemq; iure epiſcopus tenetur ex illis fabricæ prouidere commoda & neceſſaria, ſicut pauperibus quibus non eſt ſua portio diſtinctè applicata. Nam non minùs epiſcopo commiſſa eſt fabricæ eccleſiaſticæ cura, quàm pauperum: quin potiùs ampliùs: quia cū ſit multa, & ſi multis indigeat, nihil petere valet. Quid ſi portio fabricæ ſit tenuis, neq; ſufficiens his comparandis quibus indiget? Profectò epiſcopus tenetur ex abundantia ſua illius inopiam ſupplere. Quid ſi fabricæ

fabricæ vſibus ſua portio ſufficiat? Certè in eius bonis expendendis ſeruanda eſt regula, quæ inſerta eſt decretis, c.12.q.2.cap. Vobis enim. vbi ſic habet: Fabricis verò quartam quæ competit ad ordinationem Pontificis, erogatione veſtra decernimus eſſe penſandam. Si quid fortè ſub annua remanebit expenſa, electo idoneo ab vtráq; parte cuſtode tradatur en thecis, vt ſi maior emerſerit fabrica, ſit ſubſidio quod ex diuerſi temporis diligentia potuerit cuſtodiri: aut certè ematur poſſeſſio, quæ vtilitates reſpiciat communes. Quid ſi abundantiores fabricæ fructus non ſint ſeruati, ſed in rebus minùs vtilibus ab epiſcopo conſumpti fuerint, & inſequutis ſterilibus annis vſibus fabricæ defuerint? Certè tenebitur ex ſuis bonis fabricæ neceſſaria ſufficere. Quid ſi portionem fabricæ à ſua diuidat? Bene vtiq; faciet: nihilo minùs tenebitur præteritis damnis è ſuo reſarciendis. Quid ſi eoſdem fructus in fouendis pauperibus extrema vel magna neceſſitate laborantibus, aut redimendis captiuis inſumpſerit? Probè vtiq; fecerit: neq; aliquid eorum, quæ ſic expenderit, illi reſtituere tenebitur. Par enim eſt, fabricæ bona haud multùm indigentis, pauperibus eis indigentibus eſſe impartienda. Videtur & huius ſententiæ fuiſſe Auguſtinus, qui fabricis eccleſiaſticis vacare detrectabat, vt pauperibus proſpiceret. Et profectò primaria iuris tam diuini, quàm humani intẽtio in viuas potiùs fabricas, quàm mortuas fulciendas fertur: dummodò & neceſſaria & conuenientia tũ ſacro loco, tum diuino cultui minimè deſint. Accedit his quoq; ſanctus Thomas, qui in quæſtionis centeſimę octogeſimæquintæ ſecundæ ſecundi articulo ſeptimo ad quartum argumentum, Bona eccleſiarum, inquit, pauperum vſibus deſeruire debent: & ideo ſi quis neceſſitate non imminente prouidendi pauperibus, de his quæ ſuperfluent ex eccleſiæ prouentibus poſſeſſiones emat, & in theſauro reponat, in futurũ vtilitati eccleſiæ & pauperum neceſſitatibus profutura, laudabiliter facit. Si verò neceſſitas immineat ea bona pauperibus erogãdi, ſuperflua cura eſt inordinata, vt illa aliquis in futurum ſeruet. Id quod Dominus prohibet Matthæi ſexto capite, dicens: Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum. Matth.6. *Ex quo liquet verum eſſe quod Toſtadus pronuntiat. Dato, inquit, quòd eccleſia egeat, egeant & pauperes: cæteriſq; paribus, prę ſtabilius eſt, huiuſmodi bona pauperibus erogari, quàm eccleſiæ accommodari. Non enim homo propter eccleſiam, ſed eccleſia propter hominem eſt inſtituta. Inuenimus & à ſanctis viris factitatum, quòd propter magnam quorundam mortalium egeſtatem ſubleuandam, eſt eccleſia interdum indigẽre permiſſa, vt eis ſubueniatur: nimirum illius res vendendo, vel alienando, vel oppignerando: nam & pro captiuorum redemptione non modò alia, ſed etiam diſtrahuntur calices, in quibus ſanguis Domini conſecratur, & vt ait Ambroſius in libro de officiis, &* Ambro. *habetur in Decretorum libro, Cauſ.12. quæſtio.2. Capitulo, Aurum eccleſia habet, non vt ſeruet: ſed vt eroget, & ſubueniat*

ſubueniat in neceſsitatibus. Maximè autem ita ſentiendum eſt, atq; faciendũ: quia neceſsitas eccleſiæ nunquam poteſt eſſe vel extrema, vel abſoluta. Homines autem frequenter in vtranq; neceſsitatẽ vel extremã vel magnã incidunt. Quare melius eſſe credo plerunq; pauperibus, quàm eccleſiis huiuſmodi eleemoſynam tribui. Ad hęc licèt vtrunq; Chriſti ſit, pluris tamen facit Chriſtus hominem pauperem, quàm templum lapideũ, quod aliquando interibit, & quæ in eo aguntur ſacra ceſſabunt. Pauperes autẽ pro quibus mortuus eſt, viuent cum eo in æternum. Deniq; hæc expendite cum Caietano fabricarum eccleſiaſticarũ adminiſtratores, qui augendis eccleſiarũ prouentibus diligenter incumbitis, ac diligentiùs multò cauete nè patiamini tot inedia pauperes contabeſcere, puellas virgines dotis penuria periclitari, egenos ciues miſeram vitam agere, orphanos atq; pupillos omni ope deſtitutos male habere. Hæc inquam alta mente expendite, & nè quæ magis vrgent poſthabitis, multò minùs vrgentia curetis: memores illius quod dñs ad Caim dixit: Nonne ſi bene obtuleris, & male diuiſeris, peccaſti? Sed de his plura in tractatu de oblationibus diſſeruimus. Ad cuius lineam nunc ſcripta ſunt moderanda: ex omnibus quæ in hoc capite diſcuſſimus, conſtat hanc propoſitionem eſſe veram: Fabrica eccleſiæ de ſibi ſuperfluo eleemoſynã facere tenetur: Siquidem nihil in eccleſia Chriſti eſſe debet inutile. Si argutus impugnator ad Dialecticã nos reuoces, dicasq; in illa Propoſitione affirmatiua ſubiectũ pro nullo ſupponere, ac perinde eam eſſe falſam: reſpondetur quòd licèt hoc nomen, fabrica, pro nullo ſupponat veritate perſonali, tamẽ ſupponit pro perſona fictitia iuris fictione. Quis ergo eleemoſynę diſtribuendæ debitum ſoluet? nimirum fabricæ adminiſtrator: qui cùm ſit perſona vera, exequi tenetur quicquid facere deberet fabrica, ſi eſſet perſona vera. Deniq; legimus ſæculis proximis ſummum Pontificem conceſsiſſe Hiſpaniarum Regi ad cogendum exercitũ aduerſus Saracenos perpetuos noſtræ fidei hoſtes ex portione eccleſiaſticæ fabricæ attributa, in tresq; partes diuiſa, duas earum ad inſtantẽ neceſsitatẽ ſupplendam. Eſto, expendantur illæ in eundem vſum eadẽ neceſsitate manẽte. Sed quomodò laicis vendantur, & perpetuò ab eccleſia alienentur bellicis vſibus, nunq̃ ampliùs pro futuræ, conſiliarii tum regis, tum ſummi Pontificis viderint. Mirũ & illud quòd iidem laici redduntur immunes à contribuendo aliquid ex illis eccleſiaſticis reditibus, ad complendam ſummam nouorum ſubſidiorum, quæ hac tempeſtate à clericis exiguntur. Nam ſi non ſunt iam bona eccleſiaſtica, quare decimas non ſoluunt? Si verò ſunt adhuc eccleſiaſtica, cur communia eis onera non participant? Soluat Abbas.

Caiet.

Caput decimum.

VTrùm ſicut epiſcopi tenentur de bonis fabricæ eleemoſynam modo iã prædicto facere, ita & Abbas monaſterii de eius bonis eleemoſynam eodem modo facere teneatur.

teneatur. Huic quæſtioni Toſtadus noſter ſatiſfacit quæſtione ſeptuageſima ſexta ad ſextum capitulum euangelii ſecundum Matthæum, dicens: Quòd ſicut eccleſia tenetur ſubuenire magnis pauperum neceſſitatibus, ita & locuples monaſterium. Nam. c. 12. q. 2. cap. quiſquis. ponitur æquale debitum, de epiſcopo & abbate: ſcilicet quòd ſicut epiſcopus diſponere poteſt de rebus eccleſiæ, ita & Abbas de rebus monaſterii: & ſicut epiſcopus non poteſt dare cognatis ſuis aliquid de rebus eccleſiæ niſi ceu pauperibus, ita nec abbas de rebus monaſterii. Ergo à contrario ſenſu poterit inde cognatis pauperibus aliquid dare. Imò vt dicit Raymundus in Summa li. 2. titu. de nego. ſæcul. Quicquid ſupereſt neceſſitatibus monaſterii, tenetur Abbas in pias cauſas erogare: dicente Chriſto Ieſu Domino noſtro, Quod ſupereſt, date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis. c. 12. q. 1. c. Quia tua. & monachis competit dare eleemoſynam in neceſſitatibus pauperum: ſcilicet, victũ & veſtitum. c. 16. q. 1. c. ſi cupis. vbi dicitur: Quòd eleemoſyna indifferẽter omnibus danda eſt: & quod præter victum & veſtitum, & manifeſtas neceſſitates nihil cuiquã tribuendum eſt. Omnes igitur eccleſiæ tam ſæculares quã religioſæ in extrema vel maxima pauperũ egeſtate, & redemptionis captiuorum neceſſitate eis eleemoſynis ſubuenire tenentur. Quòd ſi prælati tam eccleſiarum, quàm monaſteriorum id nõ fecerint, pro rei qualitate vel venialiter, vel mortaliter peccant: tantóq; grauiùs, quanto ſuperiorem locum in eccleſia obtinent.

Caput vndecimum.

Est & illud quæſitu dignum, Vtrùm epiſcopus, ſiue canonicus ſuam portionem habẽs, facta illa quatuor portionum diuiſione, ſit verus dominus ſuæ portionis? Sanctus Thomas in ſecunda ſecundi quæſtionis centeſimæ octogeſimæquintę articulo ſeptimo reſpondet, ita eſſe eius dominum, ſicut ſui patrimonii. De his, ait, quæ ſunt ſpecialiter vſui epiſcopi deputata, videtur eadem ratio eſſe, quæ de propriis bonis: vt ſcilicet propter immoderatũ affectum & vſum peccet quidẽ, ſi immoderata ſibi retineat, & aliis non ſubueniat: ſicut requirit debitum charitatis. Non dixit, quòd erat iuſtitiæ id quod addendum eſſet ſi non epiſcopus eſſet bonorum ſibi applicatorũ dominus. Præterea omnia bona quantumcunque anteà communia, per certam iuſtamq; eorum diuiſionem proprium dominum ſortiuntur. Sed epiſcopus ſiue canonic⁹ habet ſuam quartam portionem ex diuiſione cunctorum bonorum eccleſiaſticorum iure facta ſibi applicatã: eſt igitur proprius eius dominus. Præterea ex quarta epiſcopo ſiue canonico deſignata, ſoluẽda ſunt creditoribus debita quæ vteruis eorum cõtraxerit: non ſolùm ad ſui ſuſtentationem, ſed etiam alia quauis de cauſa. Sunt ergo talia bona vtriuis eorum propria: ac perinde vteruis ipſorũ eſt proprius illorum dominus. Hanc vltimam rationem Adrianus comprobat eo quod refert Collectarius in capitulo, Odoardus. de ſolutionibus. ſe vidiſſe in Curia vt clericus nihil habens de patri

monio admiſſus fuerit ad cedendum fructibus beneficii, deducto quantum ſufficit ad adminiſtrationem diuinorum. Et quanquam doctores aliqui velint hoc ſolùm procedere, quando clericus pro ſuſtentatione ſua debita contraxerit, videtur tamen diuinatio ad capitu. Olim. ii. de reſtitutio. ſpoli. vbi neque dicitur quòd epiſcopus, de quo ibi agitur poſt pulſionem ſui de epiſcopatu debita contraxerit, vt ſic intelligatur pro ſuſtentatione ſua contraxiſſe, vt vult Panormitanus: neq; enim pro ſua ſuſtentatione illa debita contraxit, ſed potiùs ante quàm pulſus eſſet, etiam partem alienæ diœceſeos occupauerat, quam cum fructibus ex ea perceptis reſtituere compelli iuſſus erat. Et profectò ad huius concluſionis corroborationem plurimùm facere videtur. c. peruenit. de fideiuſ. vbi mandatur de fructibus beneficiorum creditoribus ſatiſfieri, quibus erant eccleſiaſtici obligati. Adſtipulatur & iterum eidem ſententiæ ſanctus Thomas in quot. 6. arti. 12. vbi reſpondẽs ad tertium argumentum in ſentẽtia, inquit, Quod verbum Hieronymi, quod poſuit ſuper illud Iſaiæ. c. 3. Et rapina pauperum in domo veſtra eſt: Bona clericorum bona pauperum ſunt; procedit de illis bonis, quæ ſpecialiter deputata ſunt pauperum vſibus, & ex conſequenti in ſui miniſtrorum, qualia ſunt hoſpitalium bona, & cætera id genus. Secùs autem res habet, ſentiendumq; eſt de bonis illis, quæ principaliter attributa ſunt vſibus miniſtrorũ eccleſiæ, quales ſunt præbendæ ſingulis eorum applicatæ, nec aliorũ prouiſioni accommodatæ: & in his vtique prodigendis, vel auarè retinendis, nulla defraudatio fit, ſed iniquus committitur abuſus: & ideo ea bona dilapidãtes, nulli ad reſtitutionem ei faciendam obligantur: ſed tenentur pœnitentiã agere de huiuſmodi bonorum vel auara retentione, vel prodiga diſſipatione. Animaduertiſti Lector, imò iam, vt reor, cognouiſti quibus rationibus probatũ eſt, epiſcopum eſſe ſuæ quartæ quamuis pinguis, dominum proprium. Conſtare quoque clericũ ſuæ quartæ etſi abundanti, proprium eſſe dominum. Ac ſubinde quemlibet canonicum re vera ſuæ præbendæ proprium eſſe dominum, & abſolutum eius obtinere dominium: cùm primùm facta fuerit præbendarum partitio ex tota illa redituum ſumma, quæ ſuo cœtui contigerit. Ex quo compertum habetur, quod ſi Canonici ſuam præbendã, quin etiam ea quæ ex illa ſibi conueniunt, male conſumpſerint, peccant vtiq; grauiter, ſiue mortaliter, ſiue venialiter: nemini tamen debent male conſumpta reſtituere. Quod & ex eo comprobatur, quòd ſicut pauper eleemoſynas ſibi traditas delitiosè prodigens, non tenetur eas reſtituere ipſarum largitoribus: ita neque epiſcopus, nec canonicus præbendam ſibi ſpecialiter accommodatam perperàm effundẽs debet aliquid reſtituere eis, qui oblationes ſuas in eccleſiã intulerint. Quia eas non hominibus, ſed deo obtulerunt. Et ideo tam epiſcopus, quàm canonicus ſoli Deo remanet obligatus, vt de eiuſmodi rebus, quarum ipſius nomine ſortitus eſt dominium, rationem reddat: & nõ alicui certæ perſonæ, cui bona prauè

diſsipata reſtituat. Offendit autem ille talia bona prodigendo deum ipſum, quẽ admodùm ſi ciuis in magna reipublicæ neceſsitate magnum auri pondus in mare proiiciat, peccat ille quidem grauiter in rempublicam, ſed nemini tenetur æquale auri pondus reddere. Quòd ſi è contrario dixeris: Si ſuſcipiens ſub fideicommiſſo centum dipondiorum milia, vt ex eis capiat quantum ſibi victui ſit ſatis, atq; veſtitui, totumq; reliquum det Petro, ſi illud reſiduum diſperdat, tantundem Petro reſtituere debet: ita eſt: ſed vbi epiſcopus, vel canonicus habet ſuam bonorum eccleſiaſticorum quartam ab aliis ſecretam, vtiq; eſt eius verè dominus: idcirco nulli obligatur ſtricto iure, vt ſuperfluum ei reddat. Quia nullum alium præter ſe illius ſuperflui dominum agnoſcit. Nonne agnoſcit pauperum cœtum, cui ſit illud ſuperfluum diſpertiendum? Agnoſcit quidem: ſed vt illud reſiduum eis tribuendum ſit charitatis debito, non iuſtitiæ obligamento: quia tale ſuperfluum non eſt pauperibus ſpecialiter applicatum: cùm ipſi pauperes in caſu poſito iam quartam ſuam ſeorſum poſsideant. Id quod ex eo etiam manifeſtiùs ſciri poteſt quòd epiſcopus ſiue canonicus liberè poteſt talia bona ſibi ſuperflua in alios pios vſus expendere: puta ad Bibliothecam ſacrã conſtituendam. Nec obſtat quòd à ſanctis bona clericorum, bona pauperum dicantur. Prædicantur enim talia, non vtique quia proprietario iure ad eos ſpectent, vel ſpecialiter eorum vſui deſtinata ſint: ſed quia illis in neceſsitate poſitis ſunt diſtribuenda: Si tamen aliquid nõ occurrat, quod in ſuũ ipſius vſũ magis, ſiue æqualiter piũ expẽdẽda vrgentiùs exigat. Nonne ſimiliter dicunt: ſuperflua quę diuites retinẽt pauperum eſſe, & per eos aliena detineri: nihilominùs ipſum proprium ſuperfluorum dominium apud eoſdem diuites permanet. nec licet pauperibus ſuperflua illa à diuitibus ſua ipſorum autoritate tollere: niſi fortè in extrema neceſsitate pauperes poſiti aduerſus diuites ius ſibi dicerent. Quòd ſi vlteriùs nobis obiicias ſanctorum voces clamantium, furtum, rapinamq; committere ſacerdotes non tribuẽtes omnia quæ ſibi ſuperflu unt pauperibus: memineris eos emphaticòs, id eſt per exaggerationem loqui, vt ſacerdotibus perſuadeant, cuncta ſibi ſuperflua libenter, ac incunctanter egenis elargiri. Nam furtum & rapina tunc propriè ſolũ committi dicitur, cũ id quod re vera alienum eſt, inuito domino vel aufertur, vel detinetur: nõ autem quando metaphoricôs extenſo per ſimilitudinem vocabulo alienum vocatur, quod alteri, licèt non iuſtitiæ, tamen charitatis debito, ſit tribuendum. Sit tibi documento, quòd idem ſancti doctores idem criminis attribuunt laicis diuitibus ſuperflua recondẽtibus, vel ea in captandis voluptatibus expendentibus, quibus non lege fiſci, ſed lege Chriſti: id eſt non ſtricto iure compulſi, ſed charitate permoti pauperes alere deberent. Non tamen tales diuites ſua bona prodigentes, nec ex eis indigentibus prouidentes, re vera ſunt fures & latrones, ſed furibus & latronibus perſimiles. Quare huiuſmodi ſacerdotes nõ

ſunt

ſunt in auribus vulgi fures & raptores prædicandi: neq; tanquam veri fures & raptores apud ignobilem, indoctamq; plebeculam traducendi: ſed grauia illa ſanctorum doctorum aduerſus auaros ſacerdotes verborum fulmina, nequáquam ſunt ambitioſa iactatione proclamanda: ſed ſæpe mollienda potiùs, ſemper autem chriſtiana pietate exponenda, auditoribusq; declaranda. Nè ſumma cum ſacerdotalis ordinis iniuria auditores cenſeant ſimilitudinarios veros fures atq; raptores eſſe.

Caput duodecimum.

ENimuerò quia ſunt aliqui canonici textus qui videntur ſonare, neq; epiſcopos, neq; canonicos, neq; animarum rectores habentes pingues prębendas eſſe earum dominos: ſed tantummodò diſpenſatores. Dicit enim beatus Hieronymus: Quicquid habent clerici, pauperum eſt. Sunt doctores prædictis textibus innitētes, qui aſſerunt, non eſſe illos proprios portionis quartæ pinguiſq; eiſdem aſsignatæ dominos: ſed puros diſpenſatores. Alijs verò quos vt veraciores ſequor atq; mitiores, prioribus contradicentibus, affirmantibusq; prædictos præbendatos eſſe veros ſuarum prebendarum etiam pinguium dominos: ſicut ſunt proprii patrimonii ſui. Placuit mihi his ſcriptis apponere Toſtadi noſtri viri ſapientiſſimi ſententiam, quæ media videtur inter vtrunq; extremum: licèt in ſententiam quam nos amplectimur propenſior videatur. Tradit igitur in quæſtione ſeptuageſimaquarta ad ſextum caput in euangelium ſecundùm Matthæum, & epiſcopos & canonicos ita eſſe ſuarum pinguium præbendarum dños, vt ſint etiã earũ diſpenſatores. Quin & forſitan eius dictis innoteſcet illas diſsidentium authorum opiniones non tam rebus, quã verbis eſſe contrarias. In hunc deniq; modum ille diſſerit, ac poſt multa ita concludit: Dicendum igitur quòd clericus eſt dominus fructuum beneficiorum, & etiam eſt diſpenſator: & vnum non derogat alteri. Dicitur enim dominus in quantum fructus efficiuntur ſui. Nam non eſt poſsibile eſſe ſuos, quin ipſe ſit eorum dominus. Dicitur autem diſpenſator in quantum iſti fructus proueniũt ei ab eccleſia, quæ inſtituit eos principaliter ad hoc, quòd clericus ſuſtentaretur de illis: quia aliàs nemo eſſet, qui miniſtrare vellet in eccleſia: niſi eccleſia ſuſtẽtationem præberet. Sicut enim dicitur prima ad Corinthios nono: Qui altario ſeruit, de altario viuere debet; Et deus dixit Leuitis, Numerorum decimooctauo, quando dedit eis decimas. Filiis Leui dedi omnes decimas Iſrael in poſſeſsionem pro miniſterio, quo ſeruiũt mihi in tabernaculo fœderis: & conſequenter dat eccleſia illa bona vt pauperes inde alantur. Quia eccleſia recepit bona de eleemoſynis fideliũ, & vult quòd in illis alẽdis expẽdãtur. Maximè id liquet cũ eccleſia ſit à deo inſtituta, eſt optimè ordinata, & ſingulæ res ſuę bene diſpoſitæ ſunt: fructus enĩ ſuos ad bonũ finem ordinat. Sed quia ditari nõ eſt bonum, ſed pertinet ad auaritiam, & etiã

eſt occaſio peccandi, dicente Apoſtolo prima Timoth. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueos diaboli: non intendit eccleſia quenquã ditare, ſed ſolùm dare ſuſtentationem. Quicquid autem aliud eſt, ab eccleſia non eſt intentum, nec etiam ipſæ res poſſeſſæ ſunt niſi ad ſupplendam indigentiam noſtram: & ideo vocantur vtiles, quia ad vſum ſunt, & id maximè competit Chriſtianis & potiſſimè clericis: dicente Apoſtolo. 1. ad Corinthios ſexto: Eſt quæſtus magnus pietas cum ſufficientia: id eſt lucrum noſtrum non eſt in hoc, quòd cõgregemus multas diuitias: ſed in hoc, quòd habeamus ſufficientiam pro neceſſariis: & de reliquis pietatem, id eſt eleemoſynas faciamus. Et ſubditur ibi cauſa, ſcilicet, Nihil enim intulimus in hunc mundum: neq; auferre quid poſſumus. habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Vnde eccleſia non intendit dare clericis niſi neceſſaria. Si autem aliqua ſuperfuerint, vult quòd illa expendantur in vſus pauperum: vt innuitur. 12. q. 1. illi autem. & c. nulli epiſcoporum. & c. ſi priuatum. Clerici ergo tenentur hoc expendere in pias cauſas, ad quas eccleſia illud inſtituit. Si autem expendant in alios vſus, peccant: & tamem quia clerici effecti ſunt domini fructuum licitè acquiſitorum de beneficiis ſuis, non tenentur ad reſtitutionem. Quoniam etſi in malos vſus expendant, etiam ſi in turpes, trãſfertur dominium in alios, ſicut ſi darent eis de bonis patrimonialibus: peccant tamen mortaliter, quia faciunt contra eccleſiæ conſtitutionem & intentionem. Sed quia dominium eorum transfertur in alium, non competit eccleſiæ eorum repetitio. Aliàs quandocunq; clericus non habens aliunde bona, niſi de fructibus beneficiorũ, daret aliquid meretrici, vel cõcubinæ, aut hiſtriõi, aut etiã alicui perſonæ honeſtæ: dum tamen non eſſet pauper, nec daretur ei intuitu paupertatis, cõpeteret mãifeſtè eccleſię repetitio aduerſus perſonas illas: & tamẽ neq; eccleſia neq; iura iubent fieri talem repetitionẽ. Innuũt ergo quòd illa quę ſic data ſunt, verè trãſeunt in dominiũ eorũ quibus dantur. Alioquin ſi epiſcopus ſciret quòd ſimiles clerici dediſſent aliquid concubinis, vel aliis perſonis ſimilibus, præterquam pauperibus, ſiue clericis ſiue non, tenetur nomine eccleſiæ iſta repetere à prædictis perſonis, alioqui male adminiſtraret: ſicut ſi ſciat epiſcopus quòd clericus alienauit aliquas poſſeſſiones eccleſiæ vel beneficii, tenetur repetere ab illis, qui eas detinent: & tamen nullus epiſcopus quantumcunque bene adminiſtrans, talia repetit: nec eccleſia iubet ea vnquam repeti. Innuitur ergo quòd non competit repetitio pro illis: competeret autem ſi poſſeſſores non fuiſſent effecti domini: & tamen non potuiſſent effici domini per traditionem ſi accepiſſent ab illo, qui non erant dominus. Clericus ergo eſt verè dominus fructuum licitè acquiſitorum de beneficiis ſuis, & maximè in beneficiis ſimplicibus. Quòd autem vocentur clerici etiam diſpenſatores & adminiſtratores fructuum beneficiorum, non prohibet eos eſſe dominos. Nam non vocantur diſpenſatores,

quia

quia eccleſia conceſſit eis iſta bona, vt expenderent ea in vſus certos: ſed concedendo fecit ea ſua ipſorum, cùm non dederit eis ſolam adminiſtrationem, ſed etiam dominium: & ideo iure vocantur aliquando clerici procuratores rerum eccleſiaſticarum, vt in.14.q.1.c.& temporis.quandoq; defenſores.16.q.1.c.in ſacris canonibus.quandoq; patres, vt.68. diſtinct.c.quorum vicês. In bonis autem prophanis illi qui ſunt domini vocãtur domini, & non diſpenſatores: quia bona illa pertinent ad eos ſimpliciter, & non ſunt ſibi data ad vſum certum. ſic tamen poterat eſſe in prophanis, quòd eſſet aliquis verus dominus & diſpenſator: vt ſi quis daret alicui certam poſſeſſionem, vt eſſet ſua: & tamen teneretur quolibet anno facere certas eleemoſynas: & quòd iſte poſſit de illa re teſtari vel donare eam cui vellet, aut qualitercunque alienare, dum tamen ad quencunque perueniret trãſiret cum iſto onere, non eſt dubium quòd iſti eſſent domini iſtius poſſeſſionis, & tamen etiam eſſent diſpenſatores. quia tenentur diſpenſare fructus eius, vel certam partem eorum in certos vſus: ita eſt de fructibus beneficiorum, quia dantur clericis in ſuos, & tamen perueniunt ad eos cum iſto onere, ſcilicet quòd in certos vſus ab eis expendantur. Ideo clerici domini efficiuntur fructuum, & licèt peccent mortaliter ea quæ ſuperfluunt eis non expendendo in cauſas ſuas pias: ſi tamen in quaſcunque alias cauſas expenderint, etiam ſi ſint turpes, verè acquiritur ius eis quibus dantur, & ideo etiam ſi ſit notorium non competit repetitio eccleſiæ aduerſus eos. Hæc ex Toſtado tranſtuli, non vt plagiarius quiſpiam: ſiquidem ea in ſuum autorem retuli: ſed id feci in gratiam eorum qui Toſtadeos Codices non habent.

Caput decimumtertium.

Conſequio autem quodam oportet aliquanto exactiùs inquirere, vtrùm clericus cuiuſcunque gradus habens propriam præbendam pinguemq; debeat totum quod ſibi ſupereſt pauperibus erogare. ad quod reſpondetur per aliquas propoſitiones. Quarum ſit prima: Non licet tali clerico habere propoſitum non dandi pauperibus ſuperflua ſuæ perſonæ, ac ſtatui, vt diteſcat. Peccat enim mortiferè, etſi ad nullũ vſum malum ea congregare intendat. Quia illud eſt contra perfectionis ſtatum quẽ habet, & tollit exemplum beneficentię, quod laicis præbere debet. Peccat & aduerſus liberalitatem, auarè retinendo ſuperflua, quæ indigẽtibus impartiri tenetur, vt pote eorum diſpenſator. quia tenetur & idem ſuperflua illa egenis charitatis iure donare. Quod nõ modò clericos, ſed etiam laicos conſtringit: prædicante Ioanne Baptiſta, Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti: & qui habet duas eſcas, ſimiliter faciat: id eſt habens quod eſt ſibi ſuperfluum, det illud indigenti. Non tamen hoc ſiue conſilium, ſiue præceptum cùm ſit affirmatiuum, ſic eſt accipendum, vt pu-

temus quòd cùm primùm quis aliquid habet ſibi ſuperfluum, è veſtigio illud egenis tribuere teneatur. Quoniam ſi pauperes non extremè, vel valde indigeãt, eos inculpatè præterire poteſt, vt illius ſuperflui expenſionem in alia opera magis pia magisq́; neceſſaria reponat. Non enim alia liberalitatis opera ſunt ſemper pro ſubueniendis pauperibus prętermittenda, vt docuit Dominus Ieſus cùm nobilem illam vnguenti pretioſi effuſionem approbauit, pro Maria Magdalena dicens: Bonum opus operata eſt in me. Et vt doceret non defuturũ tempus opportunum benefaciẽdi pauperibus, adiecit: Pauperes enim ſemper habebitis vobiſcum: & cùm volueritis, poteritis eis benefacere. Hoc eſt, ſi pauperibus quodã tempore non benefeceritis, alio tamen eis benefacere poteritis: nempe quando volueritis: hoc eſt quando librata ratione, piaq́; voluntate id faciendum decreueritis. Nam cùm præceptũ de ſubueniendo pauperibus non obliget, vtpote affirmatiuum, vt quolibet tempore eis ſubueniatur, ſatis eſt eos iuuare quoties ratio recta eis conſulendum eſſe dictauerit. Secunda concluſio: Opùs eſt vt clericus ſuperflua poſſidens non ſolùm careat intentione retinendi ea ſibi, ſed etiam vt habeat propoſitum expendendi ea in opera pia, quando fuerit opportunum, ſiue neceſſarium, ſiue vtile: idq́; facto complere. Prima autem opportunitas expẽdendi opes in pauperũ vſus, eſt vel extrema, vel valde magna eorum indigentia. Sed profectò hæc neceſſitas non tantùm clericos, ſed etiam cunctos mortales adſtringit, ſi poſſint taliter indigentibus opitulari. Nam & ſi nos indigentes ſimus, illa tamẽ neceſſitate non premamur, illis extremè indigẽtibus opem ferre omnino tenemur: quia ſcriptum eſt: Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodò charitas dei manet in illo? quam ob rem manifeſtè conſtat, quòd ſi ſuperflua ſibi non habens tenetur indigentibus pro loco & tẽpore benefacere, multò magis id facere debet, qui ſuperfluis abundat. Quod & illa Ambroſiana ſentẽtia cõfirmatur. Neq; minus eſt criminis habẽti tollere, quã cùm poſſis & abundes negare indigẽti. Quòd ſi hinc argumẽteris, hoc modo ſemper eſt peccatum mortale violenter tollere alienum: ſemper eſt igitur peccatũ lethiferũ clerico nõ dare ſuperfluũ, etiã vtcũq; indigenti. Reſpõdet ſanctus Thomas, verbũ illud Ambroſianũ nõ ſolùm eſſe referendum ad diſpenſationem rerũ eccleſiaſticarum, ſed etiam quoruncunq; bonorum, ex quibus tenetur aliquis debito charitatis neceſſitatem patientibus prouidere. Quòd ſi vlterius quæras de qua neceſſitate loquitur ſanctus Thomas? Certè non ſolùm de extrema, ſed etiam de alia quauis notabili pauperum indigentia. Id quod manifeſtè arguitur ex eo, quod Ambroſius tractat de ſuperfluo & ſtatus & perſonæ. Dicit enim, cùm poſſis & abundes. In eundem ſensũ Toſtadus interpretatur diui Ambroſii & ſancti Thomæ dicta, dicens Quòd autem beatus Thomas de Aquino dicit, Habens ſuperfluum non tenetur dare eleemoſynam pauperi, niſi exi-

ſtenti

ſtenti in neceſsitate: non eſt intelligendũ de ſola extrema. Quia etiam non habens ſuperfluum, tenetur de neceſſariis ſibi nõ extremè indigenti dare pauperi in extrema neceſsitate poſito: nunquam tamen obligatur quis dare eleemoſynam niſi pauperi in aliqua neceſsitate, id eſt in indigentia poſito, cùm de ratione eleemoſynæ ſit, quod donet indigenti, ad eius inopiam reuelandam: quanuis hęc neceſsitas non ſit extrema, neq; maxima, ſed quędam notabilis indigentia illis minor. Quando autem huiuſmodi indigentia ad eleemoſynam exercendam inciderit, iudicio prudentis viri relinquendum eſt. Ac prout ille ſubducta ratione cõlectauerit, aut adeſſe, aut abeſſe indigentiam, cui ſit, vel non ſit occurrendum, cenſeri debet: ita qui poteſt, aut confeſtim indigẽti opitulabitur, aut opes ſuas in aliud tempus diſtribuendas ſeruabit. Denique ſi iudicauerit eſſe ſuperfluum habens inſtare tempus indigentibus ſubueniendi, & non ſubuenerit eis, exitialiter officiũ omittit: & ſi meritò cenſuerit, non adeſſe talem indigentiam cui occurrere debeat: nihil de ſuperfluo dando non peccabit. Deniq; tam laicus, quàm clericus tenetur in extrema neceſsitate pauperibus ſuccurrere: & vterq; tenetur pauperibus de ſuperfluo perſonæ & ſtatui notabiliter indigentibus vitæ ſubſidia præſtare. Sed ſacerdos magis obligatur, quàm laicus: qa laico licet theſaurizare filiis ſuis, ſacerdoti autem non licet: quia neque filios habere debet: & ſi habeat, tantùm debet eis neceſſaria relinquere tanquam pauperibus, & ſecundùm iuris diſpenſationem. Deniq; videtur clericus habens ſuperflua debere donare pauperibus, nõ ſolùm ſibi occurrentibus ſicut laicus, ſed etiã eos quęrere vt eis de ſuperfluo ſubueniat: ſcribente Hieronymo ad Damaſum papam. 16. q. 1. c. quoniam. Quoniã, ait, quicquid habẽt clerici pauperum eſt, & domus eorum omnibus debent eſſe cõmunes, ſuſtentationi peregrinorum & hoſpitum inuigilare debent. Verbum enim, inuigilare, Emphaſim habet: magnamq; exigit ab ipſis clericis circunſpectionem, atq; attentionem, & ſtudium in veſtigandis pauperibus, ſiue publicis ſiue honeſtis, vt illis illa ſibi ſuperflua impartiantur.

Caput decimumquartum.

SI autem quęratur, vtrùm liceat clericis ex eccleſiaſticis rebus cognatis ſuis aliquid donare? Reſpondemus, non ſolùm id licère, ſed eſſe quoq; laudabile: ſeruata tamen modeſtia, quam diuus Ambroſius deſcribit, dicens: Hæc eſt approbanda liberalitas, vt proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas: non tamẽ vt illos ditiores fieri velis ex eo quod tu potes conferre pauperibus. Ex hac verò Ambroſiana regula iuuat aliqua inferre dicta: quorum Primum ſit: Clericus cuiuſcunq; dignitatis ſit habens bona patrimonialia, aut alia eis ſimilia aliunde licitè acquiſita, iure poteſt ſuo ea dare cognatis ſuis, tam diuitibus quàm pauperibus. Meliùs autem faciet dãdo ea pauperibus cognatis: imò etiam extraneis valde indigentibus: quin potiùs ſi donaret illa cognatis diuitibus, & non aliis

valde indigentibus, proculdubio plurimũ peccaret: licèt nihil teneretur eis reſtituere. Quoniam illa bona erant omnino iuris eius, vtpote veri Domini. Attamen ſi plures ſint pauperes, & magna inopia laborẽt, debet clericus bonis ſuis patrimonialibus ſuſtẽtari, quatenus ſufficiunt, vt totam præbendam ſuam pauperibus valde indigentibus erogent: dicente Auguſtino ad Bonifacium: ſi priuatũ poſsidemus quod nobis ſufficiat, non illa bona noſtra ſunt, ſed illorũ quorum procurationem gerimus, nõ proprietatem vſurpatione damnabili nobis vendicemus. De quo relege primum huius tractatus caput. Secũdum dictum: Si clericus curam habeat diſtribuendi aliqua bona ſpecialiter pauperibus applicata, licebit ei ſuis cognatis pauperibus non minùs quàm aliis donare. Attamen ſi definita ſit certa bonorũ quãtitas cuilibet pauperi tribuẽda, minimè licebit maiorẽ partẽ ſuis cognatis quã aliis impartiri. Si verò nõ ſit determinata, debet fideliter illa bona pauperibus diſpartiri, ſecũdũ vniuſcuiuſque indigẽtiã. Quòd ſi bona diſtribuẽda nõ omnibus ſufficiãt in diſtribuẽdo ea, licet ei cognatos ſuos aliis præferre, ſiue ſint alẽdi, ſiue à morbis curandi: ſiue puellæ nuptui tradẽdę, ſiue pueri ſacris literis inſtituendi. Caueat tamen circumſpectiſsimè nè mentiatur iniquitas ſibi, præferatq́ ſuos vel indignos, vel minùs multò indigentes dignioribus atque indigẽtioribus: habeatq́ ille prę oculis illam admonitionem, quę eſt in Cauſa.12. queſt.2.c. epiſcopus. Epiſcopus, ait, habeat ſolicitudinem rerum eccleſiaſticarũ & diſpenſet eas tanquam deo cõtemplãte. Aliter autem non liceat ei fundere quicquam ex illis, vel cognatis vel propinquis donare quę dei ſunt. Quòd ſi pauperes fuerint, vt pauperibus largiatur. Cęterũ ſi ex prędictis cõmunibus bonis, aut parentibus, aut fratribus, aut ſororibus ſuis aliquid amplius quã cęteris dederit, nõ eſt ille vituperandus. Cõcedendũ eſt enim aliquid affectui, ac ſtudioſo proq́ labori, quem in procurandis pauperibus inſumit. Tertium dictum, quod eſt Sancti Thomę. Si epiſcopus de eo, quod eſt ſibi deputatum, & clericus itidem de eo, quod eſt ſibi aſsignatum in proprios vſus, velit vtcruis eorũ aliquid à ſe ſubtrahere, & conſanguineis vel aliis illud dare, minimè peccat, dummodò id moderatè faciat: id eſt, vt illi non indigeant: nõ autem vt diuites inde fiant. Poteſt igitur clericus habẽs pinguẽ præbendam dare cognatis & amicis ſuis adeò congruã ſuſtentationem, vt mendicare non cogãtur. Enimuerò hęc moderatio cẽſebitur honeſta, non vtiq́ ſecundũ ſtatũ clerici, qui fortè eſt epiſcopus, ſed ſecundùm generis ipſius cõditionẽ. Siquidem eleemoſyna haud ſtatus exaltationẽ, ſed indigentiã reſpicit: id eſt nõ eſt tribuẽda, vt aliquis ab humili ad ſublimem ſtatũ extollatur, ſed vt egeſtas ab eo tollatur: & quoniã in puellis habere congruam ſuę conditionis dotẽ inter neceſſaria ad ſuſtentationẽ computatur, fas eſt illi cognatas ſuas conuenientibus dotibus maritis elocare: metieturq́ epiſcop⁹ dotes eis dãdas nõ pro epiſcopatus ãplitudine, ſed pro cognationis modo: tantumq́ bonorum eis dabit, quantum ſit eis opus ad ſuſtinenda onera matrimonii: & ad honeſtè viuendum

in

in illo ſuo vel humili, vel mediocri ſtatu.
Attamen ſi clericus cognatis ſuis pau-
peribus pro matrimoniis contrahendis
dederit plus aliquid quàm daret extra-
neis, ſi non ſit immoderatum, conſenta-
neum eſt rationi, atque laudabile. Qui-
libet enim, vt rerum natura fert, magis
tenetur cognatis ſuis pauperibus quàm
aliis, ampliusq́; proſpicere. Caueat ta-
men ille, nè nimia in ſuos deuinctus affe-
ctione, perſuadeat ſibi dare paucum, cùm
det nimium. Quia eleemoſynę dādæ cau
ſa non debet eſſe gratia, id eſt affectio:
ſed natura, id eſt inopia, vt ſentit Am
broſius. Altera autem dicti ſancti Tho
mæ paulò ſuperiùs citati, pars eſt, non
eſſe dandum cognatis ſiue amicis tantū
de bonis eccleſiaſticis quo fiant diuites:
hoc eſt, vt habeant ſuperflua, id eſt plu-
ra quàm indigeant, ad ſuam ſuorumq́;
modeſtam congruamq́; ſuſtentationem.
Hoc enim cūcta iura proclamant: hoc
omnes ſancti doctores ſentiūt: & pręſer
tim Ambroſius in libro de Officiis. Id
qđ habetur. 86. diſt. c. nō ſatis. vbi eſt, ait,
probāda & alia liberalitas, vt pximos
ſeminis tui non deſpicias ſi egêre cogno
ſcas. Meli⁹ eſt enī vt ipſe ſubuenias tuis,
qb⁹ pudor eſt ab aliis ſumptū depoſcere,
aut alicui poſtulare ſubſidium neceſſita-
tis: nō tamen vt illi ditiores fieri velint,
ex eo quod tu debes & potes conferre
inopibus. Cauſam enim natura præſtat,
non gratia: neq; enim propterea te deo
dedicaſti, vt illos diuites facias, ſed vt
tibi perpetuam fructu boni operis ac-
quiras, & pretio miſerationis peccata
tua redimas. Putant ſe parùm poſcere,
præmium quærunt tuum: vitæ tuæ adi-
mere contendunt fructum, & accuſant
quòd eos diuites non feceris, cùm te ve-
lint illi parentes æternæ vitæ fraudare
mercede. Hæc ille grauiſſimus iuxtà ac
ſanctiſſimus autor. Vnde manifeſtè cō
ſtat grauiſſimum crimen committere cle
ricos cuiuſcunq; ſint dignitatis inſtituen
do cognatis ſuis primatus, quos maiora-
tus appellant, vt eos ex ignobilibus nobi
les, ex pauperib⁹ diuites, ex popularibus
magnates reddant. Neque minùs peccāt
qui primatus iam olim inſtitutos redde-
re locupletiores de bonis eccleſiaſticis
pergunt, quò fiant illi multò potentiores:
& quod maximè dolendum eſt, ii qui ex
officio deberent in aliis cupiditatis ignē
extinguere, voluptatumq́; fomitem, atq;
bellorum fomenta intercidere, ea omnia
pernicioſa malorum irritamenta incitant,
fouēt, & augent. Proculdubio qui talia
agunt, regnum Dei non poſſidebunt.

Caput decimumquintum.

DEniq; digladiantur inter ſe a-
cerrimè doctores tam Theo-
logi quàm Canoniſtæ, differē
tes vtrùm clericus poſſit de bonis ſuper-
fluis ſibi de quarta ei aſſignata, teſtamē
tum condere. Sed equidem nolui in hac
controuerſia immorari. Siquidem in no-
ſtra Hiſpania ſicut epiſcopo non licet
teſtamentum condere de bonis eccleſia-
ſticis ſine ſummi Pontificis conceſſione:
ita inferioribus eo clericis conſuetudo
eſt, non ſolùm de patrimonialib⁹, ſed etiā
de eccleſiaſticis bonis ſpecialiter ſibi aſ-
ſignatis teſtamentum facere, vidente &
conſentiente tum proprio eorum Præla-
to,

to, tum ſummo Pontifice. Qua quidem conſuetudine à iuris violatione defendũtur. Suffragatur & huic conſuetudini ratio: quia ſi clerici ſint bonorum ſuæ quartæ domini, ita vt ſuperflua ſibi pro libito donent: ita & in morte licebit eis ſuperflua ſibi pauperibus vel alienis, vel cognatis, temperamento prædicto adhibito legare. Quid ſi talis clericus inteſtatus obierit? Profectò bonis patrimonialibus eius, & eis, quæ propria induſtria acquiſiuit, ſuccedẽt cognati ipſi: eis verò quæ de bonis eccleſiæ eiúſq; ſolo intuitu acquiſiuit, ipſa ſuccedet eccleſia. quo modo Pontificio iure decretum eſt.

De tribus decadibus quibus maior minorq́ mundus conſtat.

ENIM VERO *quoniam in quibuſdam ſuperioribus tractatibus mentionem feci nõ paruam de tribus decadibus quibus vterque mundus conditus eſt, viſum mihi fuit operæpretium Lectori facturum, ſi mirabilem earum concẽtum his adſcriberem. Si quis igitur numerica ratione rerum naturas diligenter expendat, forſitan inueniet quàm ſcienter inſignis poëta illud cecinerit,*

Numero Deus impare gaudet.

Quem quidem numerum Ariſtoteles Philoſophus ille omnium diligentiſſimus in libro de Cœlo & mundo ternarium eſſe decernit. Nec mirum. Siquidem ſuprema illa, ac beata, ſimul & beatifica natura, & mundi melioris origo, eodem numero contenta ab vnitate per binariũ proficit in trinitatem. Ab vno nempe Patre gignitur Filius, & vtroq; procedit Spiritus ſanctus, in quo ſiſtit intraria illa diuinę naturæ vbertas: ſcilicet nè in infinitum procedendorum ratio intra deitatis ſinum fruſtra ſuccreſcat. Porrò ab omnipotẽte, ſapientiſſima, & optima Triade quæcunq; creata ſunt, in certo numero, pondere, & mẽſura ſunt perfecta. Vnumquodq; enim creatorum propria cõſtat natura, peculiari quadam vi pollet, nec non agnatam ſibi actionem præſtat. Enimuerò inter reliqua animantia longè amplioribus naturæ dotibus præditus eſt homo, & multò excellentiùs auctus vt iam ſit diuinis muneribus excipiẽdis aptus, & cœleſtibus ſacramentis obeundis idoneus: quippe qui ad vnius Maximi atq; Optimi Dei imaginem & ſimilitudinem fuerit conditus. Hinc enim ratione pollet, fidei eſt particeps, & videndi Dei capax. Nam ſi Deum mirificum humanæ naturæ autorem duntaxat conſideres, qua eſt ſpiritus, inde homo ad exemplar ſui opificis vim intelligẽdi accipit. At ſi rurſum eundem Deum concipias, prout vnus eſſentia tres complectitur perſonas, certè opùs eſt hominẽ ſuperiori quodam lumine perfundi, quo inſtructus arcanum diuinę trinitatis myſterium, quod humana ratione aſſequi nequit, per fidem vtcunq; attingat. Iam verò ſi intellexeris illum ipſum Deum aperta bonitatis ſuæ immenſæ comprehenſione perfrui fœliciſſimè, magna cum ratione miraberis vt dignetur mortales glorioſa quadam luce perfuſos ipſius fruendi

cadi compotes fieri. Sic planè fit, vt homo mirabile dei opus, & pietatis capax, ab vnitate, id eſt ratione bonis moribus inſtructa per binarium fidei, quæ eſt de Chriſto Deo & homine, ad ternariũ illum diuinæ maieſtatis auguſtiſſimum accipiendum perbeatè conſcendat. Verũ vt tanta myſteria explicatiùs dignoſcantur, operæpretium eſt animaduertere, quòd ſi à ternario computando progrediaris, addita vnitate quaternarium conſtituis, qui tum reliquis tribus præcedentibus complet denarium. Vnum enim & duo & tria & quatuor ſimul ſumpta ſunt decem: qui quidem numerus creaturæ conuenit aptiſſimè: ſicut ternarius peculiari quadam ratione congruit creatori. Cùm primùm enim à creatore diſceſſeris, in creaturam incidis: haud enim ſecùs quàm à ternario in quaternarium. Quo recepto, ſi quis exactè obſeruet primam illam atq; mirabilem mundi conditionem, quę in primo Geneſeos capite deſcribitur, facilè noſſe poterit, totam rerum molẽ ab vno trinoq; Deo decẽ tantùm verbis fuiſſe cõditã, in partesq; ſuas diſſectam, & propriis dotibus abſolutã. Decies enim eo in loco replicatum eſt illud: Dixit Deus. Deinde præcipua huius orbis conſpicabilis portio, homo, vt arte & ratione viuat, iuſtitiamq; colat, à ſua ipſius creatione præditus eſt etiã aliis decem verbis, quę in Decalogo continentur. Hæc enim eſt illa lex ab æuo condito mentibus humanis inſita: qua homo velit nolit & recta probat, & praua improbat. Cæterùm attollendus erat adhuc homo diuinum animal ad ſublimiorem quandam deitatis notionem, cõſummatioremq; iuſtitiam, quàm ea eſſet quã per naturalem illam legem contingere ac præſtare poterat. Ideóq; adiecta ſunt illi diuino munere alia decem verba, quibus admiſſis conſors fieret diuinæ naturæ, quantum hęc quam degimus mortales vita patitur. Sunt autem illa ea, quibus inſtruimur tribus illis virtutibus theologicis, fide, ſpe, & charitate: ſeptemq; donis Spiritus ſancti, ſapientia & intellectu, ſcientia & pietate, conſilio & fortitudine, & timore Domini. Hoc denario vita ſpiritualis penè ad ſummam prȩter Dei viſionem proficit his, qui cœleſtibus oraculis credũt. Enimuerò ſi aliquis has tres decadas commodè inter ſe conferat, forſitan inueniet mirabilem quandam & ſapientia plenam inter eas conſonantiam. In quam ſi nos cogitando, diuináq; ope fulti peruenimus néc ne, pio lectori examinandum relinquimus. In primis itaq; dixit Deus, Fiat lux: & iubet primo Decalogi præcepto Deum coli, rerumq; parentem agnoſcere. & fides virtutum theologicarum prima, hominem lumine ſuo cultui diuino ſubſternit. Dixit ſecundò fieri firmamentum in medio aquarum, aquáſq; ſuperiores ab inferioribus diuidere: & iubet ſecundò homini vni deo reddere iuramenta ſua, ac perinde præcipit ambiguam veritatem inter ancipites partes neutiquàm iuratis creaturis, ſed deo ipſo teſte firmandam, eóq; aquæ inferiores fluxæ ſunt & inſtabiles: ſuperiores verò & ſtabiles & ſolidæ. Et quidem humana cuncta ſunt incerta: at diuina immota veritate conſtãt. His germana ſpes veluti anchora firmiſſima mentem hominum adeò roborat & attol-

attollit, vt pectore conſtanti negotis per ardua & vltramundana capeſſat. Dixit tertiò Deus: Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida: & tertiò præcipit homini, vt dimotis turbidis ac cœnoſis ſuperſtitionum ac falſarum religionum aquis mentem ſuam ab omni impietatis labe deterſam excipiendæ ſoli veræ pietati cœlitùs traditæ religioſe patefaciat. Cui ſanè pietati, ac vero & ſpiritnali ſabbathiſmo præſtò ad eſt charitas, qua homo veluti cœleſti quodã igne incenſus ardensq́; ſuperſtitioſas culturas exurit, cunctaq́; fortunæ, quam dicunt, ludubria, quæ cultoribus ſuis tenebrarum princeps polliceri ſolet. Poſtergat quieti mentis & contemplationi qua Deus nunc per ſpeculum & in ęnigmate videtur, & in futuro facie ad faciem contemplandus expectatur. Dixit quartò Deus: Terram germinare herbam virentem, omnemq́; arborem frugiferam: & quartò præcepit homini parentes honorare, id eſt ſuaues pietatis fructus erga genitores ſuos perpetua viriditate proferre. Eò etiam pertinet pietatis donum, quo & gratus amor maioribus rependitur, & cultus debitus exhibetur. Dixit Deus quintò, fieri duo luminaria magna: luminare maius vt præeſſet diei, luminare minus, vt præeſſet nocti: & quintò præcipitur homini nõ occidere, id eſt nè mẽtis lucẽ lumẽue rationis furioſis irarũ perturbationibus extingui patiatur. Sed tã luminare maius quã luminare minus, id eſt tã ratio ſuperior quã inferior in propulſandis iniuriis apud animi firmamẽtũ perpetuò luceãt. Huc ſpectat ſciẽtię donũ, quo fit, nè homo ira percitus aliquãdo deſipiat, ac perinde furiata mẽte, quẽquã contra ius & fas occidat: Ob id ſceleris & ipſe tãdẽ occidatur. Dixit Deꝰ ſextò, vt aquę producerẽt piſces, ſimul & volucres, quę animãtia ſunt fœcũdiſſima. Et ſextò pręcipitur homini, nè more illorũ libidinum humoribus defluat, aut amorũ ventis per inane feratur. Eam cõtinẽtiã facilè præſtat is, qui affectus eſt ſapiẽtię dono: quo fit vt humanæ mẽtis palato adeò dulciter diuina ſapiãt, vt ei carnalia prorſus deſipiant. Deinde benedixit Deus animantibus ex aquis ortis: atque dixit ſeptimò: Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris, auesq́; multipicentur ſuper terram: & ſeptimò præcipitur homini furto abſtinere, ſuiſque contentum agere: ac perinde imitatus piſces ac volucres propria fœtura locupletes patriis artibus opes ſibi innocenter comparare. Nec enim aliud ſibi vult domini conſilium, quo homo bene inſtitutus mauult proprio labore, opera, & induſtria victum ſibi quęritate, quàm aliena rapere & iniuſtum furis nota ſuſpendio perire. Octauò dixit Deus, vt produceret terra animam viuentem in genere ſuo: id eſt iumenta, & reptilia, & beſtias terrę ſecundùm ſpecies ſuas: & octauò præcipitur homini, vt quemadmodũ terra neutiquam mentitur animantium genera, ſed ſingula non alienis, ſed ſuis formis perficit: ſic ipſe nec malis artibus rerum naturas adulteretur, nec cauſarum merita falſis teſtimoniis peruertat: ſed illud ſyncerè præſtet, quó vocat intellectus. nempe in dictis factiſque exactè & in primis colęre veritatem. Quę diligen-

ter

ter obſeruata proculdubio nos Deo pro ximos facit. Nonò, magno conſilio decreuit Deus dixitque facere Hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: & nonò præcipitur illi alienam vxorem mi nimè appetere, ſuámque vnicè diligere. Id eſt vnica Chriſti ſapientia delectari, eidẽ ꝗ́ innexũ ſpiritus Sãcti vinculo peni tus hęrere, tantumq́; ſe illi obſeruandæ maritare: & ita maritare vt longè maius nefas eſſe credat prauas opiniones ĩpius hęreticas nuptas adamare, quã alienas vxores cõcupiſcere. Ad qđ multùm profectò facit timoris Dominici donũ, quo homo diſtrictus anxiè veretur, & prudenter cauet, nè vnquam carnali, aut ſpirituali adulterio polluatur. Hæc enĩ in cauſa ſola fuga victoriam pręſtat. Decimò tandem dixit Deus: præcepit que homini vt terram habitatoribus repleret, eámque ſibi ſubiiceret, cunctorumq́; animantium dominaretur: & decimò pręcipitur homini eſſe contentum eo dominio, quod à deo autore profectũ naturæ maximè conſentaneum eſt, nè noxia ſemper mortalibus regnandi cupiditate adactus res quærat alienas, ac ſubinde cunctos maris tractus claſſibus occupet, cunctaq́; terrarũ ſpatia bellis infeſtet, atque omnia iura diuina atq; humana impiè violet, & iniquè peruertat. Ad quod impendiò adiuuat hominem fortitudinis donum. Cuius muneris eſt continere intra iuſtitiæ cancellos furentes mortalium animos, nè contra fas & iura quicquam moliantur, quod alicunde rebus humanis ſit perniciem allaturum. Vides iam ò lector mirificam opificis rerum artem, aptiſſima in trium prædictarum decadum ſymphonia prælustrem, quibus vterque mundus, maior ac minor, à perfectiſſimo authore ſuopte modo fuerit perfectus. Id quod ſcriptura ſancta apertè teſtatur ſecũdo Geneſeos capite: vbi legis, Igitur perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornatus eorũ. Compleuitq; Deus die ſeptimo opꝰ ſuum quod fecerat: & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrárat. Quàm fœlix fuiſſet homo ſi authore ſuo parens integer in eo perſtitiſſet ſtatu! vnde mox eſſet in alium penitus ſtabilem, & longè fœliciorem attollendus. Sed heu miſeram ſortem! Cùm primùm blandis antiqui Serpentis dolis defecit ſanctus, ac perinde diminutæ ſunt veritates à filiis hominum, iacturã ingentem paſſus eſt. Humi nanque iacet immortalitate priuatus, ſpiritualibus donis ſpoliatus, & naturali ratione nonnihil imminutus. Ex quo fit vt tantis damnis admonitus homo, ſuarumq́; fraudum conſcius, decimas rerum quæ beneficio Dei ſibi proueniunt, eidem religioſè offerat. Sic enim fatetur culpa ſua ab illa decadum integritate cecidiſſe, iureq́; fuiſſe imminutum: & tanquam diuini operis violator, veniã à ſui archi tecto decimarum oblatione precatur: vt aliquando diuina gratia in melius inſtauretur. Id quod ille non minùs prudenter quàm piè facit. Quoniam nemo vnquam ſanctorum Deum videre promeritus eſt, qui priùs non fuerit vtcunq; decimatus. Sicut & Leui in lũbis Abrahæ, Chriſto tamen excepto, qui origineam libẽ contrahere gignendo nequiuit: vt qui nõ virili, ſed diuino ſpiritus Sancti artificio

*dicens: Ratio ſuperior per conſydera-
tionem legis æternæ, ſicut poteſt dirige
re vel cobibere actũ exteriorem: ita &
dilectationem interiorem. Sed tamẽ ante
quàm ad iudicium ſuperioris rationis de
ueniatur, ſtatĩ vt ſenſualitas proponit
delectationẽ, inferior ratio per rationes
tẽporales deliberãs, quandoq; huiuſmodi
delectationẽ acceptat, & tunc conſenſus
in delectationem pertinet ad rationem
inferiorẽ. Si verò etiam conſyderatis ra
tionibus ęternis homo in eodem conſen-
ſu perſeuéret, iam talis conſenſus ad ſu-
periorem rationẽ pertinebit. Quid ſi in
eodem conſenſu perſeuéret non cõſydera
tis rationibus ęternis? Proculdubio trãſ
lato deliberationis tẽpore ad eandẽ ſupe
riorẽ rationẽ, ille cõſenſus non vtiq; po-
ſitiuè & cõmiſſiuè, ſed negatiuè & omiſ
ſiuè refertur: quia tẽpore debito negle-
xit conſenſum inferioris portionis ad ſu
periorẽ referre. Hinc ſanè exoritur illa
diſtinctio duplicis cõſenſus: quorũ alter
eſt exp̃ſſus, alter interp̃tatiuꝰ: Vt cõſen
ſus exp̃ſſus ſit, quãdo cõſultis regulis tẽ
poralibus & æternis, aut tãtũ æternis,
bonis vel malis cõgregationibus, vel dele
ctationibus, vel actibus aduertẽter &
deliberatè conſentitur. Interpretatiuus
autem quando nec conſultis regulis tem-
poralibus, nec ſaltem æternis cùm opor
tet, & vt oportet, malę cogitationi, vel
delectationi, vel actui cõsẽtitur: ſicut illic
ex prauo affectu ad malũ poſitiuè acqe-
ſcitur & per cõmiſſionem Dei præceptũ
contemnitur: & hic ex eodem affectu
negatiuè peccato conſentitur, & per o-
miſſionem Dei præceptum negligitur.
Et ideo ſicut per conſenſum expreſſum
vel veniali vel criminali peccato Deus
offenditur: ita & per interpretatiuum,
licèt grauiùs, cæteris paribus, pecca-
tur conſenſu expreſſo quàm interpreta-
tiuo. Tum quia magis offenditur Deus
actuali contemptu, quàm ignaua negli-
gẽtia: tum quia efficacior eſt expreſſus
cõſenſus & affirmatiuus, quàm tacitus
& negatiuus. Arctiùs enim turpitudi
ni adhęret is qui omnibus, quę ſe cohibe-
re poterant, circũſpectis, nihilo minùs ei
adhæſit, quàm is cui nullis impedimen-
tis cõſyderatis ea complacet. Demiq; ſi-
cut tam conſenſus expreſſus quàm in-
terpretatiuus in materia criminali eſt
peccatum mortale, ſi ſit perfectus, id eſt
per plenam illius aduertentiam, & deli-
berationem actualem, vel virtualem ad-
hibitam, vel adhiberi debitã: ita ſi vter-
uis eorum conſenſus ſit imperfectus, id
eſt ante plenam aduertentiam, & delibe
rationem actualem, vel virtualem, ad-
hibitam vel adhibendam, non inducit
culpam mortalem: vt ſentit ſanctus
Thomas ſuper illud Apoſtoli ad Ro
manos: Nihil ergo nunc damnationis
eſt his qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non
ſecundùm carnem ambulant: Ait au-
tem: Non enim eſt verum, quòd actus
quilibet procedens ex habitu peccati
damnabilis, ſit etiam & ipſe damna-
bilis: ſed ſolùm quando eſt actus per-
fectus per conſenſum rationis. Si enim
in aliquo ſit habitus adulterii, motus con
cupiſcentiæ adulterii, qui eſt actus im-
perfectus, non eſt in eo peccatũ mortale:
ſed ſolũ motus perfectus, qui eſt p̃ cõſen
ſum rationis. Quòd ſi hoc verũ eſt in eò
quem nondum adulterii pœnituit, multò
magis*

magis habet locum in eo quē verê illius pœnituit, cum certo firmoq; propoſito, nunquam vlteriùs adulterandi: & ſi eos motus ſentiat crebros & improbos, ex pertinacibus reliquiis priſtini mali habitus in ſe reſidentibus.

❧ Quęſitũ eſt liceátne ſummo Chriſtianæ Religionis Pontifici diſpenſare cum fratre vt fratris mortui vxorem ducat.

N*Emini mirum aut inuidioſum videatur, ſi ego Honcala, homo quidẽ ingenio hebes, rerum cognitione vacuus, & eruditionis expers, aggrediar tractatum ſuper quæſtione propoſita, procul dubio perdifficili, componere. Non enim id tẽtamus tanquàm ſimus de re tam ardua pronuntiaturi: ſed allaturi in medium quid rerum natura, quid lex Moſaica, quid Euãgelica, quid Pontificum decreta, quid deniq; eccleſiaſtici doctores ſanxêre. Idq; faciemus breuiſsimo dictionis compendio: latiorem tractatum doctioribus relinquentes.*

Caput primum.

I*N primis ergo conſulamus philoſophos, quorum fuit inſtitutum mores hominum ad rationis lineam reuocare, & præcipuè Ariſtotelem, qui præ cæteris iuxta naturæ leges philoſophatus eſt. Ille enim in ſecundo de Republica libro, ſolùm parẽtum cum ſuis liberis, ac fratrum cum ſororibus contrahi connubia vetat. Confutans nanq; Platonem, quòd hinc fœminas communes faceret, violata coniugiorum ſanctitate: hinc parentes cum filiis, fratres cum ſororibus coire vetaret. At nihilo minùs eiſdem permitteret oſcula aliosq; fouendi amoris abuſus: inquit. Illud etiam abſurdum, quòd qui filios cõmunes fecerunt, coire ſolùm amantes vetuerunt: amare verò non vetant, neque alios vſus quos eſſe patri ad filios & fratri ad fratres, omniũ deformiſsimũ eſt: quùm & amare ſolùm aliquid. Abſurdum etiã non aliã ob cauſam coitionem illorum vetuiſſe, niſi quia nimia voluptas inde ſit prouentura. Sed quia pater ſit, aut filius, aut fratres, ob eã rẽ nihil putare referre. Sciit itaq; Ariſtoteles inter parẽtes & liberos illicita eſſe cõnubia, ob eãcauſam potiſsimam, quòd hic eſt pater, illa autem filia: & hæc eſt mater ille verò filius. Perirent certè pudor ille atq; honor aliaq; miniſteria & obſequia, quæ filii parentibus ceu autoribus ſui, naturæ quodã imperio præſtare tenẽtur, ſi amatoriis amplexib⁹ & libidinoſis tactibus contigerentur: id eſt ſi turpibus ac impudicis & flagitioſis congreſsibus coirent: fierentque liberi iure matrimonii parentibus ſuis ſuperiores, aut pares: quod ab ordine & honeſto eſſet alieniſsimum. Quæ quidem ratio nequáquàm habet parem vim ad dirimenda inter fratres ac ſorores coniugia, quamuis habeat aliquantã. Videtur enim mentibus humanis natura inditum, vt fratres proximè â parentibus ſuarum curam*

ſororum ſubeant, earumq́; pudicitiam tueātur. Addiditq́; natura eiſdem horrorem quēdam, libidinémque reſtringit, nè invenereos irent amplexus mutuóque congrederentur. At inquam, neutiquàm habet parem vim: quoniam nec fratres ſororibus, nec ſorores fratribus tenentur deferre honorem, ſicut filii parentibus: ac perinde eiuſmodi obſeruātiæ imminutio quæ in cōiugio fraterno accidere poſſet, forſitā nō eſt tāta quę aliquo maximo emolumēto cōpēſari neque at. Ex quo apertè cōſtat, natura duce & cōmonſtrāte eueniſſe, vt parentes cū liberis ſuis nullatenùs cōiugia inirent: eademq́; natura conſulente atq́; inuitante fratres à connubio cum ſuis ſororibus copulando, abſtitiſſe. Hinc apud omnes ferè gentes inualuit mos aut lex, nè parentes cum liberis ſuis coniungerentur. Minimè autem ita de fratribus inuicem non copulandis cautū eſt: ſcilicet quòd illud prorſus eſſet per ſe contra naturā. Hoc autem non ſic illi repugnaret, quin idonea ad id neceſſitate intercedēte interdū bene fieri poſſet. Lege hiſtorias gentium non omnino barbararum, apud quas inuenies plerunq́; fratres cum ſororibus matrimonia contraxiſſe: parentes cum liberis ſuis nuſquā, niſi olim apud Perſas: id quod omnium qui rectè ſenſerunt, tam philoſophorū quā legis latorum ſentētia reprobatum eſt. Quòd ſi fortè natura minimè penitus deteſtatur fraterna coniugia, nec ſunt per ſe ita indecora quin aliquādo poſſint honeſtè celebrari, modò ad id faciendum grandis vrgeat neceſſitas: vel non leuis ſed maxima inuitet vtilitas: multò minùs auerſabitur illa inter fratres affines contracta. Siquidē lōgè ſāctior eſt apud naturā fratrū cognatio quā affinū propinquitas. Fratres enim germani ſunt per ſe ab vno principio: Affines verò ex accidenti reuocantur ad vnum. Illis, inquam, eſt genuina vnio: his verò aduentitia. Illi ſunt vnum in genitore: hi autē in altero coniugū. Amor illorum eſt veluti ſodaliū & cura naturalis, tanquā eorū qui ſūt maximo à parētibus naturæ vinculo connexi: horū verò amicitia eſt veluti ciuium & eorum qui mutua indigent ope ad efficiendum vnū illud charitatis glutinū quó natura vocat. Quòd ſi tāta eſt inter fratres germanos & affines diſparilitas, cōſtat longè minùs fuiſſe matrimonia prohibita inter affines quàm inter conſanguineos. Imò liquet quòd etſi fratribus germanis natura parens matrimonio interdixiſſet, integrum tamen relinquit affinibus coniūgi. Argumento eſt philoſophus qui coniugia parentibus cum liberis inire vetās, & fratribus cum ſororibus, eadem diſſuadens, liberos relinquit affines: vt pro arbitrio vel coniugia inter ſe inirēt vel vitarent.

Caput ſecundum.

C*onſulam⁹ itē ſcripturā ſacrā, & inueniem⁹ cū philoſophorū placitis maximè conuenire ea quę in illa à Patriarchis geſta tradūtur, ante legem Moyſi datam, dum adhuc natura duce viueretur. Tunc enim in ipſo generis humani exordio, Deus tulit legem qua coniugia parentum cum liberis ſuis vetarentur. Dixit enim per*

os Adæ: Propter hoc relinquet homo
Geneſ. 2. patrem & matrem & adhærebit vxori ſuæ. His proculdubio præcipitur filio matrem ſuam relinquere, vt maritus factus vxori propriæ adhæreat. Præcipitur & filiæ patrē ſuū relinquere, vt nupta viro ei adhæreat. Non tā tùm cotidiano cōuictu, & alterna officiorum opera, quantum & indiſſolubili vinculo, & maritali affectu, & coniugali operatione. Nam alioqui ſæpe videmus coniuges cum ſuis parentibus indiuiduam agere vitā, eádem vrbe, domo, atq; menſa vtentes. Facit ad hoc q; in loco ex Geneſi citato Hebræa ſic habēt: Al kē iahazeb is eth abiu, veeth immo, vedabac beiſtho. Quę latinis ſonāt: Ideo relinquet vir patrem ſuum, & matrem ſuam, & coniungetur cum vxore ſua. Ex quo liquet quòd verbum, adhærebit, iuxta Hieronymi interpretationem accipiendū eſt pro eo quod eſt coniungetur: id quod ad coniugium manifeſtè pertinet. Et quamuis copulatis
Matth. 19 iam primis parentibus hanc legem Deus indiderit (Legem voco: quia tanquā dei legem hunc locum apud Matthæū citat Chriſtus) tamē obligat filios Adam, vetatq; filios atq; filias cum parentibus ſuis inire coniugia. Nam quod de viro dictum eſt & explicatum quòd relinquat matrem quantum ad coniugium contrahendum, & vtrunq; quantum ad coniugalia officia, & affectum, & cōuictū maritalē: idem ſuopte modo de fœmina eſt accipiendum. Sicut in prohibitione ligni vetiti quod prohibitum iuſſumq; fuit viro, iuſſum prohibitumq; fuit mulieri. Prohibuit itaq; deus perpetua lege, parentum cum filiis ſuis coniugia. At non itidem fratrum cum ſororibus. Vnde ab æuo condito ſceleſta & nefaria ſemper fuêre habita cōnubia cū liberis paterna atq; materna. Verùm primi fratres atq; ſorores mutua inière coniugia, quæ nec lege prohibita fuerāt nec à natura prorſus abhorrebāt. Quòd ſi dixeris neceſſitate impellente id accidiſſe, quamuis naturæ repugnaret: attende obſecro nè abſurdum valde videatur talem hominis naturam à principio deum condidiſſe, vt neceſſarium fuerit illicò iura illius fraterno coniugio violari. Non ſunt itaq; fraterna cōnubia per ſe & omnino contra hominis rationem, licèt ſit ei conſonatius fratres à mutuis coniugiis abſtinere, propter eam cauſam quam ſuperiùs nos philoſophia docuit. Quam ob rem poſteriores illi iuſti, qui ante legem floruerunt, quibus curæ fuit non modò prima & indiſpenſabilia naturæ iura, ſed etiam eis coniuncta & maximè illi conuenientia inuiolata ſeruare, minimè leguntur cum ſuis ſororib⁹ matrimonia contraxiſſe: Licèt patrueles & cōſobrinas duxerint, Abrahā, Iſaac, & Iacob, & ſuperiores alii. Eſto quòd ſuper eo quod Abraham cō
feſſus eſt Abimelech regi Geraræ Sa Gene. 20.
ram eſſe ſororem ſuam, dicens: Aliàs au
tem verè ſoror mea eſt, filia patris mei,
& non filia matris meæ: & duxi eam. Hierony.
Hieronymus inquit in libro quæſtionū ſuper Geneſim: Sara fratris eius Arā filia, non ſororis. At mox hāc ſententiā corrigēs ſubiecit: ſed quia in hebræo habet, verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ: & magis ſo-

nat quòd ſoror Abrahæ fuerit: in excuſationem eius dicimus, nondum illo tẽpore tales nuptias lege prohibitas. Siue ergo neptis Sara fuiſſet Abrahæ ex Aram eius fratre, ſiue ſoror ex patre, conſtat pro nobis ſtare Hieronymum qui dicit nõdum illo tempore tam remoto à prima mundi conditione, nuptias fratrum cũ ſororibus lege fuiſſe prohibitas. Nec dubium quin Moyſaicam intelligat legem: nã naturalis lex ab æuo condito vigebat: & poſteà Moyſi lege cautum eſt nè fratres ſorores ducerent.
Leui. 18. *At verò mirum eſt vt idem Hieronymus rurſum hanc ſententiam frangit, agens contra Heluidium, cùm inquit: Quale eſt vt Abraham vir iuſtus, patris ſui filiam coniugem ſumpſerit, cùm in primis hominibus propter aurium ſanctitatem id ipſum ſcriptura nõ nominet, malens intelligi quàm proferri: & Deus poſteà ſanciat ac minetur, Qui acce-*
Leui. 18. *perit ſororem ſuam, &c. Dixeris forſitan hoc in loco Hieronymum inſeruire cauſæ, atque in re aduerſario ambigua partem eidem infeſtiorem aſſumere. Cæterùm coniugia inter affines primi gradus paßim contracta fuerunt tunc temporis: Nam & Iacob duas duxit ſorores Rachel & Liam. Et Thamar illa*
Gen. 29.
Iudæ nurus duobus nupſit fratribus:
Gen. 38. *quorum priori nomen fuit Her, poſteriori Onan. Ex quo indubitatò colligitur, tanto magis alienum eſſe à naturali lege omnino prohibere coniugia inter fratres, affines, atq; ſorores, quàm inter fratres germanos atq; ſorores, quanto minus eſt naturæ vinculum inter illos quã inter hos: quemadmodùm ſuperiùs pluribus eſt explicatum.*

Caput tertium.

Trãſeamus ad legẽ per Moyſen à domino datam: qua cautum eſt apud decimumoctauũ Leuitici caput nè fratres ducãt vxores ſuas ſorores. Leui. 18. *Turpitudinẽ, inquit, ſororis tuæ ex prẽ ſiue ex matre, quæ domi vel foris genita eſt, nõ reuelabis. Et in* Leui. 20. *capite vigeſimo pœna in tranſgreſſores promulgatur: Qui acceperit ſororem ſuam, filiam patris ſui vel filiam matris ſuæ, & viderit turpitudinẽ eius, illaq; conſpexerit fratris ignominiam, nepharíam rem operati ſunt. Occidentur in cõſpectu populi, eò quòd turpitudinem ſuam mutuo reuelauerunt, & portabunt iniquitatem ſuam. Sed vnde Thamar regis Dauid filia extante hac lege auſa eſt ſuadere fratri ſuo Ammon tentanti eam opprimere, vt ipſam in coniugem à patre poſceret? niſi intellexiſſet coniunctionem talẽ inter fratres non eſſe tam ſola natura quàm lege quoq; prohibitam? in qua pater rex qui rerum potiebatur, ita vt ſummos ſacerdotes pro arbitrio ſtatueret & deponeret, forſitan diſpenſare poſſet: vel certè ius illud quã vis diuinum interpretari. Negare autẽ huiuſmodi diſpẽſationẽ, vel certè æquiorem interpretationem ei qui ſibi permiſit accipere panes propoſitionis in vſum militum ſuorum, quibus ſoli ſacerdotes veſcebantur, in tanta pręceptorum diuinorum ſylua, durum eſt: & hominis haud ſatis aĩaduertentis illud Pſalmographi ad dominum: Pronuntiabit lingua mea* Pſa. 118. *eloquium*

eloquium tuum: quia omnia mãdata tua
Oſee.6. *æquitas. Et illud, miſericordiam volo*
Matt.9. *& non ſacrificium. At dices, errabat Thamar putans poſſe ſecum ea in re diſpenſari. Et vnde id tibi conſtat? quin potiùs longè veriſimilius eſt virginem regiam doctam fuiſſe legem, quam infimo vulgo doceri deus paſſim iuſſerat, ac perinde nouiſſe illã quatenùs liceret ſibi fraternum coniugium vel expetere vel admittere, aut depellere aut auerſari. Iam verò vertere in dubium an Thamar fuerit ſoror germana ipſius Amnon, neſcio cuius prudentiæ ſit. Fuit enĩ ſoror Abſalon ex pr̃e & matre: Amnon autem ex patre Dauid: vt conſta-*
2.reg.13. *re poteſt legenti caput.13. ſecundi libri Regum. Sed vt omnis controuerſia de medio tollatur, lege tertium caput pri-*
1.Para.3. *mi libri Paralipomenon: vbi recenſitis cunctis filiis Dauid regis, in hunc modũ recenſionem illorum ſcriptura cõcludit: Oẽs hii filii Dauid abſq; filiis cõcubinarum: habueruntq; ſororem Thamar. Sed circa hoc non eſt opùs pluribus contendere quàm propoſita cauſa exigit. Præſertim quòd non hæc induximus vt ea aſſeramus, ſed potiùs vt oſtenderemus quid poſſet contentioſus aduerſario reſpondere, haud tam ſententiam ſuã proferens, quàm alterum vrgens. Quippe qui non contentus, ſcilicet quòd Amnon non fuit frater germanus ipſius Thamar, reſpondere poſſit illud dixiſſe Thamar non ſuadendo ſed ſimulando fratri coniugium, falſumq; quæſiuiſſe aufugium.*

Caput quartum.

TEmpus eſt vt accedamus ad cõiugia inter affines fratres diſcutiẽda, iuxta legis veteris ſtatuta: quæ quidẽ lex modò fr̃em demortui fr̃is vxorẽ ducere prohibet: modò id ipſum præcipit faciẽdũ. Prohibet quidẽ in decimooctauo Leuitici capite: non vti Leui.18.
que per illa verba quæ in nonnullis codicibus perperàm interpoſita reperiũtur, quæ ſunt: Et vxorem fratris ſui nullus accipiat. Hæc enĩ verba nec in hebræo, nec in græco, nec in antiquis codicibus habentur. Sed prohibentur eiuſmodi nuptiæ per id quod ibidem ſcriptum eſt: Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis: quia turpitudo fratris tui eſt. Hoc enim præcepto non modò adulterari cum fratris vxore, ſed etiam ſecunda inire coniugia cauetur. Quod vel ex eo apertè conſtat quòd idem ſtatutum replicatur, vel potiùs explicatur vigeſi- Leui.20.
mo eiuſdẽ libri capite, in hæc verba iuxta Hieronymi interpretationẽ: Qui duxerit vxorem fratris ſui, rem illicitam facit, turpitudinem fratris ſui reuelauit, abſq; filiis erit. At in hebræo ſic habetur: Veiſ aſer ikah eth eſſeth achiu, nida hi, haruath achiu gillah, haririm ihu. *Id eſt, cùm vir acceperit vxorem fratris ſui, immunditia eſt, turpitudinem fratris ſui reuelauit, orbi erũt. In quo aduerte quòd pro eo quod diuus Hieronymus tranſtulit, rem illicitam facit: in hebræo eſt,* Nida hi. *quòd ſi Nida, ſit nomen ſubſtantiuum, eſt immũditia ſeu ſeparatio: ſi verò adiectiuũ, eſt immunda & ſeparata. Vnde & talis mulier appellabatur Nida, hoc eſt immunda & ſeparata: quoniã vt ait Ra-*

bi Dauid, ob illicitum matrimoniũ à viro & templo elongabatur. Nadad enim verbum à quo nomẽ nida deriuatur, mouere & elongare ſignificat. Et animaduerte quòd huiuſmodi coniugium legali ſtatuto immundũ, puniebatur tãtùm elõgatione à viro, & templo, & liberorũ orbitate. Contrahebatur ergo mortuo priori marito. Nam ſi viuente illo contractũ eſſet, adulterium perpetraretur, & longè grauiori pœna in vtrunq; animaduerteretur, morte videlicet qua puniebantur adulteri, iuxta legem quæ in
Leui.20. *eodẽ vigeſimo Leuitici capite ponitur: Si mœchatus quis fuerit cũ vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum vxore proximi ſui, morte moriatur, & mœchus & adultera. Pręcipiebatur autem matrimonium cum vxore fratris*
Deute.25. *defuncti contrahi, Deuteronomii capite vigeſimoquinto: vbi ſic legis, Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſq; liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Iſraël. At nè putes hãc legẽ priori ex aduerſo repugnare, vide quàm*
Auguſt. *doctè Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Leuiticum, omnem cõtrouerſiam de medio tollat. Tradit enim legem illam Leuitici eſſe accipiendam vt intelligatur nullatenùs licère fratri ducere vxorem fratris defuncti, ſi defunctus poſteros reliquit: vel prohibitum eſſe vxorem fratris duci cui datus eſſet libellus repudii. Poſſet enim aliquis putare quòd talẽ liceret ſibi ducere, & adulterium non timere. Manet itaq; locus legi Deuteronomii de ducẽda vxore fratris defuncti, quando liberos ille non reliquit. Sed hæc de ſenſu atq; conſenſu harum legum duarũ dicta ſunt. Illud tamen addamus, Ioannem Baptiſtã iure reprehendiſſe Herodem quòd reclamantibus his legibus duxiſſet Herodiadẽ Philippi fra-* Matt.14.
tris ſui vxorẽ, vel fratre viuente vt tra Marc.6.
dit Ioſephus, vel mortuo vt alii tradũt: Ioſephus.
ſed non abſq; liberis qui filiam illam ſaltatricem reliquerat. Erat enim obnoxius legi Herodes tanquam Iudęus. Nã & magnus Herodes illius pater, quanquàm genere Idumæus, Iudaiſmum profeſſus eſt, vt ſimilitudine religionis apud Iudæos regnum firmaret.

Caput quintum.

I*Am verò cùm conſtet tam ex philoſophia quã ex ſacra ſcriptura naturalẽ legẽ Patriarcharum geſtis explicante, connubia inter fratres affines neutiquam eſſe per ſe illicita, aut naturæ repugnare: oſtendamus illud ita ſe habere lege Moſaica. Traditurus itaq; deus leges matrimoniales in decimooctauo Leuitici ca-* Leui.18.
pite, ita proloquitur: Ego dominus Deus veſter. & pro eo quod in latino ſequitur, Cuſtodite leges meas atq; iudicia: in hebræo habetur: Vſmarthem eth hukothai, veeth miſpathai. *Id eſt, cuſtodite ſtatuta mea atq; iudicia mea. Cõſtat aũt hęc duo nomina ita abſolutè & generaliter tã ſtatutũ quàm iudiciũ ad mandáta iudicialia propriè pertinere: nõ aũt ad præcepta tantũ moralia. Idq; paſſim obſeruatũ eſt in teſtamẽto veteri*

ab his, qui hebraicè nôrunt. Tradebat igitur Deus iura nuptialia non tãtùm naturalia quantum & ſtatuta quędam & indicia naturæ humanæ conſona, & multum naturalis legis in ſe cõtinentia, & multiplicandæ inter homines amicitiæ commoda: quanuis & intereà continerentur præcepta quędam prorſus naturalia, de non contrahendo filiis cũ parentibus. Ex quo fit vt quemadmodùm coniugia inter conſanguineos & affines lege poſita atq; prohibênte ſunt penitus indecentia: ita lege ſublata, vel in totum vel ex parte, diſpenſata aut interpretata fiant quadantenùs decentia. Quòd ſi contradicas nobis eò q̃ ratio quæ affertur in Leuiticis mandatis indecentiam naturalem inferre videtur, cùm dicitur: quia turpitudo fratris tui eſt: Primùm dicimus quòd dictio, Heruath, *quod eſt interpretatum turpitudo, propriè ſignificat nuditatem, & ex conſequenti verenda: ac perinde, quãuis remotiùs, turpitudinem. Hæ autem appellationes cõmunes ſunt tã propinquis quàm alienis, quæ valent nõ vtiq; vt ſuapte natura coniugia penitùs damnent,* Cicero. *ſed, vt ait Cicero in officiis, admonent coniuges modeſtè & cum pudore coire. Idq; tam à conſanguineis & affinibus quàm ab extraneis obſeruari poteſt & decet. Deinde non eſt tanta illa turpitudo ad quam vitandam natura potiùs inuitat quàm cogit, conſulit quàm præcipit, quæ non poſſit interpellante aliqua neceſſitate vel magno aliquo commodo ſuadẽte de medio tolli: vt iam id quod ſeorſum acceptum turpe videbatur, cum alio coniunctum fiat decôrum. Nec ſequitur quòd ſi ſit decens, conſanguineos & affines vſq; ad certum quẽdam gradum à mutuis coniugiis abſtinere, ſit indecens, intra eoſdem gradus eadem copulare. Sicut non ſequitur, deum facere hoc, eſt decens: igitur, eundem non facere idipſum, eſt indecens. Nec ſequitur, decôrum eſt virginitatem profiteri: ergo indecôrum eſt nuptiis vacare. Nanq; inter decens & eius oppoſitum indecens mediat quædam negatio quæ alia atque alia cauſa, modò in hoc, modò in illud extremum tranſire ſolet: vt quemadmodũ ait Ariſtoteles, id quod à principio nihil referebat hoc vel illo modo fieri, lata* Ariſtot. *lege plurimũ referat: fiatq; illud pro legis conditione vel honeſtum vel inhoneſtum. Horum de numero fuerunt quædam coniugia inter conſanguineos & affines quæ ante legem latã aliquatenus decuerunt, lege lata nõ decent. Quoniã lex decernit eiuſmodi coniugia eſſe turpia inter perſonas quæ tali vel ſimili cõſanguinitatis vel affinitatis vinculo eſſent connexæ. Illud quoq; animaduertas oportet quòd ſi eiuſmodi turpitudo potiùs eſſet à natura quàm à lege, licèt ſit ab vtráq;: ſicut prohibita ſunt cõnubia inter nepotem & amitam ac materteram ſuam: ita fuiſſent prohibita inter petruum & neptem. Par enim eſt inter vtroſque naturæ gradus: ſed lex vnum vetuit, alterum conceſſit, natura occaſionem præſtante vt idem eſſet cognatione & coniugio ſuperior, ſcilicet, patruus neptis. Sic Othoniel abſque crimine duxit vxorẽ Axã neptem ſuam,* Ioſue. 15. *filiam Caleb fratris ſui. Quòd ſi huiuſmodi coniugium fuit vetitum, illa vna*

valde indigentibus, proculdubio plurimũ peccaret: licèt nihil teneretur eis reſtituere. Quoniam illa bona erant omnino iuris eius, vtpote veri Domini. At tamen ſi plures ſint pauperes, & magna inopia laborēt, debet clericus bonis ſuis patrimonialibus ſuſtētari, quatenus ſufficiunt, vt totam præbendam ſuam pauperibus valde indigentibus erogent: dicente Auguſtino ad Bonifacium: ſi priuatũ poſſidemus quod nobis ſufficiat, non illa bona noſtra ſunt, ſed illorũ quorum procurationem gerimus, nō proprietatem vſurpatione damnabili nobis vendicemus. De quo relege primum huius tractatus caput. Secūdum dictum: Si clericus curam habeat diſtribuendi aliqua bona ſpecialiter pauperibus applicata, licebit ei ſuis cognatis pauperibus non minùs quàm aliis donare. Attamen ſi definita ſit certa bonorũ quātitas cuilibet pauperi tribuēda, minimè licebit maiorē partē ſuis cognatis quā aliis impartiri. Si verò nō ſit determinata, debet fideliter illa bona pauperibus diſpartiri, ſecūdũ vniuſcuius ꝗ indigētiã. Quòd ſi bona diſtribuēda nō omnibus ſufficiāt in diſtribuēdo ea, licet ei cognatos ſuos aliis præferre, ſiue ſint alēdi, ſiue à morbis curandi: ſiue puellæ nuptui tradēdę, ſiue pueri ſacris literis inſtituendi. Caueat tamen circumſpectiſſimè nè mentiatur iniquitas ſibi, præferatq; ſuos vel indignos, vel minùs multò indigentes dignioribus atque indigētioribus: habeatq; ille prę oculis illam admonitionem, quę eſt in Cauſa. 12. quęſt. 2. c. epiſcopus. Epiſcopus, ait, habeat ſolicitudinem rerum eccleſiaſticarũ & diſpenſet eas tanquam deo cōtemplā te. Aliter autem non liceat ei fundere quicquam ex illis, vel cognatis vel propinquis donare quę dei ſunt. Quòd ſi paupe res fuerint, vt pauperibus largiatur. Cęterũ ſi ex prędictis cōmunibus bonis, aut parentibus, aut fratribus, aut ſororibus ſuis aliquid amplius quã cęteris dederit, nō eſt ille vituperandus. Cōcedendũ eſt enim aliquid affectui, ac ſtudioſo pioq; labori, quem in procurandis pauperibus inſumit. Tertium dictum, quod eſt Sancti Thomę. Si epiſcopus de eo, quod eſt ſibi deputatum, & clericus itidem de eo, quod eſt ſibi aſſignatum in proprios vſus, velit vteruis eorũ aliquid dè ſe ſubtrahere, & conſanguineis vel aliis illud dare, minimè peccat, dummodò id moderatè faciat: id eſt, vt illi non indigeant: nō autem vt diuites inde fiant. Poteſt igitur clericus habēs pinguē præbendam dare cognatis & amicis ſuis adeò congruā ſuſtentationem, vt mendicare non cogātur. Enimuerò hęc moderatio cēſebitur honeſta, non vtiq; ſecundũ ſtatũ clerici, qui fortè eſt epiſcopus, ſed ſecundùm generis ipſius cōditionē. Siquidem eleemoſyna haud ſtatus exaltationē, ſed indigentiã reſpicit: id eſt nō eſt tribuēda, vt aliquis ab humili ad ſublimem ſtatũ extollatur, ſed vt egeſtas ab eo tollatur: & quoniã in puellis habere congruam ſuę conditionis dotē inter neceſſaria ad ſuſtentationē computatur, fas eſt illi cognatas ſuas conuenientibus dotibus maritis elocare: metieturq; epiſcop⁹ dotes eis dãdas nō ꝓ epiſcopatus ãplitudine, ſed pro cognationis modo: tantumq; bonorum eis dabit, quantum ſit eis opùs ad ſuſtinenda onera matrimonii: & ad honeſtè viuendum

in illo ſuo vel humili, vel mediocri ſtatu. Attamen ſi clericus cognatis ſuis pauperibus pro matrimoniis contrahendis dederit plus aliquid quàm daret extraneis, ſi non ſit immoderatum, conſentaneum eſt rationi, atque laudabile. Quilibet enim, vt rerum natura fert, magis tenetur cognatis ſuis pauperibus quàm aliis, ampliusq́; proſpicere. Caueat tamen ille, nè nimia in ſuos deuinctus affectione, perſuadeat ſibi dare paucum, cùm det nimium. Quia eleemoſynę dãdæ cauſa non debet eſſe gratia, id eſt affectio: ſed natura, id eſt inopia, vt ſentit Ambroſius. Altera autem dicti ſancti Thomæ paulò ſuperiùs citati, pars eſt, non eſſe dandum cognatis ſiue amicis tantũ de bonis eccleſiaſticis quo fiant diuites: hoc eſt, vt habeant ſuperflua, id eſt plura quàm indigeant, ad ſuam ſuorumq́; modeſtam congruamq́; ſuſtentationem. Hoc enim cũcta iura proclamant: hoc omnes ſancti doctores ſentiũt: & pręſertim Ambroſius in libro de Officiis. Id qđ habetur. 86. diſt. c. nõ ſatis. vbi eſt, ait, probãda & alia liberalitas, vt ꝓximos ſeminis tui non deſpicias ſi egêre cognoſcas. Meli⁹ eſt enĩ vt ipſe ſubuenias tuis, qb⁹ pudor eſt ab aliis ſumptũ depoſcere, aut alicui poſtulare ſubſidium neceſſitatis: nõ tamen vt illi ditiores fieri velint, ex eo quod tu debes & potes conferre inopibus. Cauſam enim natura præſtat, non gratia: neq; enim propterea te deo dedicaſti, vt illos diuites facias, ſed vt tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miſerationis peccata tua redimas. Putant ſe parùm poſcere, præmium quærunt tuum: vitæ tuæ adimere contendunt fructum, & accuſant quòd eos diuites non feceris, cùm te velint illi parentes æternæ vitæ fraudare mercede. Hæc ille grauiſſimus iuxtà ac ſanctiſſimus autor. Vnde manifeſtè cõſtat grauiſſimum crimen committere clericos cuiuſcunq; ſint dignitatis inſtituendo cognatis ſuis primatus, quos maioratus appellant, vt eos ex ignobilibus nobiles, ex pauperib⁹ diuites, ex popularibus magnates reddant. Neque minùs peccãt qui primatus iam olim inſtitutos reddere locupletiores de bonis eccleſiaſticis pergunt, quò fiant illi multò potentiores: & quod maximè dolendum eſt, ii qui ex officio deberent in aliis cupiditatis ignẽ extinguere, voluptatumq́; fomitem, atq; bellorum fomenta intercidere, ea omnia pernicioſa malorum irrimenta incitant, fouẽt, & augent. Proculdubio qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.

Caput decimumquintum.

DEniq; digladiantur inter ſe acerrimè doctores tam Theologi quàm Canoniſtæ, differẽtes vtrùm clericus poſſit de bonis ſuperfluis ſibi de quarta ei aſſignata, teſtamẽtum condere. Sed equidem nolui in hac controuerſia immorari. Siquidem in noſtra Hiſpania ſicut epiſcopo non licet teſtamentum condere de bonis eccleſiaſticis ſine ſummi Pontificis conceſſione: ita inferioribus eo clericis conſuetudo eſt, non ſolùm de patrimonialib⁹, ſed etiã de eccleſiaſticis bonis ſpecialiter ſibi aſſignatis teſtamentum facere, vidente & conſentiente tum proprio eorum Præla-

to, tum ſummo Pontifice. Quæ quidem conſuetudine à iuris violatione defendũtur. Suffragatur & huic conſuetudini ratio: quia ſi clerici ſunt bonorum ſuæ quartæ domini, ita vt ſuperflua ſibi pro libito donent: ita & in morte licebit eis ſuperflua ſibi pauperibus vel alienis, vel cognatis, temperamento prædicto adhibito legare. Quid ſi talis clericus inteſtatus obierit? Profectò bonis patrimonialibus eius, & eis, quæ propria induſtria acquiſiuit, ſuccedẽt cognati ipſi: eis verò quæ de bonis eccleſiæ eiuſq; ſolo intuitu acquiſiuit, ipſa ſuccedet eccleſia. quo modo Pontificio iure decretum eſt.

De tribus decadibus quibus maior minorq́; mundus conſtat.

ENIMVERO quoniam in quibuſdam ſuperioribus tractatibus mentionem feci nõ paruam de tribus decadibus quibus vterque mundus conditus eſt, viſum mihi fuit operæpretium Lectori facturum, ſi mirabilem earum concẽtum his adſcriberem. Si quis igitur numerica ratione rerum naturas diligenter expendat, forſitan inueniet quàm ſcienter inſignis poëta illud cecinerit,

Numero Deus impare gaudet.

Quem quidem numerum Ariſtoteles Philoſophus ille omnium diligentiſſimus in libro de Cœlo & mundo ternarium eſſe decernit. Nec mirum. Siquidem ſuprema illa, ac beata, ſimul & beatifica natura, & mundi melioris origo, eodem numero contenta ab vnitate per binariũ proficit in trinitatem. Ab vno nempe Patre gignitur Filius, & vtroq; procedit Spiritus ſanctus, in quo ſiſtit intraria illa diuinę naturæ vbertas: ſcilicet nè in infinitum procedendorum ratio intra deitatis ſinum fruſtra ſuccreſcat. Porrò ab omnipotẽte, ſapientiſſima, & optima Triade quæcunq; creata ſunt, in certo numero, pondere, & mẽſura ſunt perfecta. Vnumquodq; enim creatorum propria cõſtat natura, peculiari quadam vi pollet, nec non agnatam ſibi actionem præſtat. Enimuerò inter reliqua animantia longè amplioribus naturæ dotibus præditus eſt homo, & multò excellentiùs auctus vt iam ſit diuinis muneribus excipiẽdis aptus, & cœleſtibus ſacramentis obeundis idoneus: quippe qui ad vnius Maximi atq; Optimi Dei imaginem & ſimilitudinem fuerit conditus. Hinc enim ratione pollet, fidei eſt particeps, & videndi Dei capax. Nam ſi Deum mirificum humanæ naturæ autorem duntaxat conſideres, qua eſt ſpiritus, inde homo ad exemplar ſui opificis vim intelligẽdi accipit. At ſi rurſum eundem Deum concipias, prout vnus eſſentia tres complectitur perſonas, certè opùs eſt hominẽ ſuperiori quodam lumine perfundi, quo inſtructus arcanum diuinę trinitatis myſterium, quod humana ratione aſſequi nequit, per fidem vtcunq; attingat. Iam verò ſi intellexeris illum ipſum Deum aperta bonitatis ſuæ immenſæ comprehenſione perfrui fœliciſſimè, magna cum ratione miraberis vt dignetur mortales glorioſa quadam luce perfuſos ipſius fruendi

eadi compotes fieri. Sic planè fit, vt homo mirabile dei opus, & pietatis capax, ab vnitate, id eſt ratione bonis moribus inſtructa per binarium fidei, quæ eſt de Chriſto Deo & homine, ad ternariũ illum diuinæ maieſtatis auguſtiſsimum accipiendum perbeatè conſcendat. Verũ vt tanta myſteria explicatiùs dignoſcantur, operæpretium eſt animaduertere, quòd ſi à ternario computando progrediaris, addita vnitate quaternarium conſtituis, qui tum reliquis tribus præcedentibus complet denarium. Vnum enim & duo & tria & quatuor ſimul ſumpta ſunt decem: qui quidem numerus creaturæ conuenit aptiſsimè: ſicut ternarius peculiari quadam ratione congruit creatori. Cùm primùm enim à creatore diſceſſeris, in creaturam incidis: haud enim ſecùs quàm à ternario in quaternarium. Quo recepto, ſi quis exactè obſeruet primam illam atq; mirabilem mundi conditionem, quę in primo Geneſeos capite deſcribitur, facilè noſſe poterit, totam rerum molẽ ab vno trinoq; Deo decẽ tantùm verbis fuiſſe cõditã, in parteſq; ſuas diſſectam, & propriis dotibus abſolutã. Decies enim eo in loco replicatum eſt illud: Dixit Deus. Deinde præcipua huius orbis conſpicabilis portio, homo, vt arte & ratione viuat, iuſtitiamq; colat, à ſua ipſius creatione præditus eſt etiã aliis decem verbis, quę in Decalogo continentur. Hæc enim eſt illa lex ab æuo condito mentibus humanis inſita: qua homo velit nolit & recta probat, & praua improbat. Cæterùm attollendus erat adhuc homo diuinum animal ad ſublimiorem quandam deitatis notionem, cõſummatioremq; iuſtitiam, quâm ea eſſet quã per naturalem illam legem contingere ac præſtare poterat. Ideóq; adiecta ſunt illi diuino munere alia decem verba, quibus admiſsis conſors fieret diuinæ naturæ, quantum hęc quam degimus mortales vita patitur. Sunt autem illa ea, quibus inſtruimur tribus illis virtutibus theologicis, fide, ſpe, & charitate: ſeptemq; donis Spiritus ſancti, ſapientia & intellectu, ſcientia & pietate, conſilio & fortitudine, & timore Domini. Hoc denario vita ſpiritualis penè ad ſummam pręter Dei viſionem proficit his, qui cœleſtibus oraculis credũt. Enimuerò ſi aliquis has tres decadas commodè inter ſe conferat, forſitan inueniet mirabilem quandam & ſapientia plenam inter eas conſonantiam. In quam ſi nos cogitando, diuinaq; ope fulti peruenimus nécne, pio lectori examinandum relinquimus. In primis itaq; dixit Deus, Fiat lux: & iubet primo Decalogi præcepto Deum coli, rerumq; parentem agnoſcere. & fides virtutum theologicarum prima, hominem lumine ſuo cultui diuino ſubſternit. Dixit ſecundò fieri firmamentum in medio aquarum, aquáſq; ſuperiores ab inferioribus diuidere: & iubet ſecundò homini vni deo reddere iuramenta ſua, ac perinde præcipit ambiguam veritatem inter ancipites partes neutiquàm iuratis creaturis, ſed deo ipſo teſte firmandam, eóq; aquæ inferiores fluxæ ſunt & inſtabiles: ſuperiores verò & ſtabiles & ſolidæ. Et quidem humana cuncta ſunt incerta: at diuina immota veritate conſtãt. His germana ſpes veluti anchora firmiſſima mentem hominum adeò roborat &

attol-

attollit, vt pectore conſtanti negotia per ardua & vltramundana capeſſat. Dixit tertiò Deus: Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida: & tertiò præcipit homini, vt dimotis turbidis ac cœnoſis ſuperſtitionum ac falſarum religionum aquis mentem ſuam ab omni impietatis labe deterſam excipiendæ ſoli veræ pietati cœlitùs traditæ religioſe patefaciat. Cui ſanè pietati, ac vero & ſpirituali ſabbathiſmo præſtò ad eſt charitas, qua homo veluti cœleſti quodã igne incenſus ardensq; ſuperſtitioſas culturas exurit, cunctaq; fortunæ, quam dicunt, ludubria, quæ cultoribus ſuis tenebrarum princeps polliceri ſolet. Poſtergat quieti mentis & contemplationi qua Deus nunc per ſpeculum & in ænigmate videtur, & in futuro facie ad faciem contemplandus expectatur. Dixit quartò Deus: Terram germinare herbam virentem, omnemq; arborem frugiferam: & quartò præcepit homini parentes honorare, id eſt ſuaues pietatis fructus erga genitores ſuos perpetua viriditate proferre. Eò etiam pertinet pietatis donum, quo & gratus amor maioribus rependitur, & cultus debitus exhibetur. Dixit Deus quintò, fieri duo luminaria magna: luminare maius vt præeſſet diei, luminare minus, vt præeſſet nocti: & quintò præcipitur homini nõ occidere, id eſt nè mẽtis lucẽ lumẽnue rationis furioſis irarũ perturbationibus extingui patiatur. Sed tã luminare maius quã luminare minus, id eſt tã ratio ſuperior quã inferior in propulſandis iniuriis apud animi firmamẽtũ perpetuò luceãt. Huc ſpectat ſciẽtiæ donũ, quo fit, nè homo ira percitus aliquãdo deſipiat, ac perinde furiata mẽte, quẽquã contra ius & fas occidat: Ob id ſceleris & ipſe tãdẽ occidatur. Dixit Deꝰ ſextò, vt aquæ producerẽt piſces, ſimul & volucres, quæ animãtia ſunt fœcũdiſſima. Et ſextò præcipitur homini, nè more illorũ libidinum humoribus defluat, aut amorũ ventis per inane feratur. Eam cõtinẽtiã facilè præſtat is, qui affectus eſt ſapiẽtiæ dono: quo fit vt humanæ mẽtis palato adeò dulciter diuina ſapiãt, vt ei carnalia prorſus deſipiant. Deinde benedixit Deus animantibus ex aquis ortis: atque dixit ſeptimò: Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris, auesq; multipicentur ſuper terram: & ſeptimò præcipitur homini furto abſtinere, ſuiſque contentum agere: ac perinde imitatus piſces ac volucres propria fœtura locupletes patriis artibus opes ſibi innocenter comparare. Nec enim aliud ſibi vult domini conſilium, quo homo bene inſtitutus mauult proprio labore, opera, & induſtria victum ſibi quæritate, quàm aliena rapere & iniuſtum furis nota ſuſpendio perire. Octauò dixit Deus, vt produceret terra animam viuentem in genere ſuo: id eſt iumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas: & octauò præcipitur homini, vt quemadmodũ terra neutiquam mentitur animantium genera, ſed ſingula non alienis, ſed ſuis formis perficit: ſic ipſe nec malis artibus rerum naturas adulteretur, nec cauſarum merita falſis teſtimoniis peruertat: ſed illud ſincerè præſtet, quò vocat intellectus. nempe in dictis factiſque exactè & in primis colere veritatem. Quæ diligenter

ter obſeruata proculdubio nos Deo proximos facit. Nonò, magno conſilio decreuit Deus dixitque facere Hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: & nonò præcipitur illi alienam vxorem minimè appetere, ſuámque vnicè diligere. Id eſt vnica Chriſti ſapientia delectari, eidē〈q́〉 innexũ ſpiritus Sãcti vinculo penitus hęrere, tantumq́; ſe illi obſeruandæ maritare: & ita maritare vt longè maius nefas eſſe credat prauas opiniones ipſis hęreticis nuptas adamare, quã alienas vxores cõcupiſcere. Ad qđ multùm profectò facit timoris Dominici donũ, quo homo diſtrictus anxiè veretur, & prudenter cauet, nè vnquam carnali, aut ſpirituali adulterio polluatur. Hac enĩ in cauſa ſola fuga victoriam pręſtat. Decimò tandem dixit Deus: præcepit que homini vt terram habitatoribus repleret, eámque ſibi ſubiiceret, cunctorumq́; animantium dominaretur: & decimò pręcipitur homini eſſe contentum eo dominio, quod à deo autore profectũ naturæ maximè conſentaneum eſt, nè noxia ſemper mortalibus regnandi cupiditate adactus res quærat alienas, ac ſubinde cunctos maris tractus claſſibus occupet, cunctaq́; terrarũ ſpatia bellis infeſtet, atque omnia iura diuina atq́; humana impiè violet, & iniquè peruertat. Ad quod impendiò adiuuat hominem fortitudinis donum. Cuius muneris eſt continere intra iuſtitiæ cancellos furentes mortalium animos, nè contra fas & iura quicquam moliantur, quod alicunde rebus humanis ſit perniciem allaturum. Vides iam ò lector mirificam opificis rerum artem, aptiſſima in trium prædictarum decadum ſymphonia præluſtrem, quibus vterque mundus, maior ac minor, à perfectiſſimo authore ſuopte modo fuerit perfectus. Id quod ſcriptura ſancta apertè teſtatur ſecũdo Geneſeos capite: vbi legis, Igitur perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornatus eorũ. Compleuitq́; Deus die ſeptimo op⁹ ſuum quod fecerat: & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrárat. Quàm fœlix fuiſſet homo ſi authore ſuo parens integer in eo perſtitiſſet ſtatu! vnde mox eſſet in alium penitus ſtabilem, & longè fœliciorem attollendus. Sed heu miſeram ſortem! Cùm primùm blandis antiqui Serpentis dolis defecit ſanctus, ac perinde diminutæ ſunt veritates à filiis hominum, iacturã ingentem paſſus eſt. Humi nanque iacet immortalitate priuatus, ſpiritualibus donis ſpoliatus, & naturali ratione nonnihil imminutus. Ex quo fit vt tantis damnis admonitus homo, ſuarumq́; fraudum conſcius, decimas rerum quæ beneficio Dei ſibi proueniunt, eidem religioſè offerat. Sic enim fatetur culpa ſua ab illa decadum integritate cecidiſſe, iureq́; fuiſſe imminutum: & tanquam diuini operis violator, veniã à ſui archibitecto decimarum oblatione precatur: vt aliquando diuina gratia in melius inſtauretur. Id quod ille non minùs prudenter quàm piè facit. Quoniam nemo vnquam ſanctorum Deum videre promeritus eſt, qui priùs non fuerit vtcunq́; decimatus. Sicut & Leui in lũbis Abrahæ, Chriſto tamen excepto, qui origineam libẽ contrahere gignendo nequiuit: vt qui nõ virili, ſed diuino ſpiritus Sancti arti-

Q ficio

ficio fuit conceptus. Accedit ad hoc quòd duas tantùm generationes, mundi videlicet & Chriſti, in veteri teſtamento omnino perfectas legimus. Primus locus habetur Geneſeos capite .2. vbi recapitulatur generatio mundana. Iſtæ, ait, ſunt generationes cœli & terræ, quando creatæ ſunt in die, quo fecit Dominus cœlum & terram. Alter locus eſt in quarto libri Ruth capite, vbi deſcribitur genealogia Dauid, ex quo Chriſtus iuxta carnem erat naſciturus. Hę, inquit, ſunt generationes Phares, &c. Argumento eſt quòd his tantùm duobus in locis dictio, Tholdoth, quod eſt generationes, integrè ſcripta reperitur. At reliquis in locis, Tholdoth, non per duo Vau, vt par erat, ſed per vnum tantùm ſcribitur: vt deuotetur, reliquorum generationes eſſe per ſe imperfectas. Per ſe inquam, vt ex ſingulari priuilegio Virginem Deiparam excipiam. Nec eſt huic aſſertioni contrarium, quod tam Pſalmographus quàm Paulus Apoſtolus tradunt, Chriſtum fuiſſe paululùm ab angelis imminutum. Nam ea imminutio nullatenùs ex generationis aliqua labe euenit, ſed ex pientiſſima diuinæ prouidentiæ diſpenſatione: vt Ieſus noſter in aſſumpta carne, quę pati poſſet, crucis myſterium abſolueret: in qua incenſa, ac ſuperpoſita euangelicæ doctrinæ lucerna, totum mundum diuinis fulgoribus illuſtraret: drachmamq́ decimam iam olim perditam commodùm inueniret. Hac enim ratione futurum prænouerat, atque pręmonuerat, vt homo de virtute in virtutem progrediens per nouem beatitudinum gradus ad decimam, id eſt vltimam & conſummatam in cœleſti vita fœlicitatem tandem proueheretur. Hæc enim eſt merces illa magna nimis, quæ in cœlis parata eſt piis animis, qui per Chriſtum Deo patri reconciliantur: vt tandem ex Angelis & hominibus integra fiat, & eluceat in æthereo Paradiſo Euangelica illa & pulcherrima drachmarum decas.

De cōſenſus ratione.

IAM VERO quia plurimùm facit ad probos vel improbos mores dignoſcēdos conſenſus humani rationem cognoſcere, ea quoque de re placuit prioribus hęc adſcribere. Porrò cōſenſus eſt libera complacētia rei propoſitæ, ſequens vltimam rationis practicæ ſententiam. Eſt enim complacentia, quia eſt accōmodatio, id eſt, applicatio voluntatis rei obiectæ ſibi placenti, eáq́; acceptantis. Voluntas enim dicitur conſentire, id eſt cum intellectu ſentire: quia cum eo concordat, & eius dictamini de aliquo particulari vel acceptando vel repellendo acquieſcit. Dicitur autem ea complacentia libera, quia applicatio voluntatis adſignificat motum eius liberū in obiectum. Quia habet facultatem, vt experientia conſtat, vel acquieſcēdi vel nō acquieſcendi ſibi propoſitis. Qua quidem facultate carent animantia bruta, quæ ſeſe nō agunt, ſed aguntur ab intelligentia non errante. Ideo ipſa ſeſe non applicant: ſed naturæ impetu inſtigantur,

tur, & applicantur, & obiectis ſibi conuenientibus neceſſariò infiguntur, etſi non impediãtur: ideo animalium rationis expertium non eſt propriè conſentire. Hinc & illud liquet, conſenſum non eſſe propriè finis cuius eſt ſimplex voluntas. Quia conſultatio non eſt de fine, ſed de his quæ ſunt ad finem. Conſenſus autem conſultationem ſequitur: nam apprẽſo per intellectum fine, continuò eum voluntas ſimplici motu appetit: deinde excogitatis mediis, quibus finis attingi poſſit, conſentitur in illa. Quem quidem conſenſum, qui de omnibus illis mediis habeatur, comitatur rurſus potioris medii electio ad eiuſmodi finem conſequendum. Sequitur autem hæc complacentia vltimam rationis practicę ſententiam. Quia quandiu manet conſultatio, appetitus pendet expectans rationis iudiciũ, cui debeat acquieſcere. Cùm autem ratio practicæ duas habeat portiones, alteram ſuperiorem, alteram inferiorem: manifeſtum eſt, vltimam de agendis ſententiã ad ſuperiorem portionem ſimpliciter pertinere. Eſto quòd interdum per inferiorem portionem exerceatur. Puta ſi quis concludat, non eſſe homicidium perpetrandum, quòd ſit inhumanum: ibique conſulendo ſiſtat. Cuius tamen ſententia ſimpliciter vltima vlteriùs quæritur à portione ſuperiori: quę decernit non eſſe homicidium perpetrandum, quòd ſit diuina lege prohibitum. Quòd ſi quis è contrario per inferiorem portionem concludat, innocentem eſſe occidendum: quia et diſplicet, conſenſus quidem ſiſtit in portione inferiori: ſed tamen ad portionem ſuperiorem pertinet; quæ debuit errorem inferioris corrigere. Quod ſi non faciat, vtique malo conſentit. Nam vt acutè inquit ſanctus Thomas, ex hoc ipſo quòd ratio ſuperior nõ dirigit actus humanos ſecundùm legem diuinam impediens actum peccati, dicitur ipſa conſentire, ſiue cogitet hoc eſſe prohibitum lege æterna, ſiue non. Cùm enim cogitat de lege Dei actu, eam contemnit. Cùm verò non cogitat, eam negligit per modum omiſſionis cuiuſdam. Vnde omnibus modis conſenſus in actũ peccati procedit ex ſuperiori ratione. Quia, vt dicit Auguſtinus duodecimo de Trinitate, non poteſt efficaciter perpetrandum mente decerni, niſi illa mentis intentio, penes quam ſumma poteſtas eſt, membra in opus mouendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat aut ſeruiat. Illud etiam notandum, licèt Diuus Thomas Auguſtino tanto Doctori deferens, attribuat portioni inferiori conſenſum in delectationem, & ſuperiori conſenſum in actum. Quia conſenſus & actus in ratione vltimi cõueniunt: tamen in vtráque portione poteſt eſſe conſenſus tam in delectationem, quàm in actum: licèt conſenſus ſimpliciter poſtremus, qui ab ſcholaſticis dicitur vltimatus, ſemper ad ſuperiorẽ portionem pertineat. Quia quicquid vel ſenſu, vel imaginatione, vel ratione inferiori percipitur, cogitatur, & decernitur, ad ſuperiorem portionem tandem deferri debet: vt ſecundum diuinas & æternas rationes diiudicetur, & decernatur, ſitne approbandum aut improbandum, admittendum vel repellendũ: Quod idem Sanctus Thomas teſtatur

dicens: Ratio ſuperior per conſyderationem legis æternæ, ſicut poteſt dirigere vel cohibere actũ exteriorem: ita & dilectationem interiorem. Sed tamẽ antequàm ad iudicium ſuperioris rationis deueniatur, ſtatī vt ſenſualitas proponit delectationẽ, inferior ratio per rationes tẽporales deliberãs, quandoq; huiuſmodi delectationẽ acceptat, & tunc conſenſus in delectationem pertinet ad rationem inferiorẽ. Si verò etiam conſyderatis rationibus ęternis homo in eodem conſenſu perſeuéret, iam talis conſenſus ad ſuperiorem rationẽ pertinebit. Quid ſi in eodem conſenſu perſeuéret non cõſyderatis rationibus ęternis? Proculdubio trãſlato deliberationis tẽpore ad eandẽ ſuperiorẽ rationẽ, ille cõſenſus non vtiq; poſitiuè & cõmiſſiuè, ſed negatiuè & omiſſiuè refertur: quia tẽpore debito neglexit conſenſum inferioris portionis ad ſuperiorẽ referre. Hinc ſanè exoritur illa diſtinctio duplicis cõſenſus: quorũ alter eſt exp̄ſſus, alter interp̄tatiuꝰ: Vt cõſenſus exp̄ſſus ſit, quãdo cõſultis regulis tẽporalibus & æternis, aut tãtũ æternis; bonis vel malis cõgregationibus, vel delectationibus, vel actibus aduertẽter & deliberatè conſentitur. Interpretatiuus autem quando nec conſultis regulis temporalibus, nec ſaltem æternis cùm oportet, & vt oportet, malę cogitationi, vel delectationi, vel actui cõsẽtitur: ſicut illic ex prauo affectu ad malũ poſitiuè acqeſcitur & per cõmiſſionem Dei præceptũ contemnitur: & hic ex eodem affectu negatiuè peccato conſentitur, & per omiſſionem Dei præceptum negligitur. Et ideo ſicut per conſenſum expreſſum vel veniali vel criminali peccato Deus offenditur: ita & per interpretatiuum, licèt grauiùs, cæteris paribus, peccatur conſenſu expreſſo quàm interpretatiuo. Tum quia magis offenditur Deus actuali contemptu, quàm ignaua negligẽtia: tum quia efficacior eſt expreſſus cõſenſus & affirmatiuus, quàm tacitus & negatiuus. Arctiùs enim turpitudini adhęret is qui omnibus, quę ſe cohibere poterant, circũſpectis, nihilo minùs ei adhæſit, quàm is cui nullis impedimentis cõſyderatis ea complacet. Deniq; ſicut tam conſenſus expreſſus quàm interpretatiuus in materia criminali eſt peccatum mortale, ſi ſit perfectus, id eſt, per plenam illius aduertentiam, & deliberationem actualem, vel virtualem adhibitam, vel adhiberi debitã: ita ſi vteruis eorum conſenſus ſit imperfectus, id eſt ante plenam aduertentiam, & deliberationem actualem, vel virtualem, adhibitam vel adhibendam, non inducit culpam mortalem: vt ſentit ſanctus Thomas ſuper illud Apoſtoli ad Romanos: Nihil ergo nunc damnationis eſt his qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant. Ait autem: Non enim eſt verum, quòd actus quilibet procedens ex habitu peccati damnabilis, ſit etiam & ipſe damnabilis: ſed ſolùm quando eſt actus perfectus per conſenſum rationis. Si enim in aliquo ſit habitus adulterii, motus concupiſcentiæ adulterii, qui eſt actus imperfectus, non eſt in eo peccatũ mortale: ſed ſolũ motus perfectus, qui eſt p̄ cõſenſum rationis. Quòd ſi hoc verũ eſt in eo quem nondum adulterii pœnituit, multò magis

magis habet locum in eo quē verē illius pœnituit, cum certo firmoq; propoſito, nunquam vlteriùs adulterandi: & ſi eos motus ſentiat crebros & improbos, ex pertinacibus reliquiis priſtini mali habitus in ſe reſidentibus.

Queſitũ eſt liceát ne ſummo Chriſtianæ Religionis Pontifici diſpenſare cum fratre vt fratris mortui vxorem ducat.

NEminimirum aut inuidioſum videatur, ſi ego Honcala, homo quidẽ ingenio hebes, rerum cognitione vacuus, & eruditionis expers, aggrediar tractatum ſuper quæſtione propoſita, proculdubio perdifficili, componere. Non enim id tẽtamus tanquàm ſimus de re tam ardua pronuntiaturi: ſed allaturi in medium quid rerum natura, quid lex Moſsica, quid Euãgelica, quid Pontificum decreta, quid denique eccleſiaſtici doctores ſanxêre. Idq; faciemus breuiſsimo dictionis compendio: latiorem tractatum doctioribus relinquentes.

Caput primum.

IN primis ergo conſulamus philoſophos, quorum fuit inſtitutum mores hominum ad rationis lineam reuocare, & præcipuè Ariſtotelem, qui præ cæteris iuxta naturæ leges philoſophatus eſt. Ille enim in ſecundo de Republica libro, ſolùm parẽtum cum ſuis liberis, ac fratrum cum ſororibus contrahi connubia vetat. Confutans nanq; Platonem, quòd hinc fœminas communes faceret, violata coniugiorum ſanctitate: hinc parentes cum filiis, fratres cum ſororibus coire vetaret. At nihilo minùs eiſdem permitteret oſcula alioſq; fouendi amoris abuſus: inquit. Illud etiam abſurdum, quòd qui filios cõmunes fecerunt, coire ſolùm amantes vetuerunt: amare verò non vetant, neque alios vſus quos eſſe patri ad filios & fratri ad fratres, omniũ deformiſsimũ eſt: quùm & amare ſolùm aliquid. Abſurdum etiã non aliã ob cauſam coitionem illorum vetuiſſe, niſi quia nimia voluptas inde ſit prouentura. Sed quia pater ſit, aut filius, aut fratres, ob eã rẽ nihil putare referre. Sunt itaq; Ariſtoteles inter parẽtes & liberos illicita eſſe cõnubia, ob eã cauſam potiſsimam, quòd hic eſt pater, illa autem filia: & hæc eſt mater ille verò filius. Perirent certè pudor ille atq; honor aliaq; miniſteria & obſequia, quæ filii parentibus ceu autoribus ſui, naturæ quodã imperio præſtare tenẽtur, ſi amatoriis amplexib9 & libidinoſis tactibus contigerentur: id eſt ſi turpibus ac impudicis & flagitioſis congreſsibus coirent: fierẽntque liberi iure matrimonii parentibus ſuis ſuperiores, aut pares: quod ab ordine & honeſto eſſet alieniſsimum. Quæ quidem ratio nequáquàm habet parem vim ad dirimenda inter fratres ac ſorores coniugia, quanuis habeat aliquantã. Videtur enim mentibus humanis naturæ inditum, vt fratres proximè à parentibus ſuarum curam

ſororum ſubeant, earumq́; pudicitiam tueãtur. Addiditq́; natura eiſdem horrorem quẽdam, libidinémque reſtringit, nè inuenereos irent amplexus mutuóque congrederentur. At inquam, neutiquàm habet parem vim: quoniam nec fratres ſororibus, nec ſorores fratribus tenentur deferre honorem, ſicut filii parentibus: ac perinde eiuſmodi obſeruãtiæ imminutio quæ in cõiugio fraterno accidere poſſet, forſitã nõ eſt tãta quę aliquo maximo emolumẽto cõpẽſari nequeat. Ex quo apertè cõſtat, natura duce & cõmonſtrãte eueniſſe, vt parentes cũ liberis ſuis nullatenùs cõiugia inirent: eadémq́; natura conſulente atq́; inuitante fratres à connubio cum ſuis ſororibus copulando, abſtitiſſe. Hinc apud omnes ferè gentes inualuit mos aut lex, nè parentes cum liberis ſuis coniungerentur. Minimè autem ita de fratribus inuicem non copulandis cautũ eſt: ſcilicet quòd illud prorſus eſſet per ſe contra naturã. Hoc autem non ſic illi repugnaret, quin idonea ad id neceſſitate intercedẽte interdũ bene fieri poſſet. Lege hiſtorias gentium non omnino barbararum, apud quas inuenies plerunq́; fratres cum ſororibus matrimonia contraxiſſe: parentes cum liberis ſuis nuſquã, niſi olim apud Perſas: id quod omnium qui rectè ſenſerunt, tam philoſophorũ quã legislatorum ſentẽtia reprobatum eſt. Quòd ſi fortè natura minimè penitus deteſtatur fraterna coniugia, nec ſunt per ſe ita indecora quin aliquãdo poſſint honeſtè celebrari, modò ad id faciendum grandis vrgeat neceſſitas: vel non leuis ſed maxima inuitet vtilitas: multò minùs auerſabitur illa inter fratres affines contracta. Siquidẽ lõgè ſãctior eſt apud naturã fratrũ cognatio quã affinũ propinquitas. Fratres enim germani ſunt per ſe ab vno principio: Affines verò ex accidenti reuocantur ad vnum. Illis, inquam, eſt genuina vnio: his verò aduentitia. Illi ſunt vnum in genitore: hi autẽ in altero coniugũ. Amor illorum eſt veluti ſodaliũ & cura naturalis, tanquã eorũ qui ſũt maximo à parẽtibus naturæ vinculo connexi: horũ verò amicitia eſt veluti ciuium & eorum qui mutua indigent ope ad efficiendum vnũ illud charitatis glutinũ quó natura vocat. Quòd ſi tãta eſt inter fratres germanos & affines diſparilitas, cõſtat longè minùs fuiſſe matrimonia prohibita inter affines quàm inter conſanguineos. Imò liquet quòd etſi fratribus germanis natura parens matrimonio interdixiſſet, integrum tamen relinquit affinibus coniũgi. Argumento eſt philoſophus qui coniugia parentibus cum liberis inire vetãs, & fratribus cum ſororibus, eadem diſſuadens, liberos relinquit affines: vt pro arbitrio vel coniugia inter ſe inirẽt vel vitarent.

Caput ſecundum.

Conſulamꝰ itẽ ſcripturã ſacrã, & inueniemꝰ cũ philoſophorũ placitis maximè conuenire ea quę in illa à Patriarchis geſta tradũtur, ante legem Moyſi datam, dum adhuc natura duce viueretur. Tunc enim in ipſo generis humani exordio, Deus tulit legem qua coniugia parentum cum liberis ſuis vetarentur. Dixit enim per

os

os Adæ: Propter hoc relinquet homo Geneſ. 2. *patrem & matrem & adhærebit vxori ſuæ. His proculdubio præcipitur filio matrem ſuam relinquere, vt maritus factus vxori propriæ adhæreat. Præcipitur & filiæ patrē ſuū relinquere, vt nupta viro ei adhæreat. Non tā tùm cotidiano cōuictu, & alterna officiorum opera, quantum & indiſſolubili vinculo, & maritali affectu, & coniugali operatione. Nam alioqui ſæpe videmus coniuges cum ſuis parentibus indiuiduam agere vitā, eádem vrbe, domo, atq; menſa vtentes. Facit ad hoc q; in loco ex Geneſi citato Hebræa ſic habēt:* Al kē iahazeb is eth abiu, veeth immo, vedabac beiſtho. *Quę latinis ſonāt: Ideo relinquet vir patrem ſuum, & matrem ſuam, & coniungetur cum vxore ſua. Ex quo liquet quòd verbum, adhærebit, iuxta Hieronymi interpretationem accipiendū eſt pro eo quod eſt coniungetur: id quod ad coniugium manifeſtè pertinet. Et quanuis copulatis* Matth. 19 *iam primis parentibus hanc legem Deus indiderit (Legem voco: quia tanquā dei legem hunc locum apud Matthæū citat Chriſtus) tamē obligat filios Adam, vetatq; filios atq; filias cum parentibus ſuis inire coniugia. Nam quod de viro dictum eſt & explicatum quòd relinquat matrem quantum ad coniugium contrahendum, & vtrunq; quantum ad coniugalia officia, & affectum, & cōuictū maritale: idem ſuopte modo de fœmina eſt accipiendum. Sicut in prohibitione ligni vetiti quod prohibitum iuſſumq; fuit viro, iuſſum prohibitumq; fuit mulieri. Prohibuit itaq; deus perpe tua lege, parentum cum filiis ſuis coniugia. At non itidem fratrum cum ſororibus. Vnde ab æuo condito ſceleſta & nefaria ſemper fuêre habita cōnubia cū liberis paterna atq; materna. Verùm primi fratres atq; ſorores mutua inière coniugia, quæ nec lege prohibita fuerāt nec à natura prorſus abhorrebāt. Quòd ſi dixeris neceſſitate impellente id accidiſſe, quanuis naturæ repugnaret: attende obſecro nè abſurdum valde videatur talem hominis naturam à principio deum condidiſſe, vt neceſſarium fuerit illicò iura illius fraterno coniugio violari. Non ſunt itaq; fraterna cōnubia per ſe & omnino contra hominis rationem, licèt ſit ei conſonatius fratres à mutuis coniugiis abſtinere, propter eam cauſam quam ſuperiùs nos philoſophia docuit. Quam ob rem poſteriores illi iuſti, qui ante legem floruerunt, quibus curæ fuit non modò prima & indiſpenſabilia naturæ iura, ſed etiam eis coniuncta & maximè illi conuenientia inuiolata ſeruare, minimè leguntur cum ſuis ſororib⁹ matrimonia contraxiſſe: Licèt patrueles & cōſobrinas duxerint, Abrahā, Iſaac, & Iacob, & ſuperiores alii. Eſto quòd ſuper eo quod Abraham cōfeſſus eſt Abimelech regi Geraræ Sa*ram eſſe ſororem ſuam, dicens: Aliàs autem verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ: & duxi eam. Hieronymus inquit in libro quæſtionū ſuper Geneſim: Sara fratris eius Arā filia, non ſororis. At mox hāc ſententiā corrigēs ſubiecit: ſed quia in hebræo habet, verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ: & magis ſo-* Gene. 20. Hierony.

nat quòd ſoror Abrahæ fuerit: in excuſationem eius dicimus, nondum illo tē pore tales nuptias lege prohibitas. Siue ergo neptis Sara fuiſſet Abrahæ ex Aram eius fratre, ſiue ſoror ex patre, conſtat pro nobis ſtare Hieronymum qui dicit nōdum illo tempore tam remoto à prima mundi conditione, nuptias fratrum cū ſororibus lege fuiſſe prohibitas. Nec dubium quin Moyſaicam intelligat legem: nā naturalis lex ab ęuo condito vigebat: & poſteà Moyſi lege
Leui.18. *cautum eſt nè fratres ſorores ducerent.*
At verò mirum eſt vt idem Hieronymus rurſum hanc ſententiam frangit, agens contra Heluidium, cùm inquit: Quale eſt vt Abraham vir iuſtus, patris ſui filiam coniugem ſumpſerit, cùm in primis hominibus propter aurium ſanctitatem id ipſum ſcriptura nō nominet, malens intelligi quàm proferri: & De-
Leui.18. *us poſteà ſanciat ac minetur, Qui acceperit ſororem ſuam, &c. Dixeris forſitan hoc in loco Hieronymum inſeruire cauſæ, atque in re aduerſario ambigua partem eidem iniuſtiorem aſſumere. Cæterùm coniugia inter affines primi gradus paſſim contracta fuerunt tunc tem*
Gen.29. *poris: Nam & Iacob duas duxit ſorores Rachel & Liam. Et Thamar illa Iudæ nurus duobus nupſit fratribus:*
Gen.38. *quorum priori nomen fuit Her, poſteriori Onan. Ex quo indubitatò colligitur, tanto magis alienum eſſe à naturali lege omnino prohibere coniugia inter fratres, affines, atq; ſorores, quàm inter fratres germanos atq; ſorores, quanto minus eſt naturæ vinculum inter illos quā inter hos: quemadmodùm ſuperiùs pluribus eſt explicatum.*

Caput tertium.

Trāſeamus ad legē per Moyſen à domino datam: qua cautum eſt apud decimumocta- Leui.18.
uū Leuitici caput nè fratres ducāt vxores ſuas ſorores. Turpitudinē, inquit, ſororis tuæ ex p̄re ſiue ex matre, quæ domi vel foris genita eſt, nō reuelabis. Et in Leui.20.
capite vigeſimo pœna in tranſgreſſores promulgatur: Qui acceperit ſororem ſuam, filiam patris ſui vel filiam matris ſuæ, & viderit turpitudinē eius, illaq; conſpexerit fratris ignominiam, nephariam rem operati ſunt. Occidentur in cō ſpectu populi, eò quòd turpitudinem ſuam mutuo reuelauerunt, & portabunt iniquitatem ſuam. Sed vnde Thamar regis Dauid filia extante hac lege auſa eſt ſuadere fratri ſuo Ammon tentanti eam opprimere, vt ipſam in coniugem à patre poſceret? niſi intellexiſſet coniunctionem talē inter fratres non eſſe tam ſola natura quàm lege quoq; prohibitam? in qua pater rex qui rerum potiebatur, ita vt ſummos ſacerdotes pro arbitrio ſtatueret & deponeret, forſitan diſpenſare poſſet: vel certè ius illud quāuis diuinum interpretari. Negare autē huiuſmodi diſpēſationē, vel certè æquiorem interpretationem ei qui ſibi permiſit accipere panes propoſitionis in vſum militum ſuorum, quibus ſoli ſacerdotes veſcebantur, in tanta pręceptorum diuinorum ſylua, durum eſt: & hominis haud ſatis aīaduertentis illud Pſalmographi
ad dominum: Pronuntiabit lingua mea Pſa.118.
eloquium

eloquium tuum: quia omnia mãdata tua
Oſee.6. *æquitas. Et illud, miſericordiam volo*
Matt.9. *& non ſacrificium. At dices, errabat*
Thamar putans poſſe ſecum ea in re di-
ſpenſari. Et vnde id tibi conſtat? quin
potiùs longè veriſimilius eſt virginem
regiam doctam fuiſſe legem, quam infi-
mo vulgo doceri deus paſſim iuſſerat, ac
perinde nouiſſe illã quatenùs liceret ſi-
bi fraternum coniugium vel expetere
vel admittere, aut depellere aut auerſa-
ri. Iam verò vertere in dubium an Tha
mar fuerit ſoror germana ipſius Am-
mon, neſcio cuius prudentiæ ſit. Fuit e͂m
ſoror Abſalon ex p͂re & matre: Am-
mon autem ex patre Dauid: vt conſta-
2.reg.13. *re poteſt legenti caput.13. ſecundi libri*
Regum. Sed vt omnis controuerſia de
medio tollatur, lege tertium caput pri-
1.Para.3. *mi libri Paralipomenon: vbi recenſitis*
cunctis filiis Dauid regis, in hunc modũ
recenſionem illorum ſcriptura cõcludit:
O͂es hii filii Dauid abſq; filiis cõcubina
rum: habueruntq; ſororem Thamar. Sed
circa hoc non eſt opùs pluribus conten-
dere quàm propoſita cauſa exigit. Præ
ſertim quòd non hæc induximus vt ea
aſſeramus, ſed potiùs vt oſtenderemus
quid poſſet contentioſius aduerſario re-
ſpondere, haud tam ſententiam ſuã pro
ferens, quàm alterum vrgens. Quippe
qui non contentus, ſcilicet quòd Am-
mon non fuit frater germanus ipſius
Thamar, reſpondere poſſit illud dixiſ-
ſe Thamar non ſuadendo ſed ſimulando
fratri coniugium, falſumq; quæſiuiſſe
aufugium.

Caput quartum.

TEmpus eſt vt accedamus ad
cõiugia inter affines fratres
diſcutiẽda, iuxta legis veteris
ſtatuta: quæ quidẽ lex modò frem demor
tui fris vxorẽ ducere prohibet: modò id
ipſum pręcipit faciẽdũ. Probibet quidẽ
in decimooctauo Leuitici capite: non vti Leui.18.
que per illa verba quæ in nonnullis codi
cibus perperàm interpoſita reperiũtur,
quæ ſunt: Et vxorem fratris ſui nullus
accipiat. Hæc e͂m verba nec in hebręo,
nec in græco, nec in antiquis codicibus
habentur. Sed probibentur eiuſmodi nu
ptiæ per id quod ibidem ſcriptum eſt:
Turpitudinem vxoris fratris tui non re
uelabis: quia turpitudo fratris tui eſt.
Hoc enim præcepto non modò adulte-
rari cum fratris vxore, ſed etiam ſecun-
da inire coniugia cauetur. Quod vel ex
eo apertè conſtat quòd idem ſtatutum
replicatur, vel potiùs explicatur vigeſi Leui.20.
mo eiuſdẽ libri capite, in hæc verba iu-
xta Hieronymi interpretationẽ: Qui
duxerit vxorem fratris ſui, rem illicitam
facit, turpitudinem fratris ſuis reuela-
uit, abſq; filiis erit. At in hebræo ſic ha
betur: Veis aſer ikah eth eſſeth ach-
iu, nida hi, héruath achiu gillah, ha-
ririm ihu. *Id eſt, cùm vir acceperit v-*
xorem fratris ſui, immunditia eſt, turpi
tudinem fratris ſui reuelauit, orbi erũt.
In quo aduerte quòd pro eo quod diuus
Hieronymus tranſtulit, rem illicitam
facit: in hebræo eſt, Nida hi. *quòd ſi*
Nida, ſit nomen ſubſtantiuum, eſt immũ
ditia ſeu ſeparatio: ſi verò adiectiuũ, eſt
immunda & ſeparata. Vnde & talis
mulier appellabatur Nida, hoc eſt im-
munda & ſeparata: quoniã vt ait Ra-
bi

bi Dauid,ob illicitum matrimoniũ à vi
ro & templo elongabatur. Nadad enĩ
verbum à quo nomẽ nida deriuatur, mo
uere & elongare ſignificat. Et animad
uerte quòd huiuſmodi coniugium legali
ſtatuto immundũ,puniebatur tãtùm elõ
gatione à viro,& templo, & liberorũ
orbitate. Contrahebatur ergo mortuo
priori marito. Nam ſi viuente illo con-
tractũ eſſet,adulterium perpetraretur,
& longè grauiori pœna in vtrunq; ani
maduerteretur,morte videlicet qua pu-
niebantur adulteri,iuxta legem quæ in
Leui.20. *eodẽ vigeſimo Leuitici capite ponitur:*
Si mœchatus quis fuerit cũ vxore alte
rius,& adulterium perpetrauerit cum
vxore proximi ſui,morte moriatur,&
mœchus & adultera. Præcipiebatur au
tem matrimonium cum vxore fratris
Deute.25. *defuncti contrahi,Deuteronomii capite*
vigeſimoquinto:vbi ſic legis, Quando
habitauerint fratres ſimul, & vnus ex
eis abſq; liberis mortuus fuerit,vxor de
functi non nubet alteri,ſed accipiet eam
frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris
ſui,& primogenitum ex ea filium nomi
ne illius appellabit,vt non deleatur no-
men eius ex Iſraël. At nè putes hãc legẽ
priori ex aduerſo repugnare,vide quàm
Auguſt. *doctè Auguſtinus in quæſtionibus ſu-*
per Leuiticum,omnem cõtrouerſiam de
medio tollat. Tradit enim legem illam
Leuitici eſſe accipiendam vt intelliga-
tur nullatenùs licere fratri ducere vxo-
rem fratris defuncti,ſi defunctus poſte-
ros reliquit: vel prohibitum eſſe vxorem
fratris dubi cui datus eſſet libellus repu.
dii. Poſſet enim aliquis putare quòd ta-
lẽ liceret ſibi ducere,& adulterium non
timere. Manet itaq; locus legi Deute-
ronomii de ducẽda vxore fratris defun
cti,quando liberos ille non reliquit. Sed
hæc de ſenſu atq; conſenſu harum legum
duarũ dicta ſunt. Illud tamen addamus,
Ioannem Baptiſtã iure reprehendiſſe
Herodem quòd reclamantibus his legi-
bus duxiſſet Herodiadẽ Philippi fra- Matt.14.
tris ſui vxorẽ,vel fratre viuente vt tra Marc.6.
dit Ioſephus,vel mortuo vt alii tradũt: Ioſephus.
ſed non abſq; liberis qui filiam illam ſal-
tatricem reliquerat. Erat enim obnoxi-
us legi Herodes tanquam Iudęus. Nã
& magnus Herodes illius pater,quan-
quàm genere Idumæus,Iudaiſmum pro
feſſus eſt,vt ſimilitudine religionis apud
Iudæos regnum firmaret.

Caput quintum.

IAm verò cùm conſtet tam
ex philoſophia quã ex ſacra
ſcriptura naturalẽ legẽ Pa-
triarcharum geſtis explicante,connubia
inter fratres affines neutiquam eſſe
per ſe illicita,aut naturæ repugnare: o-
ſtendamus illud ita ſe habere lege Mo-
ſaica. Traditurus itaq; deus leges ma-
trimoniales in decimooctauo Leuitici ca Leui.18.
pite,ita proloquitur: Ego dominus De-
us veſter. & pro eo quod in latino ſequi
tur, Cuſtodite leges meas atq; iudicia:
in hebræo habetur: Vſmarthem eth
hukothai,veeth miſpathai. *Id eſt,cu*
ſtodite ſtatuta mea atq; iudicia mea. Cõ
ſtat aũt hęc duo nomina ita abſolutè &
generaliter tã ſtatutũ quàm iudiciũ ad
mandata iudicialia propriè pertinere:
nõ aũt ad præcepta tantũ moralia. Idq;
paſſim obſeruatũ eſt in teſtamẽto veteri

ab his

ab his, qui hebraicè nôrant. Tradebat igitur Deus iura nuptialia non tãtùm naturalia quantùm & ſtatuta quędam & iudicia naturæ humanæ conſona, & multum naturalis legis in ſe cõtinentia, & multiplicandæ inter homines amicitiæ commoda: quanuis & intereà continerentur præcepta quędam prorſus naturalia, de non contrahendo filiis cũ parentibus. Ex quo fit vt quemadmodùm coniugia inter conſanguineos & affines lege poſita atq; prohibente ſunt penitus indecentia: ita lege ſublata, vel in totum vel ex parte, diſpenſata aut interpretata fiant quadantenùs decentia. Quòd ſi contradicas nobis eò ꝙ ratio quæ affertur in Leuiticis mandatis indecentiam naturalem inferre videtur, cùm dicitur: quia turpitudo fratris tui eſt: Primùm dicimus quòd dictio, Heruath, *quod eſt interpretatum turpitudo, propriè ſignificat nuditatem, & ex conſequenti verenda: ac perinde, quãuis remotiùs, turpitudinem. Hæ autem appellationes cõmunes ſunt tã propinquis quàm alienis, quæ valent nõ vtiq; vt ſuapte natura coniugia penitùs damnent,* Cicero. *ſed, vt ait Cicero in officiis, admonent coniuges modeſtè & cum pudore coire. Idq; tam à conſanguineis & affinibus quàm ab extraneis obſeruari poteſt & decet. Deinde non eſt tanta illa turpitudo ad quam vitandam natura potiùs inuitat quàm cogit, conſulit quàm præcipit, quæ non poſſit interpellante aliqua neceſſitate vel magno aliquo commodo ſuadẽte de medio tolli: vt tam id quod ſeorſum acceptum turpe videbatur, cum alio coniunctum fiat decórum. Nec ſequitur quòd ſi ſit decens, conſanguineos & affines vſq; ad certum quẽdam gradum à mutuis coniugiis abſtinere, ſit indecens, intra eoſdem gradus eadem copulare. Sicut non ſequitur, deum facere hoc, eſt decens: igitur, eundem non facere idipſum, eſt indecens. Nec ſequitur, decôrum eſt virginitatem profiteri: ergo indecôrum eſt nuptiis vacare. Nanq; inter decens & eius oppoſitum indecens mediat quædam negatio quæ alia atque alia cauſa, modò in hoc, modò in illud extremum tranſire ſolet: vt quemadmodũ ait Ariſtoteles, id quod à principio nihil referebat hoc vel illo modo fieri, lata lege plurimũ referat: fiatq; illud pro legis conditione vel boneſtum vel inboneſtum.* Ariſtot. *Horum de numero fuerunt quædam coniugia inter conſanguineos & affines quæ ante legem latã aliquatenus decuerunt, lege lata nõ decent. Quoniã lex decernit eiuſmodi coniugia eſſe turpia inter perſonas quæ tali vel ſimili cõſanguinitatis vel affinitatis vinculo eſſent connexæ. Illud quoq; animaduertas oportet quòd ſi eiuſmodi turpitudo potiùs eſſet à natura quàm à lege, licèt ſit ab vtráq;: ſicut probibita ſunt cõnubia inter nepotem & amitam ac materteram ſuam: ita fuiſſent prohibita inter petruum & neptem. Par enim eſt inter vtroſque naturæ gradus: ſed lex vnum vetuit, alterum conceſſit, natura occaſionem præſtante vt idem eſſet cognatione & coniugio ſuperior, ſcilicet, patruus neptis. Sic Othoniel abſque crimine duxit vxorẽ Axã neptem ſuam, filiam Caleb fratris ſui.* Ioſue. 15. *Quòd ſi huiuſmodi coniugium fuit vetitum, illa vna lege*

Leui.18. *lege vetitum fuit, Turpitudinẽ fratris tui nõ reuelabis:nec accedes ad vxorem eius,quæ tibi affinitate coniuncta eſt. Verùm hac lege nihil aliud prohibetur, quàm nè nepos ex fratre patrui ſui vxorem ducat. Id quod ex hebraicis cõſtat, ſi ad verbum tranſferantur: Quæ ſic habent, Turpitudinem fratris patris tui non reuẽles. Ad vxorem eius non accedes:amita tua eſt. Hic manifeſtè ipſa verborum ſeries explicat,turpitudinem patrui nepotem reuelare,nihil aliud hoc loco eſſe quàm ad illius vxorem accedere,quæ affinitatis iure velut ipſius nepotis amita cenſenda eſt. Facit & ad hoc quòd Amram duxit vxorem Iochábeth amitam ſuam, filiam Leui aui ſui. Sic enim legis Numerorum capite 26. At verò Caath genuit Amram,*
Num.26. *qui habuit vxorem Iochábeth filiã Leui,quæ nata eſt ei in Ægypto. Et attende quòd cùm dicit,quæ nata eſt ei in Ægypto,proculdubio ſignificat non tantũ illã verè fuiſſe filiã Leui,ſed etiã grandæuũ illam genuiſſe. Nè abſurdũ tibi videatur Amram duxiſſe vxorem amitã ſuam. Solent enim viri natu grãdiores,iuniores ducere fœminas,atq; ex ipſis filios procreare. Alludit ad hoc quòd vbi Exodi ſexto nos legim⁹: Ac*
Exo.6. *cepit autem Amram vxorẽ Iochábeth patruelem ſuam: Pro eo quod eſt,patruelem ſuã,in hebræo eſt,* Dodatho : *quod propriè ſignificat amitam ſuam,non patruelem ſuam. Adſtipulatur & nobis diuus Hieronymus in quæſtionibus ſu-*
Hieron. *per primo Paralipomenon dicens: Traditur enim Moyſen poſt acceptam legẽ in erêmo patri iniunxiſſe vt matrem di-mitteret,eò quòd illius amita eſſet:filia enim fuit Leui. Ex quo manifeſtè cõſtat nõ modò Hieronymum,ſed & Prophetam Moſen ſenſiſſe ante legem licita fuiſſe talia coniugia quæ poſteà lex prohibuerit. Præterea ſi naturæ prorſus repugnaret,fratrem fratris defuncti ducere vxorẽ:cur ſimiliter nõ repugnabat eundem virum duas ſorores ducere vxores,alteram poſt alteram? Siquidẽ idẽ eſt inter vtroſq; naturæ gradus. Poterat enim ſimplici conſequentia decernere lex,Turpitudinem neptis tuæ nè diſcoopertas:quia turpitudo neptis tuæ eſt. Turpitudinem ſororis vxoris tuæ non reuẽles:quia turpitudo vxoris tuæ eſt.* Leui.18.
Sed illud lex tacuit,& hoc ita ſtatuit, Sororem vxoris tuæ in pellicatum illi⁹ non accipias:nec reuelabis turpitudinẽ eius adhuc illa viuente. Ecce prohibet virum ſororẽ vxoris ſuæ ducere, nõ vtiq; ob cognationem aut affinitatẽ,ſed ob vitandum infeſtũ ex pellicatu dolorẽ. Pro eõ eo quod in latino habetur, ad pellicatũ,in hebræo eſt, Lizror: *id eſt ad affligendum vel anguſtiandũ,ſcilicet priorẽ vxorem poſterioris ſororem. Vnde & mortua vxore,licebat marito illius ſororem ducere. Deinde ſi fratrẽ ducere vxorẽ fratris defuncti per ſe & omnino eſſet cõtra naturæ legem,cur id ipſũ permittebatur, imò præcipiebatur lege illa Deuteronomii: Dices vt ſuſcitaretur ſemen demortui? ſcilicet tanti erat* Deute.25.
primogenitum viuentis mortuum referre nomine,aut eius hæredem agere, vt ob id prima naturæ iura eſſent violanda. Quòd ſi hoc ſentire abſurdũ eſt,fateamur & naturæ eſſe cõſonum,fratrẽ

non

non ducere paſſim vxorē fratris: & illi non repugnaſſe, eandē aliquādo ducere. Vtrunq; tamē non tā ſola natura quàm lege quoq; conſtare. Et hac ratione dicuntur inceſtæ & nephariæ huiuſmodi nuptiæ: quia quod minùs probat natura, lex omnino reprobat: & quòd prohibitionem quā illa inchoat, hæc cōplet. Quā obrem id quod in Decretis ſcriptū eſt, connubia olim inter cognatos & affines ob myſterium aliquod præſignandū fuiſſe permiſſa: non ita accipiendū eſt vt putes illud contra naturā fuiſſe actum: ſed præter id cui natura potiùs arridet, ac ſecùs quàm fuerit vulgò vſurpatum. Alioqui vbinā ſcripturarum ſacrarum offendes, violatis naturæ legibus quæ ad mores pertinent, authore deo, myſteria fidei adſignificari: cū & diu9 Hie-
Hieron. *ronymus vendicet à fornicatione Prophetam Oſee, quòd non tā ad fornicariam quā ſtabulariam, deo ipſo authore, iam ſibi coniugem ingreſſus eſt. Et Di-*
Auguſt. *uus Auguſtinus filios Iſraël aſſerit à furto cùm expoliauerunt Ægyptum, quòd laborū præmia caperent: & Abraham à parricidio, eò quòd obſequebatur ei qui eſſet dñs necis atq; vitæ. Sed hæc aliubi fuerīt ſcropuloſiùs diſcutiēda.*

Caput ſextum.

QVòd ſi venias ad nouū Teſtamētū, primū inuenies apud Matthæum capite decimo-
Matt. 19. *nono Dominū Ieſum Chriſtū reuocantē matrimonii iura ad naturæ legē: ac ita reſpōdentē Phariſæis, Nō legiſtis quòd qui fecit hominē ab initio, maſculum & fœminā fecit eos? & dixit, Pro hac dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna? Quod ergo Deus coniunxit, homo nō ſeparet. His ſanè verbis Chriſtus primū excludit parētes à coniugio cū liberis ſuis contrahendo, vt ſuperiùs fuit expoſitum. Deinde cū dicit, vxori, ſingulariter, & nō vxoribus pluraliter: oſtendit vnam duntaxat vxorem à viro vno, non plures eſſe ducendas. Argumentum enim à numero firmum eſt in ſcripturis ſanctis: eóq; vtitur Paulus cū ait ad Galatas, ſcribēs: Non dicit ſe-* Gala. 3.
minibus, quaſi in multis: ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Deniq; tradit matrimonii vinculū eſſe inſeparabile, reprobato libello repudii: nē illius occaſione plures ducerētur vxores. Paulus quoq;, vt ſuperiùs retulimus, vetat nouercam duci à priuigno: ea de re Co- 1. Cor. 5.
rinthios in hæc verba arguēs: Omnino auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes: ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat. Super quo Ambroſius Ambroſ.
ait, publicè ille nouercam ſuā loco vxoris habebat: nec aliqua tergiuerſatione poterat tegi crimen. Cæterùm de coniugio inter cæteros cognatos & affines contrahendo, nec verbum vllum reperies in nouo teſtamento. Quare abſq; vlla ratione quiſpiam dixerit, facultatem ducendæ vxoris à fratre relictæ, eſſe per euangelium reuocatam: aut ita reuocatam vt in eo negotio Chriſti vicarius diſpenſare nequeat. Sicut reuocata eſt per ipſum facultas ducendi vxores plures: quia vxorū pluralitas naturali lege

fuit prohibita: licèt credatur iuſta de
cauſa ad tempus permiſſa. Ducere autẽ
fratrẽ vxorẽ fratris defũcti, nec natura
li nec euãgelica lege vetitũ fuiſſe cõſtat.
Imò ſi legitimè Chriſtianiſmũ profite
ris, ſenties illa alia ſtatuta matrimonalia
cũ reliq́s iudiciis ac ceremoniis legalibus
per Chriſti gratiã fuiſſe antiquata: qua
Gala. 5. *tenus erãt vel ceremonialia vel iudicia-*
lia, admonẽte Paulo Galatas & dicẽte:
Si circũcidimini, Chriſtus nihil vobis ꝓ
Coloſ. 2. *dèſt. Et ad Coloſſenſes: Nemo vos iudi*
cet in cibo aut potu, aut in parte diei fe
ſti, aut neomenia ſabbathorũ quæ ſunt
Hebræ. 8. *vmbra futurorũ. & ad Hebræos dicẽ*
do ait: Nouũ teſtamentũ veterauit pri
us. Quod autẽ antiquatur & ſeneſcit,
prope interitũ eſt. Quare cõſummata iu
diciorũ lege, & antiquata Chriſti mor
te, liberum ille reliquit vicario ſuo, ſum-
mò chriſtianæ religionis Põtifici decer-
nere intra quos cognationis & affini-
tatis gradus coniugia intra matris ec-
cleſiæ ſinum contrahi oportet. Sunt ita
q; iura pontificia quibus cognati & af
fines vſq; ad certum quendam gradum
coniugio copulari vetantur. Sed illa li-
cèt ſint aliquatenùs naturæ conſona, &
iuri diuino apud Leuiticum tradito ex
parte conuenientia: non tamen habent
vim ſuam, tantum ex lege naturali aut
ſtatuto illo dei veteri, quantum à Chri
ſto iuxta autoritatem ſummo Pontifi-
ci ab ipſo traditam. Aſtipulatur no-
bis diuus Auguſtinus in libro decimo-
Auguſt. *quinto de Ciuitate Dei, dicens: Viri*
15. Ciui. *coniuges ſorores ſuas acceperunt: quòd*
C. 16. *profectò quanto eſt antiquius compel-*
lente neceſſitate, tanto poſteà factum
eſt damnabilius religione prohibente.
Id quod & in Decretis repoſitum eſt:
vbi & paulò pòſt ſic concluditur: Hac 15. q. 1.
itaque conſuetudine quæ ab ipſo exor- c. cũ ſit.
dio humanæ propagationis origenem
habuit, quam nulla lex iubendo euacua-
uerat, excuſatur Abraham, Iſaac, &
Iacob, & cæteri qui de propria tribu
& cognatione ducebant vxores. At-
tende Lector quòd aſſerit Augu-
ſtinus coniugia fratrum cum ſororibus
olim ſancta fuiſſe: poſteà facta damna
bilia: nõ vtiq; prohibẽte ſola natura, ſed
adiũcta religione, id eſt ſtatuto condito
ab eo qui religionem inſtituebat. Vn-
de & conſequenter adiicitur, eiuſmodi
conſuetudinem contrahendi talia coniu-
gia nou fuiſſe euacuatam ante leges Le
uiticas. Ex quo liquidò conſtat, eiuſmo-
di ſtatuta ad ius diuinum, ſed ferè pe-
nitus poſitiuum pertinere, cum ſynago-
ga iam olim ſepultum: nec chriſtianis
temporibus totam eam tenere illa vim
quam habuêre ſub lege. Alioqui nequa
quam, vt aiunt, Martinus Quintus di-
ſpenſaſſet cum eo qui contraxerat ma- Martinus
trimonium cum quadam germana eius Quintus.
quam per fornicationem cognouerat.
Quod tamen fecit nõ temerè, ſed adhi
bito graui multorũ Theologorũ Cano
niſtarumq; conſilio, quorũ plures, & pe
ritiores, atque grauiores conuenerunt
in hanc ſententiam, vt diſpenſaretur
in eo caſu, ſcilicet vt vitarentur in-
ſtantia damna, ſi illa fornicatio, quæ
adhuc latebat, detegeretur. Licet igi-
tur vt grauiſſima incommoda præſer-
tim ſpiritualia à chriſtianis vitentur,
vel maxima commoda eis comparentur,
ſummo

ſummo Pontifici diſpenſare, ſuper huiuſmodi inter tales affines coniugio: non modò contracto, ſed etiam contrahēdo: idque intercedente cauſa vrgentiſſima, vt colligi poteſt ex dictis ſancti Antonii archiepiſcopi Florētini, tertia parte, titulo primo: capitulo .11. paragrapho vltimo, quāuis hoc rariſſimè & cautiſſimè ſit agēdū. Vnde & Alexāder ſextus eius nominis pontifex conceſſit Emanueli Luſitaniæ maritimæ regi vt mortua vxore ſua priore Fernandi & Eliſabeth Regum Hiſpaniarum filia, cum qua & matrimonium copula carnali conſummauerat, alteram quoq; eiuſdem ſororem duceret vxorem. Alexan. Sextus. *Prętereà* Innocē.3. *Innocentius Tertius iuris tā diuini quā humani peritiſſimus, voluit rata eſſe matrimonia ab infidelibus cōtracta intra ſecundum & tertium gradum cognationis. Quia canonicis decretis quibus coniugia intra illos gradus prohibentur, infideles ante ſuſceptum baptiſma nō ſubdebātur. Quòd ſi naturali lege fuiſſent prohibita illa coniugia, etiā poſt baptiſmum ſuſceptum forēt eis illicita. Lege Capitulum, gaudemus. de diuortiis. Facit & ad hoc plurimùm quod idem Pontifex in capite, Deus eccleſiam ſuā, & cętera. eodem titulo præcipit nequaquā dirimi matrimoniū in chriſtianiſmo, eorū qui in Iudaiſmo fratrū vxores duxerant. Si modò id iuxta ritum legis Moſaicæ feciſſēt. Quod nō vtiq; feciſſet tā doct⁹ probusq; Paſtor, ſi illud repugnaret legi naturæ ad quā Euangelium homines reuocat.*

Caput ſeptimum.

TAndem huic ſententiæ ſubſcribūt doctores pleriq; eccleſiaſtici, tā antiqui quā neoterici. Quid ſi pauci refragētur? quid? nēpe poſtponēdi ſunt pauciores pluribus. Præſertim vbi plures non modò numero pauciores vincūt, ſed etiā autoritate, & rationū probitate, & locorū è ſacra ſcriptura aggregatorū copia & firmitate. Quid ſi eſſent pares? Nempe ei parti eſſet aſſentiendum, cui ſummus Pontifex ſuffragaretur. Quid ſi paucioribus ſummus Pontifex aſpiraret? paucioribus accedere quoq; oporteret. Quia ſummi Pontificis eſt de fidei ambiguitatibus decernere: & vbi autores variant, pro certo eſt habendū id quod decreuerit Chriſti vicarius, cui dictū eſt à dño: Petre ego rogaui pro te nè deficiat fides tua: & tu aliquādo cōuerſus, Luc.22. *cōfirma frēs tuos. Et illud: Petre paſce oues meas: adſtipulātib⁹ autoritati Pō*- Ioan.21. *tificis cūctis ferè doctoribus eccleſiaſticis, tā antiquis illis grauioribus quā iunioribus ſcholaſticis. Quāobrē ſi natura omnino nō vetat nō modò inter frēs affines, ſed forſitā nec inter frēs germanos mrimonia, idonea exigēte cauſa vel magna intercedēte neceſſitate contrahi: ſi hoc à pricipio generis humani factū eſt: ſi inter cōſanguineos inquam & affines abſq; diſcrimine vſq; ad legē Moſaicā idipſum frequentatum ſit: ſi iam liberati ſumus à iugo legis veteris: ſi euangelia non apertè damnant alia coniugia quàm ea quæ natura damnauerat, ſcilicet parentes cum liberis ſuis matrimonio iungi: conſtat ſummū Pontificem eādē autoritate, qua phibuit cōnubia inter*

cognatos & affines, vſq; ad certum quē
dam gradum contrahi, poſſe cum eiſdem
diſpēſare: præſertim ſi rei neceßitas aut
magna eccleſiæ vtilitas eiuſmodi diſpen
ſationem depoſcat. Quid? quod etſi ſum-
mus Pontifex non poſſet diſpenſare in
iure diuino, euangelii tempore vigente:
poſſet tamen hoc vel illo modo pro bo-
no pacis eccleſiaſticę illud interpretari.
Quare aſſerimus eſſe indiſſolubile ma-
trimonium contractum, & in re præſen
ti conſummatū, inter Henricū Anglo
rū regē & Catharinā Ferdinandi &
Eliſabet Hiſpaniarū regū filiā, etſi
ea prius nupſerit Arturo illius fratri,
iuxta diſpenſationē Iulii Pontificis ſa-
nè legitimā, qua illi vſi ſunt & in cōtra
hēdo & in cōſummando eiuſmodi matri
monio. Demū illud prudenter cogites
oportet, quod etſi à principio, re adhuc
integra, potuiſſes forſitā ſummo Ponti-
fici piè conſulere, nè ad eiuſmodi coniu-
gium aditus daretur: at verò vbi iā di-
ſpenſatū eſt ab illo, & iuxta diſpenſa-
tionē matrimoniū contractū, vbi iā pro
les eſt habita, proculdubio imprudenter
diuortium ſuades, negotiūq; tētas, quod
& infidelitatē ſapit, & ingēti ſcādalo
eſt proximū. Lōgè crede mihi ſatius eſt
cōniuere facto cui pietas chriſtiana ma-
gis aſpirat, etſi non habeas iſtius rati
onē exploratā quā aduerſam factionem,
nequaquā idoneis, vel certè nō infirmiori
bus, ſed multò debilioribus fundamentis
conſtabilitam, ſtudio humano fouere &
eſſe in cauſa, vt Chriſtianus orbis tam
ſpiritu quā corpore male tumultuatur:
quod Deus auertat. Satis enī ſuperq;
nō vna, ſed plurima eccleſiæ ſanctæ vi-
dimus excidia & quidē infœliciſſima.
Cōmittam⁹ itaq; deo Optimo & Ma
ximo quicquid illud eſt in hac cauſa, ad
quod humana infirmitas aſpirare nequit
& totis viribus ea quæ pacis ſunt ſecte
mur. Sic fiet vt ex obſcura, illuſtris: è
turbida, tranquilla: è paupere, locuples:
ex infirma, fortis: è parū fœlici, proſper
rima Chriſti Eccleſia reddatur.

De nonaria precatione replicatis Kyrie eleiſon, & Chriſte eleiſon.

COnſtat enim, Hierony
mo id nō vno tantū lo-
co teſtāte, tres linguas,
Hebraicā, græcā, atq;
latinā, dūicę Crucis ti-
tulo fuiſſe conſecratas. Fuit enim ille, vt
Lucas atq; Ioānes Euāgeliſtę teſtātur,
literis Græcis, Latinis & Hebraicis
ſcriptus. Per quod ſignificabatur, poten
tiſſimas gentiū, quales erāt Romani: &
prudentiſſimas, quales erāt Græci: &
maximè Deū colētes, quale fuit Iudæo
rū genus, ſubiici debere imperio Chriſti,
& in vnā eius eccleſiam cōuenturū: vt
quamuis linguæ ſint diuerſæ, eadē tamen
ſit ſenſu chriſtianæ religionis profeßio.
Idcircò enim eccleſia Romana, quæ ali
arū eccleſiarū toto orbe diſperſarū ca-
put eſt, in celebrando ſacratiſſimæ Eu
chariſtiæ officio tres prędictas linguas
aſſumi decreuit, vt cōmonſtraret, vnam
candēq; pietatē eſſe vniuerſorū populo-
rū Chriſtū colētiū, quātumlibet locutionū
varietate abuterentur: & quòd quam-
uis vocibus diſſonarent, ſenſibus tamen
non

non diſsiderent. Vſurpauit itaq; à Græcis Κυριε, quod interpretatur Dñe: & ἐλέησον, quod ſignificat, Miſerere. Chriſtus autē ſignificat vnctꝰ. Ad quē Pſalmographus canit: Dilexiſti iuſtitiā, & odiſti iniquitatē: ꝓpterea vnxit te Deus, Deus tuꝰ, oleo lætitię prę cōſortibus tuis. Ex his autē vocabulis cōflatur nonaria precatio: Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon: Chriſte eleiſon, Chriſte eleiſon, Chriſte eleiſon: Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon K, yrie eleiſon. Et quidem maximus Gregorius ſapientiſsimè decreuit, nonariam hanc precationem in officio Miſſæ Angelico hymno præferri: vt ea captaretur fauor diuinus hominibus, quo adiuti, cum ſpiritibus cœleſtibus, Deum collaudarent. Nouies igitur ea precatio replicatur: quia nouem ſunt angelorum chori, quibus & laudando Deum ſociamur, & cum quibus eo frui deſyderamus. Et ſicut nouem angelorum chori tribus Hierarchiis continētur: ita etiam eædem nouem precationes tribus ternariis complectūtur. Quorum primus attributim refertur ad Patrem, ſecundus ad Filium, tertius demum ad Spiritum ſanctum. Et quidem Patrem orantes ter repetimus Kyrie eleiſon, ſecundùm tria quæ in nobis veluti noſtri principium operatur. Ipſe enim poteſtate ſua homines creat, virtute animat, & quamlibet peccatores magnificè ſuſtinet. Ad Filium autem ter dicimus, Chriſte eleiſon. Quia Filius ſapientia ſua homines creat, miſericordia redimit, atque iuſtitia reficit. Spiritum ſanctum denique orantes, ter dicimus, Kyrie eleiſon, vt benignitate ſua nos virtutibus exornet, ſpiritualibus donis augeat, omniq; ſanctitatis plenitudine perficiat. Ex quo & illud nobis de Deo bene meritis per eius gratiam contingit, vt pro trium Hierarchiarum myſterio, ex Patre habeamus naturæ ſubſtantiam, per Filium, gratiæ decorem, in Sipiritu ſancto, optimæ dulcedinis quietem. Quin, vt per Patrē ab infirmitate liberemur, per Filium ab ignorātia, per Spiritum ſanctū ab omni malitia. Fitq; ad huius ternarii formā plerūq; ternaria hæc tātū precatio, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Deniq; nouies ab ipſo ſummo trinoq; Deo miſericordiā petimus, vt nouē nos beatitudinibus cōpleat, vt ſimꝰ pauperes ſpiritu, mites erga proximos, communiū calamitatum ploratores, iuſtitię promouēdæ deſyderantiſsimi, miſæ exercēdæ ſtudioſi, mūdi corde, pacifici, perſecutionis propter iuſtitiā patiētes: deniq; vniuerſas afflictiones ꝓpter Chriſti nomē æquo animo ſuſtinētes. Sic enī fit, vt purgati vitiis, & virtutibꝰ adornati, & (vt Iſaias quondā) labiis purificati, calculo charitatis ignito, & hic canticū angelicū dignè decātemus: & ſecundū nouenariæ precationis formā, pro aliis atq; aliis vniuſcuiuſq; gradibus meritorū, hac mortalitate exuti, nouē angelorū choris fœliciter inferamur. Quid? ſi Gloria in excelſis Deo, in celebrando Miſſæ officio non cantetur? interponenda nihilo minùs nonaria precatio, quò diuina pietas fiat exorabilis, & ad precātem inclinetur, ac perinde eccleſiæ precatiōes ſint Deo exaudibiles, & iucundæ laudes, & ſacrificiū pergratū.

Id quod nõ modò ſacerdos Deum orat, ſed vt exoret, non ſolùm eccleſiaſticus chorus ei accinit, ſed vniuerſa quoque circumſtantis populi corona, hebraica voce reſpondet, Amen. Denique vt Kyrie eleiſon in omnibus eccleſiis dicatur, tertio Canone Vaſenſis Concilii decretum eſt in hæc verba: Et quia tam in ſede apoſtolica, quàm etiam per totas Orientalis atque Italiæ prouincias dulcis & nimium ſalubris conſuetudo intromiſſa eſt, vt Kyrie eleiſõ frequẽtiùs cũ grandi affectu ac cõpunctione dicatur: placuit etiã nobis vt in omnibus eccleſiis noſtris iſta cõſuetudo ſancta, & ad Matutinũ, & ad Miſſas, & ad Veſperã Deo propitiante intromittatur.

Quid Amen Hebraica dicto Latinis ſonet: & quis ſit eius vſus in ſacris tam literis quàm myſteriis.

AMen, vox eſt Hebraica, deriuata à verbo, Aman, quod eſt credere, fidelem, & veracẽ, & ſtabilem eſſe, atq; permanere. Cur autem non ſit latinè declaratum, habes ex Hieronymo & Origene in Allelu ia. Sed & Auguſtinus ſuper Ioannem ita cõmẽtatur: Amen quippe interpretatur, verum. Et tamen non eſt interpretatum: cùm potuiſſet dici, Verum dico vobis. neq; græcus hoc interpres auſus eſt facere, neq; latinus. Nã hoc verbũ quod eſt, Amẽ, neq; græcũ eſt, neq; latinum: vt honorẽ haberet velamẽto: non vt eſſet negatũ, ſed nè vileſceret nudatum. Nihilo minùs, vt Hieronymus ad Marcellã ſcribit, Amẽ Aquila πεπιστωμένως *exprimit: quod nos, fideliter, poſſumus dicere: ductũ aduerbiũ ex noĩe fidei: nã* Emunah, *eſt Hebræis fides, & veritas. Amẽ itẽ Septuaginta,* γένοιτο: *id eſt, fiat. vnde & in fine librorũ põitur, fiat, fiat. In quinq; ſiquidẽ volumina apud Hebræos Pſalteriũ diuiſũ eſt: quod in Hebraico legitur Amẽ, Amen. quo ſcilicet deſignatur, ea verè dicta, quæ ſunt ſuprà. Vnde & Apoſtolus aſſerit, nõ poſſe aliquem reſpondere Amen, id eſt confirmare quæ prædicata ſunt, niſi intellexerit prædicationẽ. Eſt igitur Amen, particula confirmãtis & cõſentiẽtis, deprecãtis & iurãtis. Ad confirmãdum enim in Deuteronomio ponitur, Et dicat omnis populus, Amen: id eſt veritas erit hoc, quòd erit maledictus, quiſquis tranſgreſſus fuerit vnũ ex his prę ceptis. Hinc Hieronymus ſuper Matthæũ: Amen, ſignaculũ orationis dominicæ eſt: quod Aquila interpretatur, fideliter: nos, Verè, poſſumus dicere. Ad deſignãdũ autẽ cõſenſum eius, qui recipit, id quod dicitur, vt in Numeris: Mulier de adulterio male audiẽs, imprecatione dicta, cogebatur reſpõdere, Amẽ. Sic enim habet præceptũ: Et reſpondebit mulier, Amẽ, Amẽ: id eſt cõſentio, & ſuper me eã maledictionem ſuſcipio. Ad ſignificandũ aũt in ea, quę dicũtur deprecantium votum, ſcriptũ eſt in pſalmo quadrageſimoprimo: Benedictus dominus Deus Iſraël à ſæculo & vſque in ſæculum: amen, amen. pro quo Septuaginta præclarè tranſtulerunt,* γένοιτο, γένοιτο: *fiat, fiat. Et uos in Eccleſia in fine preca-*

precationũ ſacerdoti acclamamus, Amen. Pulchrè Hieronymus: Amẽ Romæ reſonat more tonitrui. Iuriſiurandi deniq; vicem in literis euangelicis obtinet. Et quo modo in veteri teſtamento quadam iurandi conſuetudine Deus ſua verba confirmat dicens: Viuo ego, dicit Dominus. Per ſanctos quoq; iuratur, Viuit anima mea: ita & Saluator noſter in Euangelio per verbũ, Amen, vera eſſe quę loquitur oſtẽdit. Ait enĩ in Euangelio Ioannis: Amen, amen, dico vobis. Auguſtinus: Multùm commẽdat, quod ita pronũtiat: quodãmodo, ſi dici fas eſt, iuratio eius eſt: Amẽ, amẽ, dico vobis. Bis itaq; à Domino dictum: Amen, amen, dico vobis: iam quantum hoc commendatum ſit, ex ipſa verbi geminatione cognoſcite: Quid eſt igitur commendatum? Verum, verum, dico vobis: Veritas dicit. Quæ vtiq;, & ſi nõ diceret, verum dico, mentiri omnino non poſſet, qui negare ſeipſum non poteſt. Ambroſius Auguſtini ſententiam fouens, rationẽ idoneam affert, quare in ſolo Ioannis Euangelio, Amen, geminatur, dicens: Amen amen, confirmationis eſſe verbum, euidenter oſtenditur in Euangelio, vbi Dominus confirmãs ſermonem ſuum, dicit: Amen dico vobis. Maior autem vis eſt, vbi repetitus eſt ſermo, quod in libro Euangelii ſecundũ Ioannem, frequentiùs inuenimus: quia ipſe maximè de cœleſtibus & profundis myſteriis locutus eſt. Sicut ſcriptum eſt: Amen, amen, dico tibi, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Imò ſi diligentiùs ac penitiùs huius ſacri iuriſiurandi myſterium mente penetres, quid aliud eſt, Dominũ dicere, Amen dico, niſi, in veritate dico? quid eſt in veritate dico, niſi per veritatem, id eſt per meipſum iuro? Nam ego ſum veritas. Igitur quantum ad rem pertinet, cõſueto iureiurãdo, qui in lege dicebat: Per memetipſum iuro: in euangelio reſonat, Amen, amen, dico vobis. Eſt nobis locus apud Iſaiam non diſſimulandus: Et ſeruos ſuos vocabit nomine alio, in quo qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in eo, Amen. Et qui iurat in terra, iurabit in Deo, Amen. In vtroq; huius clauſulę articulo, Hebræis eſt, Belohe Amẽ. *Elohe eſt in ſtatu regiminis: & Amen eſt genitiui caſus: regiturq; à nomine, Deo. Et quidem hac ratione ductus Hebræus ille, qui me literas hebraicas docuit, aſſerebat, Amen, hic ſignificare veritatem, vt ſit, in Deo Amen, id eſt in Deo veritatis: vel iuxta hebraicam phraſim, in Deo vero: quemadmodum & Septuaginta interpretati ſunt, Et iurabunt Deum verum. Super quo Hieronymus ita tradit: Nomen autem nouum, ſiue aliud, nullum eſt, niſi quod ex Chriſti nomine deriuatur: vt nequáquam vocetur populus Dei Iacob, & Iudas, & Iſraël, & Ephraim, & Ioſeph: ſed Chriſtianus. Quicunq; enim iurauerit in terra, nequáquam iurauerit in Idòlis & falſis diis, ſed in Deo: quæ ſententia rurſum, Amẽ ſignaculo comprobatur. Porrò iuxta L X X. qui pro Amen, verum Deum interpretati ſunt, Vt benedicatur Deus verus. Et qui iurat ſuper terram, iuret Deum verum: Non ſecundùm errorem Arrianorum*

referimus ad perſonam Dei Patris, de quo ſcriptũ eſt, Vt cognoſcant te deũ verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ: ſed ad Filium, qui ipſe Deus verus eſt: dicente Euangeliſta Ioanne, Venit filius, & dedit nobis mentem, vt cognoſcamus verum, & ſimus in vero filio eius Ieſu Chriſto. Iſte eſt verus Deus, & vita æterna. Sic.n. Saluator de ſe loquitur: Ego ſum veritas. conſequenter verus Deus, & vita æterna. Alioqui ſi non eſt verus, erit idôlo ſimilis: quod redundat in capita eorum, qui Chriſtum Deum verum negant. Hoc eſt autem nomen nouum, quod in Apocalypſi ſuper calculo ſcribitur, cui in toto orbe benedicitur. Quid? quòd iuxta eandem rationem Dei Filius tertio Apocalypſeos capite vocatur Amen? Sic enim habet: Hęc dicit Amen: id eſt verax: id quod ſequentibus verbis exponitur. Sequitur enim, teſtis fidelis & verus. Teſtis eſt enim oculatus, filius, paternæ maieſtatis. Dixit enim ad Nicodémum: Quod audiuimus loquimur, & qđ vidimus, teſtamur. Teſtis eſt & humanarum actionum. Apud Hieremiã enĩ inquit: Ego ero teſtis & iudex. Teſtis eſt fidelis: quia pactum conſtanter ſeruat, neq; vnquam rerum merita peruertit. Verus eſt: quia nec falli, neque fallere nouit: neque vnquam bonum dicit malũ, aut malũ bonũ. Ergo ſicut orãs ĩ horto Domin⁹ dixit, Abba, pater: Græco vocabulo Hebraicum interpretans. Et in hac eádẽ Apocalypſi: Ego ſum Alpha & Ω: eius interpretationem ſubiicit, Principium & Finis. Ita & hoc loco poſteà quàm prætulit, Amen Hebraicum, tanquam ſuum ipſius: adiunxit alterius linguæ declarationem, dicens: teſtis fidelis, & verus. Et quod vno verbo ad plenum minimè poterat, pluribus expreſſit. Amen enim apud Hebręos tam ad teſtimonium & fidem, quàm ad veritatem refertur: vt ſuperiùs ſatis expreſſum eſt atq; expoſitum.

❦ Quid latinis valeat Hebraicum Allelu ia: & cur inter ſacra nunc admittitur, nunc intermittitur in ſacris.

Allelu ia, *vox eſt hebraica, compoſita ex* Hallelu, *quod ſignificat laudate: &* ia, *qđ eſt vnum ex Dei nominibus: & ponitur pro Domino: vt ſit,* Allelu ia, *laudate Dominum. Sic enim Hieronymus ad Marcellã: Allelu ia exprimitur, laudate Dominũ.* Ia *quippe vnũ de decẽ Dei nominib⁹ eſt. Et in illo Pſal. vbi legim⁹ Laudate dñm, quoniã bonus eſt pſalmus: apud Hebręos legitur,* Hallelu ia, chi toh ſamra. *At verò cũ multi Pſalmi ꝑtitulãtur Allelu ia: hanc regulã autore Hieronymo debemus tenere, vbicũq; duo Allelu ia præſcribũtur in pſalmo, ſicut in Pſalmo cẽteſimoquinto, vt vnũ de fine prioris pſalmi ſciamus eſſe, & alterum eius qui ſequitur. Hanc Hieronymi regulam nonnullis rationibus labefactare tentauit Auguſtinus. Sed pro Hieronymo ſtat hebraicarum Allelu iarum diſtinctio, qua haud obſtare inſinuat, alteram ad priorem, alteram ad*

poſte

poſteriorem pſalmum pertinere. Sed de his aliorum ſit iudicium. Deniq; ſiue ſemel, ſiue bis huic vel illi pſalmo apponatur, vel agēdam vni Deo laudem ſonat, vel ab vna eccleſia ex duobus populis conſtituta, eandem concinendam adſignificat. Eſſe autem Allelu ia, non modò vocem laudis, ſed lętitiæ quoque, non modò liquet eò quòd verbum, Halal, *non ſolùm laudare, ſed etiam exultare, & gloriari ſignificet: ſed eò quoque quòd illis pſalmis præſcribitur & intexitur, quibus maxima dei opera, vel de prima beataq; hominis conditione, vel potiùs de eius Redemptione, & glorioſa beatitudine decantantur. Sanctus quoq; Tobias ſub imagine terreſtris Hieruſalem, in cœleſti perpetuum Allelu ia cantandum pręuidit, cùm dixit: Et per vicos eius Alleluia cantabitur. Id quod ab aduentu Chriſti ab eccleſia ipſius, certis quibuſdam diebus vſurpatum, & certè frequentiſſimum eſſe Apocalypſis Ioānis teſtatur. Poſt hæc, ait, audiui vocem magnam tubarum multarum in cœlo, dicentium, Alleluia: Laus, & gloria, & virtus Deo noſtro: quia vera & iuſta iudicia eius ſunt, &c. Ideò enim Alleluia ſiletur in eccleſia à Septuageſima vſq; ad Paſcha, quia in eo tempore & Adæ caſum, & nos peccata peccatis addentes, & dominicam Crucem deflemus. Idq; etiam fit aliis ieiuniorum diebus, & quùm defunctorum exequiæ agūtur: vt chriſtiana officia temporibus rebusq; accommodentur: nè ſi tunc temporis letitiæ canticum vſurparet, illud Sapientis in eccleſiaſticos cantores torqueri poſſet: Muſica in fletu, importuna narratio. At verò vbi glorioſa ditiſſimaq; Dominicæ Reſurrectionis, atq; in cœlum Aſcenſionis, atq; miſſionis Spiritus ſancti tēpora redierunt, aut totū per annum aliis atq; aliis diebus referuntur, à veriſſimis diuini verbi cultoribus lætitiæ canticum repetitur, & frequentatur: id quod faciunt diuinitatem glorificantes, Chriſto adgaudentes, futuræ gloriæ ſpe gaudentes: vt non tātùm gratos Deo ſeſe præbeant pro ſummis ab eo bonis tum acceptis, tum accipiendis: ſed etiā in hac peregrinatione eas gratias agere incipiant, quas in illa cœleſti patria acturi ſunt. Et quæ alia potiùs actio nobis illi præſtanda relinquitur, niſi glorificatorem noſtrum ſempiternis laudibus glorificare? Sicut ſcriptū eſt: Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Interim ſit ſemper laus eius in ore meo: imò de pectore, ſanctum, non modò Allelu ia, voce, quod & mali facere poſſunt: ſed etiam ſpiritu, quod tantùm bonorum eſt, lętabundi canamus.*

De myſtico Neumatis ritu.

COnſequens eſt autem de myſtico Neumatis ritu tractare: qđ nō modò in ipſo Allelu ia, ſed etiā in aliis diuinis canticis frequentatur. Quocircà in primis oportet animaduertere, aliud eſſe Pneuma, P. litera fronte dictionis adiecta: aliud verò Neuma, ſimplicibus elementis exaratū. Eſt enim Pneuma vox græcanica, quæ latinè

latinè interpretatur ſpiritùs vel ſlatus. Hinc ſit pneumaticus, id eſt ſpiritualis: vnde quoq; pneumatica organa dicuntur. i. ſpiritualia. Plinius vndeuigeſimo Naturalis hiſtoriæ libro, E puteo ait, perticis pneumaticis & organis tollendo. Deducitur autem pneuma ex verbo græco, πνέω: q. eſt ſpiro. At verò neuma, ſine. p. deriuatur à νεύω, verbo etiam græco: quod eſt, nuo: vt ſit neuma, nutus ſiue aſſenſus: ac perinde ratio quędam muſica, quę numeroſo notularum aceruo ligatarum repręſentatur. Hæc cantando fit, quoties ſuper quampiam vocalem variata per graue & acutum modulatio, longiùs protelatur; & confuſaneus quidam ſonus redditur. Hac enim ratiòne res diuinas merita laude conſequi non valentes, nullumq; exprimentes ſermonem, conceptus affectusq; noſtros tenuesq; vires Deo Optimo Maximo cõgruentiùs pandimus: nosq; ipſos ad contemplanda dei myſteria multò vehementiùs incitamus. Hinc non ab re cogitauerim, neumata pro iubilo in eccleſiis etiã introducta. Siquidem vt tradit Aurelius Auguſtinus, Iubilare eſt, gaudium non poſſe verbis explicare: & tamen geſtu & voce teſtari, quod eſt corde conceptum. Non enim verbis iubilatur, ſed ſolus gaudentium ſonus redditur, quaſi parturientis & parientis cordis lętitię, quæ locutione narrari non poteſt. Propterèa meritò ſacris documentis plerunque monemur, deo iubilare: vt quoniam articulata laudatione, nec diſtincta oratione diuinam maieſtatem adæquare humanæ linguę minùs datur, incondito ſaltem ſono, geſtienti aſſenſu, animente frõte, incomprehenſibilem & indicibilem nobis eam eſſe fateamur. Sanè his modulis quamuis incompoſitis Deus ipſe nimis oblectatur. Nam quanto Dionyſius Areopagita negatiuam Theologiam præponit affirmatiuę, quia de natura Dei, potiùs quid non ſit, nouimus: quàm quid ſit: tanto apud pias mentes laus iubilatoria præcellit hymnidicam. Quid? quòd is verus diuinitatis agnitor, abundans laudator, & operoſus cultor, maximè habendus eſt, qui proprię imbecillitatis conſcius, validè proclamat, Dei potentiam, ſapientiam, & bonitatem ſe neq; poſſe mente concipere, nec ſermone narrare, nec operibus excolere: ſed tantarum rerum admiratione ſuſpenſus totus iubilat: imò vehemẽti ſtupore diſtrictus, conſiderans tacitusq; ſilet. Id enim rationabile temperatumq; demittentis ſe hominis ſilentium eſt, abundè commoda ſummi dei laudatio. Nempe Dauid Propheta Pſalmum quempiam Hieronymo interprete à ſilentio inchoat, & dicit: Tibi ſilentium, laus, Deus in ſyon. Quod aliter tamen interpretes Septuaginta verterunt: hoc eſt, Te decet hymnus Deus in Sion. At quanto ſapientiùs, quanto diuiniùs, emeritus ille magiſter, Hieronymus, nunquam ſine præfatione mihi nominandus, traduxit: qui profunda mẽte, nec non admirabili doctrina, ſilentiũ pariter laudemq; interpretando copulauit! vt nos admoneret, modò commendabili laude, modò iubilatorio neumate, modò deniq; verecunda taciturnitate Deũ pro virili magnificare. Et quis vnquam domini gloriam prædicando, tantũ profecit, qui minimam tantæ maieſtatis

por-

portiunculam ſit conſecutus? An tenue minutumq́; creaturæ mortalis ingenium, abſolutiſsimam creatoris ſui perfectionẽ percurrere valebit? quam neq; illi ſpiritus ſupremi complecti queũt? Vnde ſtultiſsimus ſemper habitus fuit, quiſquis caſſo labore id efficere attentauit, non minùs quàm ſi quiſpiam ſtolidus vecordi mente voluerit, conatusq́; ſit totum mare pugillo cogere, vel eius arenas dinumerare, vel ſtellas vocabulis ſuis nuncupare: hoc eſt impium ſcelus, hoc eſt ſacrilegum facinus, hoc eſt homunciones velle ſibi ſumere quę pater poſuit in ſua poteſtate. Nec mireris veros Dei cultores ineffabilem illius maieſtatem ſilentio venerari, cùm fuerit etiam apud gentes talis quędam religio. Quippe vt Angelus Politianus diligentiſsimè obſeruauit, in Epiſtola Abbammonis Aegyptii ad Porphyrium (quam aut in græcam vertiſſe orationem, aut certè compoſuiſſe Platonicus Iãblicus exiſtimatur) de deo quodam veluti ſecundo fit mentio, cui nomen ægyptiaca lingua fecerit, Ichcõ: hunc oſtendit ſilentio coli oportere. Quod idem etiam de ſummi Dei cultu prolixè Porphyrius tradit. Quin Harpocratem, qui (vt ait Ouidius) Premit vocem, digitoq́; ſilentia ſuadet, Aegyptii ſuis adhibebãt ſacris, vt ſilẽtio oſtenderent colendum Summum deorum. Quamobrem ſolicitiùs nobis chriſtianis cauendum eſſe reor, nè verboſa loquacitate cœlorum arcana, quæ diminutè & ex parte cognouimus, arroganter aut temerè tractanda vendicemus: Sed nunc humanum os rerum diuinarum ſublimitate coërcitũ, reuerenter conticeat, iuxta illud, In ſermone eius ſileat omnis ventus. Et illud Iſaię: Erit iuſtitiæ cultus ſilentium. Nunc etiam in domini laudes ſoluatur lingua noſtra: Nèdum quãtulumcunq; poſſumus, deum laudare ceſſamus, nimię tarditatis pœnas demus. Nè talenti male defoſsi rei agamur: ac perinde damnati, ligatis pedibus manibuſq; exteriores in tenebras mittamur. Verùm hymnidicos angelorum choros imitati quãtalibet harmonia patrem noſtrum concelebremus. Simusq́; ſemper memores illius præcepti: Benedicentes dominum, exaltate illum, quantum poteſtis: maior eſt enim omni laude: exaltantes eũ replebimini virtute. Nè laboretis, non enim comprehẽdetis. Quis vidit eum, & narrabit? Et quis magnificabit eum ſicut eſt, à principio? Multa ſunt abſcondita maiora his. Pauca enim vidimus operum eius: Omnia autem dominus fecit, & piè agentibus dedit ſapientiam: cuius quidem ſapientiæ portionem non minimã Muſica ſibi vẽdicat. Muſica enĩ domini laudẽ ſemper habemus in ore: Muſicis numeris Moſes glorioſè Dño cantat. Sãctꝰ quoq; Iob calamitates & ſua vlcera querulis modulis luget. Et Hieremias ſui populi captiuitatẽ deflet. Iſaias cãtionibꝰ, domini miſericordias recordatur: eiſque laudem domino annuntiat, ſuper omnibus, quæ reddidit nobis. Quid referam Pſalterium decachordũ, glorioſamq́; Dauidis Regis citharam? Porrò muſicis incitamẽtis peccatores ad pœnitentiam prouocantur. Muſicę oblectamentis infirmorum animus in affectum pietatis aſſurgit. Muſica viri perfecti, modò commouentur ad lachrymas, mo-

dò

dò ſpirituali gaudio dilatātur. Sed quoniam, vt ait Auguſtinus, omnes affectus ſpiritus noſtri, pro ſua diuerſitate habent proprios modos in voce atq; cātu, quorum occulta familiaritate excitātur: tam imperioſæ artis vſus, rationis habena temperandus eſt. Ergo hanc quę in ſcenis & choreis effœminata, et impudicis modis infracta verſatur, tanquam mortiferos Sirenarum cantus, ſurda debemus aure tranſire: ea enim molles & delūbes homines facit, ac libidinoſa turpitudine animas implicat. Præclarè Ouidius,

Eneruāt animos citharæ, cātusq;, lyręq;,
Et vox, & numeris brachia mota ſuis.

Econtrariò autem haurienda eſt modulatio pudica & grauis, & quę occulta quadam vi animum abſtrahat, & ad diuina contemplanda quodam modo rapiat.

❧Cur ſumma articulorum fidei catholicæ, Symbolum ſit dicta, authore Cypriano.

TRadunt (inquit Cyprianus) maiores noſtri, quòd poſt Aſcenſionem domini, cùm per aduentum Sancti ſpiritus, ſuper ſingulos quoſq; Apoſtolos igneæ linguæ ſediſſent, vt loquelis diuerſis variisq; loquerentur: per quod eis nulla gens extera, nullæ linguę barbaræ inacceſſæq; viderentur. Et in vis præceptum eis à domino datum ob prædicandum domini verbum, ad ſingulas quaſq; profiſci nationes. Diſceſſuri itaque ab inuicem normam prædicationis in commune conſtituūt. Nè fortè alius ab alio deducti, diuerſum aliquid his qui ad fidem Chriſti initiabantur, exponerent. Omnes ergo in vno poſiti, & Spiritu ſancto repleti, breue iſtud futuræ ſibi, vt diximus, prædicationis indicium, conferendo in vnum quod quiſque ſentiebat, componunt: atque hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt. Symbolum autem hoc multis & iuſtiſſimis ex cauſis appellare voluerunt: Symbolum enim græcè indicium dici poteſt, & collatio: hoc eſt quod plures in vnum conferunt. Id enim fecerunt Apoſtoli, in his ſermonibus in vnum conferēdo vnuſquiſq; quod ſenſit. Indicium autem vel ſignum idcircò dicitur, quia in illo tēpore, ſicut & Paulus Apoſtolus dicit, & in Actibus apoſtolorum refertur: Multi ex circumciſis Iudęis ſimulabant ſe Apoſtolos Chriſti, & lucri alicuius vel vētris gratia ad prædicandū proficiſcebantur: nominātes quidē Chriſtum, ſed non integris traditionū lineis nuntiantes. Iccircò iſtud indicium poſuêre, per quod agnoſceretur is, qui Chriſtum verè ſecundùm apoſtolicas regulas prædicaret. Deniq; & in bellis ciuilibus hoc obſeruari ferunt, quoniam & armorum habitus par, & ſonus vocis idem, & mos vnus eſt, atq; eadem inſtituta bellandi: nè qua doli ſubreptio fiat, ſymbola diſcreta vnuſquiſque dux ſuis militibus tradit: quæ latinè vel ſigna, vel indicia nominantur. Vt ſi fortè occurreret ei de quo dubitetur, interrogatus

rogatus

usrogat ſymbolum prodat, ſi ſit hoſtis, an ſocius: Idcircò hæc non ſcribi chartulis atque membranis, ſed retineri cordibus tradiderunt: vt certum eſſet, neminem hanc ex lectione, quæ interdum peruenire etiam ad infideles ſolet, ſed ex Apoſtolorum traditione didiciſſe ſufficeret. Diſceſſuri ergo, vt diximus, ad prędicandum, iſtud vnanimitatis & fidei ſuæ indicium Apoſtoli poſuerunt. Nō ſicut filii Noë diſceſſuri ab alterutrum turrim ex latere cocto & bitumine conſtruentes, cuius cacumen pertingeret vſq; ad cœlum: ſed monumenta fidei, quæ ſtarent aduerſum faciem inimici, ex lapidibus viuis & margaritis dominicis ædificantes: quę nec venti impellerent, neq; flumina ſubuerterent, nec tempeſtatum ac procellarum turbines permouerent. Meritò ergo illi ab inuicem ſeparandi, turrim ſuperbiæ ædificantes, linguarum confuſione damnati ſunt: vti nè vnuſquiſque poſſet aduertere proximi ſui loquelam. Iſti verò, qui turrim fidei conſtruebant, omnium linguarum ſcientia & agnitione donati ſunt, vt illud peccati, hoc fidei probaretur indicium.

Quid diſtet inter credere Deo, & credere Deum, & credere in Deum.

ENIM VERò putauit Auguſtinus, vir cùm ingenii acumine, tum ſanctitate inſignis, nec vno tantùm loco ſcriptum reſpicit, aliud eſſe Credere Deo, aliud Credere Deum, aliud Credere in Deum. Credere (ait) Deo eſt credere, vera eſſe, quæ loquitur: quod & mali faciunt. Et nos credimus homini, ſed non in hominem. Credere Deum eſt, credere quod ipſe ſit Deus: quod etiam mali faciunt. Credere in Deum eſt, credere quod ipſe ſit Deus, credendo in eum ire, credendo ei adherere, & eius mēbris incorporari. Hanc diſtinctionem ſubtiliter excogitauit, collatis inuicem haud paucis ſcripturarum locis. Quam tamen Vallenſis ille Momus vellicare auſus eſt, quòd aliquot locis non ſit ea in ſcripturis ſeruata: vt quùm Dominus ait, Qui audit verbum meum & credit ei, habet vitam æternam. Et quod de Abraham ſcriptum eſt, Credit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Sed Auguſtinus de frequentiori vſu loquitur, & commodiori, ad explicandum huius verbi eam eſſe vim, quòd cùm credere ſit vnus numero actus, eſt tamen poteſtate multiplex, quatenus credentis animus trifariàm credendo erga Deum ſe habeat. Nam eſt reperire, qui credant Deum eſſe, ſed non eundem eſſe verum Deum, qui eis loquitur: aut ſi credunt, eum ipſum eſſe deum verum myſteriorum reuelatorem, minus autoritati eius reddunt, minuſq; ipſius teſtimonio aſſentiuntur. Nec id mirum, cùm ſint temerarii quidam, qui impia audacia in dubium vertunt, poſſitne Deus mentiri: Cùm ratio omnium credendorum ſit, Deum, id eſt primam veritatem non poſſe mendacium

dicere: vt exploratiſſimum habeatur, omne reuelatum à Deo, eſſe verum, ac perinde credendum. Sunt deniq; alii, qui Deum credant, & ei aſſentiantur: ſed in eum non credãt. id eſt in eũ dilectione non tendunt, quia non feruntur amore in ipſam primam veritatem: quæ cùm ſit ſumma bonitas, eſt voluntatis bene inſtitutæ finis vnicus, in quem tanquam in ſummum omnium expetendorum bonum cunctorum ſeruandorum fertur intentio. Quod quidem ſummum bonum, nihil eſt aliud, quàm ſuprema illa Dei Maieſtas, id eſt beata & beatifica diuinitas, eſſentia quidem vna, perſonis autem trina. Hinc in Apoſtolorum Symbolo, teſte Ruffino, vt in vna eadémque trinitate diuinitas doceatur ſic dictum eſt, Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, adiecta præpoſitione, in: ita, & in Chriſtum Filium eius: ita, & in Spiritũ ſanctum, memoratur. Sed vt manifeſtius fiat, quod diximus, ex conſequentibus approbabitur. Sequitur namq; poſt hunc ſermonẽ: Sanctam eccleſiam catholicam, Remiſſionem peccatorum, Carnis reſurrectionẽ. Si enim addidiſſet, in, præpoſitionem, vna cum ſuperioribus eademq; vis fieret. Nunc autem in illis quidẽ vocabulis, vbi de diuinitate ordinatur fides, in Deum Patrem dicitur, & in Chriſtum filium eius, & in Spiritum ſanctum: in cęteris verò, vbi non de diuinitate, ſed de creaturis & de myſteriis ſermo eſt, in, præpoſitio non additur, vt dicatur, in ſanctam eccleſiam: ſed ſanctam eccleſiã credendam eſſe: non vt Deũ, ſed vt eccleſiã Deo congregatã. Et remiſſionem peccatorum credãt eſſe, nõ, in remiſſionem peccatorũ: & reſurrectionem carnis credãt, nõ, in reſurrectionẽ carnis. Hac itaq; præpoſitiõis ſyllaba, creator à creaturis ſecernitur: & diuina ſeparantur ab humanis. Nẽpe quia per eã intentio creaturæ in creatorẽ, & hominis in deũ, velut in finẽ ſibi dilectũ, deſignatur. Quare quiſquis credit in Deum, nõ modò credit eum eſſe, qualem confitetur Eccleſia ſancta & catholica: ſed etiam deo credit, quomodò illa tradit, ei credẽdũ eſſe, & in eum quoq; dilectione tẽdit. Teſtatur Auguſtinus, hæc ita habere, tractans illud Domini ad Iudęos: Hoc eſt opus Dei vt credatis in eum, quem ille miſit. Vt credatis, ait, in eum: non, vt credatis ei. ſed ſi creditis in eum, creditis ei. Non autem continuò qui credit ei, credit in eum. Et dæmones credebant ei, & non credebant in eum. Rurſus etiam de Apoſtolis ipſius poſſumus decere, Credimus Paulo, ſed non credimus in Paulum: credimus Petro, ſed non credimus in Petrũ. Credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, deputatur fides eius ad iuſtitiã. Quid eſt ergo credere in Deũ? credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & eius membris incorporari. Huiuſmodi itaq; in Deũ credere, eſt perfectus actus fidei perfectę, quę per dilectionem operatur: vt non modò ſit elicitus ab intellectu per imperiũ voluntatis, ſed etiã ab habitu fidei ex imperio charitatis: vt ſit vnꝰ actꝰ eſſẽtia ſimplex, virtute multiplex, à pluribus potẽtiis intellectu ac volũtate, pluribus habitibus fide & charitate affectis, aliter & aliter profectus. Porrò dixerit è contra

rio quiſpiam, nihilo differre, credere Deo, & credere in deum: eò quod non eſt, aliquem credere Deo, abſque pia in eum voluntatis affectione. Sed alius refragabitur dicens, non ſatis eſſe illam piam affectionem charitate vacuam ad credendum in eum: Sed exigi perfectam charitate piam affectionem, quæ ſufficit ad vitam æternam promerendam. Cui & Auguſtinus iterum in expoſitione Symboli adſtipulatur dicens: In primis dilectiſsimi, qualis ſit ſermo, in Symboli capite diligenter attendite. Ergo in primo habet, Credo. Vide quòd Dominus noſter, non nos iubet diſcutere diuina iudicia, ſed credere: nec rationem diſquirere, ſed fidem ſimpliciter & immobiliter exhibere. Non dicit, Credo Deum, vel Credo Deo, quanuis & hæc neceſſaria ſint ſaluti: ſed quid dicit? Credo in Deum. Aliud enim eſt credere illi, aliud credere illum, aliud credere in illum. Credere illi, eſt credere vera eſſe quæ loquitur. Credere illum, eſt credere, quia ipſe eſt Deus. Credere in illum, diligere illum. Credere vera eſſe, quæ loquitur, multi & mali poſſunt. Credunt enim eſſe vera, & nolunt ea facere ſua: quia ad hoc pedũ pigri ſunt. Credere autem & ipſum eſſe Deum, & dæmones poſſunt. Credere verò in Deum, ſoli nouerunt, qui diligunt illum: qui non ſolùm nomine Chriſtiani ſunt, ſed & factis & vita: quia ſine dilectione fides inanis eſt. Cum dilectione, fides Chriſtiani: ſine dilectione, fides dæmonis. Qui enim non volunt credere Chriſtum, adhuc nec dęmones imitantur. Qui iam credit Chriſtum, ſed odit Chriſtum, habet confeſsionem fidei in timore pœnę, non in amore coronæ. Nam & illi puniri timebant. Denique Beatus Petrus cum Domino confitens diceret, Tu es Chriſtus filius Dei viui: eadem pene verba, quæ & dęmones, proferre videtur: ſed horum confeſsio, quia cum odio prolata eſt, meritò damnata eſt: illius quia ex interna dilectione proceſsit, æterna beatitudine remunerata eſt. Nos ergo qui per adoptionem gratiæ filii Dei ſumus, dicendo, Credo in Deum Patrem omnipotentem: hoc eſt, ſic ei credamus, vt ei per dilectionem adhæreamus. Sed de his exactiùs ſequenti capite differendũ: imò potiùs ſuprà pagina ſeptuageſima quinta iam dudum differtum eſt.

Quæſtio ſiue Tractatus,

Vtrùm peccator verè dicere poſsit, Credo in Deum.

qui hoc in loco cõmodè rurſus inſeri poterat, ſuprà folio.75. columna quarta reperietur.

De Symbolo Niceno inter ſacra viua voce canendo.

CVm omnis in eccleſia laus atq; hymnus vocalia potiùs eſſe debeant, quàm organica, vt percipiantur, ſimul & diligantur myſteria, quę in canticis continentur: Populus enim Chriſti ſpiritualis eſt, non carnalis, niſi fortè ad excitan-

dum populi deuotionem, opus ſit inſtrumentis interdum vti, conſtat Symbolũ Nicenum, quod ad inſtruendum de credendis Chriſtianum vulgus à maioribus noſtris inductum eſt, non modò viua voce, ſed diſtincta quoque & perceptibili voculatione eſſe cantandum. Ore enim, ait Paulus, non organo fit confeſsio ad ſalutẽ. Alioqui nihil dubium, quin antiqua illa patrum intentio defraudetur, atq; ferè penitùs diſpereat, ea quę diſtinctè pronuntiando Symbolũ maximè expetitur: imò ſola quęritur pernecesſaria catholicę plebis de articulis fidei inſtitutio. Sic enim legis in Concilio Agathẽſi: Symbolum etiam placuit ab omnibus eccleſiis vna die, id eſt ante octo dies Dominicæ Reſurrectionis publicè in eccleſia competentibus prædicare. Subſcribit & Prępoſitus ſuper Decretum diſtinctione decimaſexta.c. Canones. & in 3. concilio Toletano, Recharedus ſynodale decretum firmans ſic præcipit: Omnes Hiſpaniarum & Galliciæ eccleſiæ hãc regulã ſeruẽt, omni ſacrificii tẽpore ante cõmunicationem corporis Chriſti & ſanguinis, iuxta Orientalium partium morem vnanimiter clara voce ſacratiſsimum fidei recenſeant Symbolum, vt primùm populi, quam credulitatem teneant fateantur. Et ſic corda fide purificata, ad Chriſti corpus & ſanguinem percipiendum exhibeant.

De Triſhagio, hoc eſt, de hymno quo inter ſacra, Deus ter ſanctus celebratur.

Conſequens eſt, vt aliquid adſcribamus de triſhagio, hoc eſt, de hymno quem Iſaias Propheta audiuit duos Seraphinos decantare dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Quocirca pręnotandum eſt, ſanctitatis rationem ita definiiſſe diuinum Dionyſium in duodecimo capite de Diuinis nominibus: Sanctitas eſt ab omni immunditia libera, & perfecta, & immaculata munditia: quæ quidem in primis Optimo Maximóque Deo conuenit. Deus enim prorſus liber eſt, hoc eſt alienus ab omni peccatorum immunditia: & ita perfectus, vt nullis imperfectionis defectibus, quibus creaturæ ſordeſcunt, aliquatenùs contaminari queat. Immaculatus autem: quoniam nullis vel prauitatis maculis fœdari, vel vllius ignorantię erroribus obſcurari poteſt. Sanctus itaque Deus: quia ſupra omnem terrenæ fæcis immunditiam puriſsimus. Sanctus: quia ſupra cunctam rerum vniuerſitatem ſibi cõſtãtiſsimus: omni ęternitate præcedẽs, maieſtate excellens, poteſtate ſuperans: deniq; adeò ſublimis vt neque aliquid eo maius cogitari, neque quicquam ei æquale inueniri poſsit. Ex quo fit, vt quantum excelſus eſt & vnicus deitatis maieſtate, tantum ſit excelſus & ſingularis ſanctitatis ſummitate: neq; enĩ in deo eſt aliud ſanctitas, quàm ſua ipſius diuinitas: niſi quòd horum alterũ nomen naturam eius ſignificant: alterum verò eiuſdem puritatem, munditiem, atq; firmitatem.

Sicut

Sicut ergo quælibet ſacræ Triadis perſona eſt deus, ita & ſanctus. Eſt enim Pater ſanctus, vt teſtatur Filius, cum ita in euangelio Ioannis appellans: Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi. Quòd autem & Filius ſit ſanctus, teſtatur Gabriel Deiparæ Virgini dicens: Quod naſcetur ex te, ſanctum, vocabitur Filius Dei. Spiritum demum à Patre & Filio procedētē, ipſe Filius ſanctū pronūtiauit, dicēs: Accipite Spiritum ſanctum: quorū remiſeritis peccata, remittūtur eis. Quòd ſi in Deo non eſt aliud re ipſa ſanctitas quā eius deitas, ſicut non multiplicatur in illis perſonis deitas, ita neq; ſanctitas. Eádem enim ratione, quælibet perſona diuina dicitur ſancta, qua & dei natura: idcircò enim, quælibet illarum perſonarum eſt ſancta, quia in ea eſt eadē ipſius naturæ ſanctitas. Sicut ergo Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, & Spiritus ſanctus eſt Deus: Non tamen ſunt tres dii, ſed vnus Deus: ita & Pater eſt ſanctus, Filius eſt ſanctus, & Spiritus eſt Sanctus. Sed non tres Sancti, ſed vnus eſt ſanctus: hoc eſt, licèt tres illę ineffabiles perſonæ ſint ſanctæ, non tamen ſunt tres dii ſancti, ſed vnus Deus. Sicut vna eádemq; deitate quælibet illarum trium perſonarum eſt deus, omnesq; ſimul vnus idemq; deus: ita vna eádemque ſanctitate, quæuis earum eſt ſancta: ſed omnes tres ſunt vnus idémque Deus ſanctus. Vnde & apud Iſaiam, poſtquàm illi beati Seraphini conſona voce conclamauerūt ter, Sanctus, Sanctus, Sāctus: ad inſinuandam perſonarum trinitatem, ad indicandā in eiſdē eiuſdē naturę atq; ſanctitatis vnitatē, ſingulariter adiecerūt, Dñs Zebaoth. Nāq; pro eo q̄ inter pres ſuo more poſuit Dñs, hebræis eſt nomē illud ineffabile I H V H tetragrammatō: qd ſolā diuinā eſſentiā ſignificat, in ſe ſimpliciter vnā & indiuiſibilē, tribus tñ perſonis cõmunē. Hāc deniq; ſummā, vnāq; diuinitatis ſanctitatē, tribus perſonis communem, profitebantur duo illi beati Seraphini, clamantes alter ad alterum, Sanctus, Sāctus, Sanctus, Dominus exercituum. Pulchrè autem poſitum eſt alter ad alterum: adumbrant enim duo Seraphini duo teſtamenta, eorumq; in diuinis myſteriis aperiendis concentum. Quicquid enim, vt ait Hieronymus, in veteri legimus teſtamento, hoc idem in Euangelio reperimus: & quod in Euangelio fuerit lectitatum, hoc & veteris teſtamenti autoritate deducitur. Nihil eſt in eis diſſonum, nihilque diuerſum. Hinc & Ioannes in Apocalypſi, vidit quatuor animalia in circuitu ſedis requiem non habentia, die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus Sanctus, Dominus Deus Omnipotens. Duo igitur chori laudātiū dei tam veteris quā noui teſtamēti, nō ſunt curioſi perſcrutatores diuinę maieſtatis: ſed facies ſuas, ſicut faciunt Seraphini, præ reuerentia contegunt, & ſtatim ardentes amore erumpunt in Dei laudes inceſſabiles: neque contenti, quòd per ſe laudent Deum, mutuo inuitant ſe, & exhortantes accedunt ad laudem & gloriam Deo Optimo ac Maximo perſoluendas. Quare pientiſſimè beatus Sixtus Pontifex Romanus inſtituit vt ſacerdote actionem inchoan-

te, populus Hymnum hunc decantaret, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Quin & in cōcilio Vaſenſi optimè in hunc modum decretum fuit: In omnibus Miſſis, ſiue matutinis, ſiue quadrageſimalibus, ſiue in illis, quæ pro defunctorum commemorationibus fiunt, ſemper, Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine quo ad Miſſas publicas, dici debeat. Quia tam dulcis ac deſiderabilis vox, etiam ſi die noctúque poſſet dici, faſtidium non poterit generare.

Cur Trishagio addita ſint quædam alia verba quæ in die Dominicę Crucis referuntur.

CVr autem trishagio addita ſint quædam alia verba, quæ in die Dominicę Crucis tam græcè, quàm latinè proferuntur, in Pentaplo noſtro, capite tredecimo Staurici, oſtendimus latiùs quàm hic referendum. Ex quibus pauca huc transferenda duximus. Ergo quia quidam hæretici ex quibus fuerāt Eutyches & Petrus Napheo, auſi fuerunt tradere, Deum ipſum crucifixum fuiſſe, atque Chriſtum ſecundùm diuinam paſſum quoque fuiſſe naturam, quorum errores multis Conciliis exploſi ſunt: accedente etiam cœleſti reuelatione atque diuina autoritate, euenit, vt trisbagio huiuſmodi fieret additio, Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis: quibus Domini ſanctitas, fortitudo, & immortalitas commōſtratur. Fœlix itaq; Papa aduerſus Petrum Epiſcopum Alexandrinum, qui auſus eſt trisbagio adiicere, Qui crucifixus eſt pro nobis: his verbis agit, Poſt illud ſcilicet, Sanctus Immortalis, quod eſt Spiritus Sanctus: tunc inferens, Qui pro nobis crucifixus es, miſerere nobis: quaternitatē, nō trinitatem populo inſinuare vidêris; nēpe ſi ex humana traditione manaſſet hęc laus: ita quoq; incautè, crucem inſereres laudi, in qua filii appellatio, fortis ſcilicet, ponitur. Quoniam verò ab angelis, nobis laus ipſa profluxit, qui ante crucem dicebant, Sanctus, Sanctus, Sāctus: ſicut reſpicere Iſaias meruit: Poſt crucem vero cum laude clamabant, Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis: quam temerè & impiè auſus es illud adiicere, qui pro nobis crucifixus es, miſerere nobis. vbi nullà de infirmitate noſtra à filio aſſumpta fit mentio. Denique cùm terręmotu Conſtantinopolis quateretur, populuſque terrore concuſſus in campum progreſſus oraret, infantulus toto populo ſpectante, cum Proclo ciuitatis epiſcopo, in cœlum per vnam horam raptus eſt, ibiq; huiuſmodi didicit Hymnum: rurſumq; deſcendens nuntiauit quæ in æthere audierat, dicēs, de Cœlo quaſi de multitudine pſallentium huiuſmodi laudes inſonuiſſe auribus ſuis: Sāctus Deus, Sāctus Fortis, Sanctus Immortalis: dictumq; ſibi vt eam laudē populo indicaret. Quam vbi populi cantare inceperunt, ciuitatē receperunt: & Deo per huiuſmodi laudem

dem propitio facto, ab imminenti ira liberati ſunt. Hinc demū mos probatiſſimus inoleuit, in eccleſia catholica tā græca quā latina, huiuſmodi Hymnū dñicæ Paſſionis die decātari: quo profiteretur populus chriſtianus, nec Deum Patrē, nec Deum Filium, nec Deum Spiritum Sāctum, nec totam Trinitatem fuiſſe paſſam: eſto quòd Filius Dei ſecundum quòd homo, fuerit paſſus. Porrò illud carmen celebratur græcè priùs: ἅγιος ὁ θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. Deinde refertur latinè, Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sāctus Immortalis, miſerere nobis: vt oſtendatur & ipſum ab eccleſia græca ad latinam profluxiſſe, & vtranq; communi eiuſdem fidei confeſſione in vnam eandemq; totam Chriſti eccleſiam, dilectiſſimamq; ſponſam coaleſcere. Sanè cupias tam meritò ſcire, quare primo loco additum eſt, Deus: deinde, Fortis: demum autem, Immortalis. quia quarum perſonarum vna eſt numero diuinitas, earundem eadem eſt fortitudo & immortalitas. Et tamē ſecundùm illarum ordinem perſonarum, Patri meritò deitas attribuitur: quoniā ab eo tā Filius, quàm Spiritus ſanctus ab æterno habent quòd ſint idem cū illo Deus. Deinde, Filio cōgruēter accōmodatur fortitudo, qui ab Apoſtolo prædicatur virtus & ſapientia patris, per quam mundus creatus eſt, atq; recreatus. Deniq; Spiritui ſancto conuenienter immortalitas adſcribitur: Spiritus enim eſt qui viuificat. & qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, habebit vitam æternam. Attributim itaq; trinæ ſanctitati, tria illa applicantur, vt per attributa talia ad illas ineffabiles ſublimiū hypoſtaſeōn proprietates quādantenùs cognoſcendas, credentes Chriſto manu ducātur. Alioqui, vt Gregorius Theologus inquit; Sācta ſanctorū, quæ apud Iſaiā ipſis Seraphim velātur, & glorificātur trib⁹ ſanctificationib⁹, in vnā cōcurrunt dñationē & deitatē: nam poſtquàm ter repetitum eſt, Sanctus, Sanctus, Sanctus: ſtatim eſt appoſitum, Dominus Deus Sabaoth: vt & perſonarum Trinitas inſinuaretur; & vnitas Dñi Deiq; aſſereretur. Eandem rationem ſecuta eſt eccleſia catholica, dum poſt pꝛofeſſionem virtutis, fortitudinis, & immortalitatis diuinæ ſanctitatis, ſingulari verbo precando ſubnecit, Miſerere nobis: vt in tribus illis ſanctis perſonis, diuinis, fortibus, & immortalibus, vnum Deum, fortem, immortalem; ac perinde miſericordem confiteretur.

De Sabaoth.

SAbaoth vel potiùs Zebaoth: eſt enim Zeb: oth pluralis numeri nominis Zeba, quod interpretatur exercitus: vt in capite primo libri Numerorum, Omnē qui ingreditur Zeba, id eſt ad exercitū Iſraël, numerabis eos. Pro quo Hieronymus trāſtulit: Omniū virorum fortium in Iſraël: nimirū, quia ex viris fortibus exercitus congregari debet. Et in vigeſimoſecundo capite libri tertii Regum, Micheas Propheta dixit ad Achab regē Iſraël: Vidi Do

minum ſedentem ſuper ſolium, & omnē Zebaa, *id eſt exercitum cœli aſſiſtentē ei à dextris, & à ſiniſtris. Vbi procul-dubio exercitum cœli vocat cœtum ſpirituum cœleſtium: ſicut in Pſalmo trigeſimoſecundo, idē ſignificaſſe videtur Propheta dicens: Verbo domini cœli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum: id eſt exercitus eorum. &c. Beatus Lucas Euangeliſta græca lingua hebraicum exprimens idiôma, dixit: Et ſubitò facta eſt cum angelo multitudo cœleſtis exercitus, laudantium eum. A* Zeba *igitur ſingulari, id eſt exercitu, declinatur plurale* Zebaoth, *id eſt exercitus: vt in Pſalmo vigeſimotertio Dominus* Zebaoth, *id eſt exercituum, ipſe eſt rex gloriæ. Septuaginta autem verterunt, δυνάμεων, id eſt virtutum aut potentiarum. Videtur & Seruator noſter, vſus fuiſſe eodem verbo* Zebaoth *id eſt exercitus, cùm apud Lucam dixit, Nā & virtutes cœlorum mouebūtur. Quid enim aliud poſſunt intelligi virtutes cœlorum, quàm exercitus angelorū? Vnde ſuper illud Iſaiæ capite primo, Niſi dominus exercituū reliquiſſet nobis ſemen, &c. Hieronymus ita diſſerit: Pro, dominus exercituū, quod nos ſecuti Aquilam in latinum vertimus, in hebræo legitur, Dominus Sabaoth: quod LXX. interpretes pro locorū qualitate dupliciter tranſtulerunt: aut dominum virtutū, aut dominū omnipotentem. Et quærendum, vtrùm de Patre dicatur, an de Filio. Nec dubium, quin illud quod in vigeſimotertio pſalmo legitur, Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ: Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutū, ipſe eſt Rex gloriæ. Dominus Sabaoth, id eſt virtutū, ipſe eſt Rex gloriæ, ad Chriſtum referatur: qui poſt paſſionis triumphū ad cœlos victor aſcendit. Et in alio loco dūo dicitur, quod Rex gloriæ ſit: Si enim cognouiſſent, nūquam Dominū gloriæ crucifixiſſent. Ergo non ſolū iuxta Apocalypſin Ioannis & Apoſtolū Paulum, ſed in veteri quoq; teſtamēto, Dñs Sabaoth, hoc eſt omnipotens Chriſtus appellatur. Si enim omnia Patris, Filii ſunt: &, vt ipſe loquitur in euangelio, Data eſt mihi oīs poteſtas, in cœlo & in terra: & oīa mea tua ſunt: & glorificabor in eis: cur nō etiā omnipotēs nomē referatur ad Chriſtū? vt ſicut Deꝰ Dei, & Dñs Dñi, ita omnipotens, omnipotentis filius ſit. Et in epiſtola ad Damaſum de Seraphim ita ſcribit: Et dicebāt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus. Sabaoth: in ambobus teſtamentis trinitas prædicatur. Quod autē Sabaoth & Saluator noſter eſſe dicatur, accipe exēplum in vigeſimotertio Pſalmo: Virtutes quæ domino miniſtrabāt, ad cœleſtes alias fortitudines proclamabant, vt pandant domino viam reuertēti: Tollite portas principes veſtras; ſiue vt Aquila interpretatur, Attollite portæ capita veſtra: & introibit Rex gloriæ. Rurſum illæ, quem indutū carne conſpiciunt, nouo myſterio ſtupefactæ interrogāt, Quis eſt iſte Rex gloriæ? accipiuntq; reſponſum, Dominus virtutū, ipſe eſt Rex gloriæ: quod in hebræo ſcribitur, Dominus Sabaoth. Mirantur itaq;, & meritò, quòd Dñs Sabaoth*

Sabaoth in forma dei poſitus, formam ſerui acceperit, & humiliauerit ſe vſq; ad mortem, mortem autem Crucis: & nequaquam, vt priùs, cœleſtia tantū, ſed & terrena eum agnoſcant. Plena eſt, in quit, terra gloria tua. Animaduerte lector, Hieronymū fateri, toti ſacræ Trinitati conuenire trisbagiū, licèt cenſeat ratione quadam dei filio congruere propter carnis aſſumptæ myſterium: de negotio enim filii iam incarnati cum incredulis Iudæis Ioannes tractabat, quando ſcribit: Hęc dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius, non dubiū, quin Ieſu Chriſti: tunc enim omnis terra, id eſt humana natura, plena fuit gloria, quando Verbum Caro factum eſt. Enimuerò eccleſia plenitudini gloriæ adiecit, & cœlos plenos eſſe domini gloria, dicens: Pleni ſunt cœli & terra gloria tua. Quia & cœli enarrant gloriam dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Imò quia nec cœli, neq; cœli cœlorū immenſam diuinæ maieſtatis gloriam capiunt, rectè, Habacuc cecinit: Operuit cœlos gloria eius: & laudis eius plena eſt terra. Ergo ſicut dominus Prophetæ viſus eſt, tanquā Rex ſedens ſuper thronum excelſum, & quòd fimbrię maieſtatis ei⁹ vniuerſa eo inferiora ad terrā vſq; gloria replerent: ità & angeli laudant ipſum, tum in ſe manentem, tum creaturis ſeſe infundentem, eaſq; gloria complentem. In primis ergo Seraphini laudant deum à propria ipſius maieſtate, cùm ſanctum vocant, atq; eſſentia vnum, perſoniſq; trinum glorificant. Deinde laudāt eundem à dominio ſuper ſpiritus cœleſtes, quòd dominus ſit exercituū. Deinq; à glorioſa maieſtate eius per totam terram diffuſa, commendāt. Quos imitatus & Dauid in pſalmis deo canit, Domine Dominus noſter, quā admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! Magna proculdubio dn̄i gloria in tota terra: quia illam ex nihilo creauit, & ſuper nihilum fundauit, aquis cinxit et irrigauit, herbis arboribuſq; exornauit, animantibus repleuit, hominibuſq; habitabilē fecit. Verùm hac multò maior eſt gloria, quæ clarificante Patrem Filio, nomen dei toto mūdo longè lateq; innotuit. Hac enim de cauſa laudant angeli, exultant archangeli, omneſq; ſpirituum cœleſtium chori cōgratulantur, & iubilant omnes filii dei. Qui cōcordi quoq; concentu teſtantur, iam non templum Hieroſolymorum, ſicut priùs, ſed omnem terram illius gloria plenam eſſe: qui pro hominum ſalute dignatus eſt de cœlis ad terras deſcendere, humanumq; idemq; mortale aſſumere corpus. Impletumq; iam eſt, quod Domin⁹ Moſi precanti ſe pro peccato populi, qui vitulū adorauerat, reſpondit: Propitius ero illis: verùm tamen viuo ego, & viuit nomen meum, quòd implebitur gloria mea omnis terra. id quod ad filiū Pſaltes retulit dicens, Implebitur gloria eius omnis terra. Quod quia impletum eſt nato Domino, multitudo cœleſtis exercitus Deum laudans coram paſtoribus cecinit, Gloria in excelſis Deo: et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Cōcinimus & nos cum illis eandem deo gloriam, quòd pax beneuolentiſſima fuerit orta hominibus bonæ voluntatis: quos tales ipſa fecit. Gloriam item Deo damus:

mus: quia annuntiatur nobis gaudium magnũ, quod erit omni populo. Quod? quia natus eſt nobis hodie Saluator mundi. Et quis ille? Chriſtus Dominus, id eſt, is qui Deus eſt & Homo. Nonne hoc gaudium maximum, maximã dei glorificationem exigit? Expoſcit vtiq;. Enimuerò ſicut nullus eſt, qui non egeat ſalutari Dei, quia omnes peccauerunt, & egent gloria dei: ſic & nullus ab ea excluditur, qui eam admittere velit, eius pace potiri, ipſius gaudio perfrui: ex quo fiat, vt iuſtificati gratis per gratiã ipſius, cum angelis Deum glorificent, nouum lætitiæ hymnum concinant, Gloria in excelſis Deo. Quòd ſi glorificandus eſt Deus ob ſummam eius maieſtatem qua rebus omnibus antiſtatur, & propter ſupremam poteſtatẽ qua vniuerſa creat & conſeruat, & ob immenſam ſapientiam, qua cuncta gubernat: quanto magis glorificatione dignus eſt propter effuſiſſimam eius bonitatem? Deniq; hoc glorificationis angelicæ Cãticum neutiquàm mutis organis, ſed humanis vocibus non minùs quàm Symbolum proferendum eſt: quod Synodo Toletana & Abulenſis eccleſiæ ſtatuto ſeruari piè ac ſanctè decretum eſt.

Quid Maieſtatis nomen in Deo ſignificet: & quo diſtet à gloria.

ENimuerò quoniã in myſteriis, diuinæ tũ maieſtatis, tũ gloriæ mentio fit, admonendũ duximus, maieſtatis nomẽ, quũ Deo tribuitur, ſignificare quidem ſummã diuinitatis magnitudinẽ, qua nihil maius, neq; eſſe, neq; excogitari poteſt: nec tamẽ præter id ſignificare aliquam perfectionẽ, ex attributis deo, quemadmodũ ſapientia, & bonitas, et alia id genus nomina: ſed ſummũ quendam & egregium excellentiæ gradum, in cũctis perfectionibus, quas natura diuina ampliſſimo ſuo ſinu cõplectitur: quo quidẽ gradu infinito interuallo cunctis aliis rebus anteſtat, tam in his dotibus, quibus prædita creatura autorẽ ſuũ refert, quã in illis ſingularibus Optimi ac Maximi rerũ Principis dignitatibus, ad quas factura ipſius aſpirare nequit. Verbi gratia, diuinæ ſapiẽtiæ maieſtas eo elucet, quòd omnia nuda & aperta ſunt oculis eius: ita vt res alias cognitione ſuperet, & ſeipſum exæquet. Magnitudo diuinæ poteſtatis eo quoq; præſtat, quòd non eſt impoſſibile apud Deũ omne verbum. Miſericordiæ item diuinæ celſitudo inde extat, quòd ſicut deus omnino nequit eſſe obnoxius alicui miſeriæ, ita & cunctis miſeris opem ferre poteſt. Eſt præterea maieſtatis diuinæ ea præſtare, quę creatura nullatenùs poteſt: qualia ſunt, vniuerſum hoc pulcherrimum ex nihilo condere, peccatores iuſtificare, iuſtificatos glorificare, animas in corpora refundere, perpetuamq; rediuiuis vitã præſtare, vt iniuſtis miſerrimã, ita iuſtis beatiſſimã. Ad dei maie

ſtatem

ſtatē deniq; ptinet, ea quæ rerū natura ſuis decurſibus progreſſa, aliquādo facere poteſt, virtute ſua efficaciſſima repētè proferre. E quorū numero fuēre plera que prodigia, quibus Deus Ægyptios afflixit: nec nō multa, quæ Dei Verbum in aſſumpta carne mirificè operatus eſt. Deniq; dei maieſtatem celebrat Dauid, cùm lyra perſonat aurata, Magnus Dominus, & laudabilis nimis! & magnitudinis eius nō eſt finis! & quę ſequūtur. Gloriæ autem nomen Optimo Maximoq; Deo congruere conſtat, pièq; commodari, quatenùs eſt clara quędā diuinæ maieſtatis cognitio, ac pulchra ſupremę celſitudinis declaratio, atq; pro penſa magnificentiſſimæ bonitatis commendatio. At verò præſtat in medium afferre, id quod diuus Hieronymus in commentariis quos ſuper Epiſtolā Pauli ad Galathas ſcriptos reliquit, ea de re, tam eruditè quàm piè annotauit, dicens: Nè autem penitus verbum gloriæ prætermittamus intactum, ſuas philoſophis ineptas relinquentes, de ſcripturis aliqua tractemus. Opinionem vulgi, & laudem hominum fauore quæſitam, gloriæ nomē ſonat, vbi dicitur, Omnia autem faciunt, vt ab hominibus glorificentur. Et alibi: Quomodò poteſtis credere, gloriam ad inuicem quærētes? Porrò in bonam partem in eodem loco: Et gloriam ab eo qui ſolus eſt, non quæritis. Ex quo intelligimus, idem verbum, nunc virtutem ſignificare, nunc vitium: ſi ab hōibus quæro gloriā, vitiū eſt: ſi à deo, virtus eſt. qui & ad verā nos gloriā cohortatur dicens: Eos autē qui me glorificāt glorificabo. Significat & aliud in ſcripturis diuinis gloria, cū auguſti⁹ aliquid & diuinū hominū ſe prębet obtutibus. Viſa eſt in tabernaculo gloria domini: & in templo quod à Salomone conſtructum eſt gloria erat. Et in facie Moyſi, quando neſciebat, quòd glorificatus eſſet vultus eius. De qua vultus gloria puto & Apoſtolū dicere, Nos autem omnes reuelata facie gloriam domini contemplantes, in eandem gloriam trāſformamur à gloria in gloriam, ſicut à domini ſpiritu. Et ipſe Saluator, ſplēdor gloriæ & figura ſubſtātiæ dei dictus eſt. Vidit & Stephanus gloriam dei, & Iēſum ſtātem à dextris eius: quibus in locis proculdubio ſignificat aſpectum diuinius aliquid oſtendentem. Vnde pleriſq; in locis noſtri maieſtatem pro gloria tranſtulerunt. Hæc Hieronymus. Nobis autem videtur, maieſtatem & gloriā ita apud nos differre, ſicut apud latinos diſtant rerū geſtarum amplitudo, & quę eam ſequitur claritas. Et quemadmodū aliud eſt ſol, aliud fulgor ab eo diffuſus: ita aliud eſt, diuina in ſe maieſtas, aliud gloria quæ illam obtutibus humanis profert, atque manifeſtat. Vnde & in ſcripturis diuinis interdum ſeparantur: vt in Prouerbiis Salomon ait, Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Apud Iſaiam: Et introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis domini, & à gloria maieſtatis eius. Interdum quoq; confunduntur. Nam pro eo quòd apud Marcum legimus, Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa & gloria; In Luca ſcriptum, cū poteſtate

teſtate magna & maieſtate. Et pro eo quod in tertio libro Regũ, legis: Impleuerat enim gloria domini domum dñi: in Paralipomenis eſt, Maieſtas domini impleuit domum domini. Quam ob rẽ animaduertet diligens Lector, quando in ſcripturis ſacris hæc duo diſtinguãtur, & quando alterum pro altero ponatur. Nam vbi Stephanus dicitur apertis cœlis vidiſſe gloriam dei, forſitã maieſtas intelligenda eſt. E diuerſo, vbi in Pſalmo ſcriptũ eſt, Et replebitur maieſtate eius omnis terra: forſitan gloria accipienda eſt. De alijs pie Lector tu ipſe coniecta.

Quid Hoſanna ſignificet.

ADmodùm autem conſentaneè, Seraphicæ laudationi qua rerum cõditor ab angelis glorificatur, appoſuit Eccleſia eum hymnum, quo Redemptorem generis humani, turbæ quæ præibant & ſequebãtur, ingenti lætitia exultantes diuinis laudibus glorificabant. Ab eoq; cœleſtem æternamq; ſalutẽ petierũt. Legimus apud Matthæũ cap. 22. quòd ingrediente domino Ieſu Hieroſolymã, turbæ quæ præcedebant, & quæ ſequebantur clamabant dicentes, Hoſanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine domini: Hoſanna in excelſis. Quo in loco duo mihi obſeruanda videntur. Primum eſt, ꝙ cùm verborum ordo exigeret, vt diceretur, clamabant dicentes illi, Hoſanna in excelſis: Euangeliſta vtens tranſpoſitione, poſuit loco pronominis, nomen: dicendo, Clamabant, dicẽtes, Hoſanna filio Dauid. Quod fecit ſapienter. Loquutus eſt enim Emphaticôs, vt oſtẽderet acclamationes illas nequáquam vulgari furore, ſed inſtinctu quodam diuino prolatas, & in illum cõiectas, qui eſſet inter cæteros egregius & vnicus mundi melioris inſtaurator: idemq; verus deus, verusq; homo: qualẽ fore Regi Dauid, deum fuiſſe pollicitũ diuina oracula teſtantur. Vnde in græco non ſimpliciter ſcriptum eſt, filio: ſed, τῷ υἱῷ, id eſt, illi filio, articulo præpoſito. Id quod tam apud Hebræos, quàm apud Græcos manifeſtum eſt, eximiæ cuiuſdam ſingularitatis indicium: vt iã ſit lectionis ordo, Clamabant dicentes illi, tanquam vero, expectatiſſimoq; filio Dauid. Admirans enim Euangeliſta tam magnificam confeſſionem, cùm dixiſſet, clamabant dicentes, Hoſanna: interrupit ſermonẽ, exclamando, filio Dauid. Moxq; eundem repleuit ſermonem ſine acclamatione dicens, Hoſanna in excelſis. Simili Tropo dictum eſt Geneſeos cap. primo: Creauit Deus hominẽ ad imaginem ſuam: ad imaginem dei creauit illum. vbi videtur ſubiiciẽdum fuiſſe, ad imaginem ſuiipſius creauit illũ: nè videretur ſcriptura de alio quopiam deo loqui: verùm commoda Emphaſi nomen dei è veſtigio replicauit, vt dignitas hominis commendaretur. quod nõ ad cuiuſpiam rei inferioris gradus, ſed ad Optimi, atq; Maximi Dei ſit imaginẽ conditus. Tale eſt quoq; illud Geneſeos. 19. Pluit Dominus à domino, id eſt

à ſeipſo

à ſeipſo. Nec ignoro quoſdam his in locis Trinitatis myſterium intelligere, ſed nos Auguſtino atq; Theophylacto autoribus nitimur. Alterum quod hic ad notandum cenſuimus eſt verbum Hoſianna, *quod ex duabus dictionibus hebraicis compoſitũ eſt: ſcilicet,* Hoſiah, *&* Anna: *id eſt, verbo & dictione. Neſciunt enĩ hebræi Peripateticorũ more oẽs alias orationis partes: & præter nomen & verbum, cæteras alias, dictiones appellant. Ergo* Hoſianna *compoſitũ eſt ex verbo* Hoſiah, *&* Anna *particula.* Anna *optatiua vox eſt: valetq; apud nos, vtinã: vel, ô: vel, ô ſi: vel, amabo: vel, obſecro: vel qduis aliud, quo precãtis affect⁹ latinè aptiùs exprimatur. Adſcribendum & his, quod Ioannes Eckius perdoctè annotauit, rectè proferri ab eccleſiaſticis* Hoſanna. *Quotquot, inquit, adnotârunt, corruptè dici* Hoſanna, *& debere dici* Hoſianna, *vt Stapulẽſ. Eraſmus, Capnion, Clichthoueus, Bebelius, &c. errârunt per imperitiã hebraici ſermonis: cũ vtrũq; dici poſſit, & Hoſanna, & Hoſianna: vt in Kimhi de defectiuis liquet: vbi agit de quieſcẽte Iod in Pepoal. Et pro vſu eccleſię adduco pſal. 85.* Hoſa afdecha. *Ieremi. 31.* Hoſa Adonaiemecha. *& Iſa. 63.* Hoſa liſerogi. *Saluifica ſeruũ tuũ. ſaluifica dñe populũ tuũ. Saluifica mihi brachiũ meũ. Et murũ eſt de Hiero. q; ad hoc nõ penetrauit, & putauerit in eccleſia corruptè dici Hoſanna, in eplã ad Damaſum: cũ eccleſia rectè & ex arte dicat, Hoſanna: eia, vel age, vel obſecro ſaluifica. Hosãnã itaq; clamabãt Iudęi, etiã infantes pẽdẽtes ab vberibus matrũ: iuxta illud, ex ore infantiũ & lactẽtiũ perfeciſti laudẽ. ſcilicet hoc ipſo verũ cõfitẽtes Meſsiã, qui ſaluũ faceret Iſraẽlem: ſicut angelus dixerat Ioſeph, Quoniã ipſe ſaluũ faciet populum ſuũ. Hoſia autem verbũ eſt, nõ vtiq; ſimplicem ſed congeminatã habens ſignificationem. Non enim tantũ ſignificat ſalua, ſed ferè totum hoc, fac nos ſaluare nos ipſos: ſicut cętera verba eiuſdem formę: quæ iuxta linguæ hebraicæ idiôma deno tantur duo quædam agentia ſimul ad eundem effectum conuenire: quorum alterum ſuperius ſit, & inferius ad opus impellat. Ea igitur loquendi forma per opportunè turba vſa eſt; dum ſpiritu dei acta cœleſtem à dñõ cõprecatur ſalutẽ, Hoſiãna: hoc eſt, fac nos ſaluare nos ipſos: id eſt, cõuerte nos dñe ad te, & cõuertemur. Duc nos oues errãtes, et ſequemur Paſtorem nr̃um. Operare in nobis, & operabimur tecum. Trahe nos etſi principio renitentes: tãdem enĩ ſpõte venimus ad te. Vides q; ſic petitur diuinũ auxiliũ, vt liberum nõ tollatur arbitriũ: ſic poſcit dñi grã, vt ſui cõpos maneat naturæ & rationis vſus. Vides vt hinc Luthert inſania reddẽtis hominem ſemoto arbitrio in brutũ, apertè notatur. Vides parũ prodeſſe vniuerſa Legis pręcepta, Prophetarũ oracula, & Euãgelii cõſilia, legales benedictiones, & euãgelicas orõnes, niſi arbitraria quadã bonitate docilem deo tu temet prębeas, dicas q; verè cum Propheta: Dñs aperuit mihi aurem, & ego nõ contradico: retrorſum nõ abii. Si ſq; ex eorum numero, de quibus Saluator ait: Omnis qui audit à patre & didicit, venit ad me. Audit*

*à patre, qui gratia diuina præuentus, in
teriori quodã impulſu ad Chriſtũ pro-
uocatur: Diſcit, qui grã itẽ cœleſti comi
tatus internæ inſpirationi aſſentitur:
Venit deniq;, qui ſubſequẽti grã magnis
virtutũ profectibus auctus ad virũ per
fectum, qui eſt in Chriſto, peruenit. De
niq; nõ contentæ turbæ infima, id eſt cor
porali ſalute, quæ cũ belluis eſt homini
cõmunis: neq; media, id eſt ciuili, quæ hu
mana tantũ ratione ducitur, atq; cũ hac
vita finitur: ſupremam, hoc eſt cœleſtẽ
& æternam, quæ in excelſis, hoc eſt in
altiſſimis cœlis, his qui per Chriſtũ ſal-
uantur, tribuitur, totis votis expetunt,
precibus ac laudibus ſibi dari poſtulant,
bona fide expectant. Simulq; cõclamãt,
iterum atq; iterum repetẽtes, Hoſiãna
in excelſis: atque angelis canentibus ac-
cinunt, vt cum eis vera beatitudine per-
fruantur.*

Cur in Symbolo Niceno, Articulo de Reſurrectione appoſitum eſt, Secundùm ſcripturas.

*ADdere placuit & his
id quod vulgò dubita
ri ſolet, quã ob rẽ Ar
ticulo de Reſurrectio
ne, additũ eſt, Secũdũ
ſcripturas. Ergo quo
niam rariſſimus meritò dubitauerit, eũ
natum fuiſſe de fœmina, quẽ carne indu-
tũ humana per alia & alia ætatum au-
gmẽta increſcentẽ, humanis affectibus,
vel potiùs, vt Hieronymi vtar voca-
bulo propaſſionibus tangi videret, quẽ
in cruce morientẽ inſpexerit, functũ fuiſ
ſe vita, quem ſubuectum nube conſcen-
dentem in cœlum ſuſpexerit, ad dexte-
ram maieſtatis in excelſis ſedere: non ad
eò fuit opus, id ipſum diuina authorita
te explicatiùs ſtabiliri. At verò qđ hu
manis oculis videre homini nullatenùs
licuit, vt locum haberet fides Chri-
ſtum à mortuis redeuntem, illud prophe
ticis prædictionibus ex profeſſo confir
mari oportuit. Id quod ex Luca deſum
ptum videri poteſt, vbi Chriſtus Ser-
uator noſter diſcipulos minùs creden-
tes corripit dicens, O ſtulti & tardi ad
credendum in omnibus quæ locuti ſunt
prophetæ! Nonne oportuit pati Chri
ſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?
Ecce Liberator noſter iã immortalis fa
ctus citat ſcripturas ad ſuã ipſius Re-
ſurrectionẽ probandã: quemadmodũ an
teà moritur, vt Sadducęis reſurrectio
nẽ negãtibus ſilentium imponeret, legis
teſtimonio eſt vſus, dicens: De reſurre-
ctione aũt mortuorũ, non legiſtis qđ di
ctum eſt à deo, Ego ſum Deus Abra
ham, Deus Iſaac, & Deus Iacob? Nõ
eſt deus mortuorum, ſed viuentium.
Accedit et alia ratio, quòd nullibi for
ſitan ſcripturarum inuenimus alia my-
ſteria, quę reliquis articulis denotãtur
in diem certam apertè fuiſſe præfinita,
quemadmodũ dominicæ Reſurrectionis
ſacramentum, intra tertium à morte di-
em abſoluendis diuinis oraculis præcan
tatum eſt. Oſeas inquit, Viuificabit
nos poſt duos dies: & tertia diè viuifi-
cabit nos. Et apud Lucam Dominus:
Generatio, inquit, praua & adultera*

ſignũ

ſignu inquærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ. Quomodò enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ita erit filius hominis in corde terræ. Quare cō modè, non ſolùm dictum eſt, Chriſtū reſurrexiſſe, ſed adiectum quoq;, die tertia: & id quidem, ſecundùm ſcripturas, quæ illū neutiquā longo tēpore, ſed ſtatim à morte die tertio reſurrecturū præmonuerint. Quòd ſi dixerimus, particulā illā, ſecundū ſcripturas, ad ſingulos de humanitate Chriſti articulos eſſe referēdam, nonne locupletiùs aſſeremus cuncta verbi incarnati myſteria, videlicet vt immota fide tenendū ſit Chriſtum ſecundùm ſcripturas nō modò reſurrexiſſe, ſed etiā iuxta ſcripturas eaſdē, conceptū de Spiritu ſancto, natū de Maria Virgine, hominē factū crucis tormēta ſubiiſſe, ſepultūq; ad inferos deſcēdiſſe, rurſumq; ad cœlos conſcēdiſſe: in quo & chriſtiana dogmata maximè firmantur, & Manichęorū phātaſmata gladio ſpiritus, quod eſt Verbū Dei, penitùs deturbātur. Suffragatur huic ſentētię Paulus ad Corinthios in hæc verba: Tradidi enim vobis in primis, quod accepi: quoniā Chriſtus mortuus eſt, pro peccatis nr̃is, ſecūdùm ſcripturas: & ꝙ ſepultus eſt, & ꝙ reſurrexit tertia die, ſecūdū ſcripturas. Hęc de vinea dñi Sabaoth vtcūq; decerpſim⁹, timentes, nè fortè dum præſtantiæ tuæ inſeruire nitimur, ex vineis Engaddi inſulſas acidasq; reddiderimus labruſcas.

Quid ſit Agnus Dei: & cur ab eo in ſacratiſſima Synaxi, miſericordia petitur.

AGnus ex gręco quibuſdā tractū videtur: vnde aſpirata priori ſyllaba proferunt. ἁγνὸς gręcis enī eſt purus & caſtus: vt arietis & ouis tenellus filius, agnus dicitur, quòd ſit hoſtia pura, & immolationi apta. De quo Feſtus ita tradit: Agnus ex græco ἀμνὸς deducitur, quod nomen apud maiores oīs erat generis. Hinc euenit vt apud Exodum 12. pro eo quod hebræis eſt, Seh hamáim zakar, ben, ſana, ihieh lakē: *Hieronymus rectè tranſtulerit, Erit autem agnus abſq; macula, maſculus, anniculus. Quia enim paruus tā ouium quàm caprarū fœt⁹ apud hebræos vocatur* Seh: *& ſub vtroq; genere inuenitur: vt à fœmella diſtingueretur, additum eſt* Zakar *apud illos, & apud latinos, maſculus. Porrò agnus propter caſtitatē, & innocentiā, & puritatē, & ſimplicitatē, quaſi deſignat, quæ Deo maximè placēt: & in ſacrificiū aſſumebatur. Agnus enim fuit prima victima cœleſti decreto à filiis Iſraël dño oblata: ꝙ purus, & cōtinens, & innocēs debet eſſe humanus animus: ab omni itē peccati macula alienus. Et maſcul⁹, hoc eſt maſcula virtute pręditus: Nihil enī fœmineū & molle Deo placet. Imò & annicul⁹, hoc eſt ſumma ſimplicitate placidus, vt ſit hoſtia diuinitati accepta. Quæ oīa quoniā præcipuè Chriſto adſunt, ꝓculdubio Agn⁹ dicitur. Nā agnus ille Paſchalis nō ſimpliciter, ſed ſapiēter offerebatur: additis ſcilicet quibuſdā ceremoniis diuinis ſacramētis plenis, vt Auguſtin⁹ tā copioſè, quā ſuccinctè explicat. Agn⁹, ait, eligit̃, vt*

ſimplicitas & innocentia deſignetur: maſculus quæritur, vt virtus comprobetur: immaculatus, vt ſine crimine: anniculus, vt exacto prædicationis tempore: perfectus, vt inſtructus omni genere virtutis: mēſe primo, vt totus annus à primordio proprio conſequatur: quartadecima die menſis, vt lumine veritatis impleto erroris nox operiatur: ad veſperam, vt ſæculi occaſus imminens approbetur: eiecto fermēto, vt à corde perverſæ mētis malitia tollatur: oblitis ſanguine liminibus domorū, vt figura dñicæ Paſſionis frōte ſignetur: igne aſſus, eſt enim euāgeliū & ſermo Chriſti robuſtus cibus: neq; in aqua madidꝰ, nō eſt enim delicatæ interpretationis humido lāguore ſoluēdus: nihil prætermittitur, nihil enim in Chriſto omnino reꝓbatur: oſſa nō cōteruntur, quia nec cōminui, id eſt vinci in quoquā Chriſtꝰ poteſt: quicquid ſupereſt, diuinis ignibus imponitur: quia quod quis capere nō poteſt, Chriſti diuinæ ſciētiæ remittit: eorum tātū quæ manifeſta ſunt, pro viribus epulatur intentus: nā & quòd ſtantes edūt, forma eſt, nè quis cadat, aut nè quis in euāgelio ad neceſſitatē proſternatur: ſed ī quietis animi robore cōtra perſecutionū pręlia inuictus, id eſt ſublimis & erectus aſſiſtat. Nam ꝙ ſuccinctis lūbis, euāgelicæ ſignū eſt cōtinentiæ, dū locus ſeminū coērcetur & cōſtringitur: additis baculis, Spiritui ſancto quiſq; nititur: pedibus calceatis, id eſt lubrico erroris eiecto, dum probatione ad fidem cœleſtium, quaſi ferratis præſidiis in euangelio cuncta ſunt fixa, firmiſſima veritate ſolidata: feſtinantes etiam, feruentes enim fide probantur: tepidi & negligentes reſpuuntur, & euomuntur. Cum azymis ſumuntur: Chriſtus enim omni ſimplicis animi pura ſimplicitate ſumitur: cum picridiis, etenim hoc Paſcha in Iudæorum damnationem & acerbiſſimas amaritudines ceſſit. Non niſi circumciſis dabatur: purgatis enim ſolis, & lauácro indulgentiæ cœleſtis expiatis, percipiendi Chriſti corporis ſacramenti, cibi facultas porrigitur. Vides quomodò hunc Agnum Dei verum, pecualis ille præformauerit: vides quòd ſui immolandi ratione, Chriſti formam expreſſerit: vides qualiter vmbraticus ille ab ægyptiaca ſeruitute populo liberando, immolatus adumbrauit agnum illum ſolidiſſimum, per quem genus humanū à diabolica ſeruitute redimendum eſſet. Nempe hęc myſteria pleniſſimè in Chriſto cognouit maximus ille prophetarum Ioannes Baptiſta, cùm videns dominum ad ſe venientem, digito eum indicauit, & dixit: Ecce Agnus Dei. Enimuerò, vt rectè inquit Origenes, non ideo Agnus Ieſus dicitur quaſi qui mutatus ſit & conuerſus ſit in ſpeciem pecudis: dicitur tamen agnus, quia voluntas & bonitas eius, qua deum repropitiauit hominibus, & peccatorum indulgentiam dedit, talis extitit humano generi, quaſi agni hoſtia immaculata: & innocens, qua placari hominibus diuina creduntur. Et re vera, teſte Theophylacto, diligenter hoc dictum eſt, Ecce Agnus Dei: quia ſermo eſt, ad cupientes & quærentes videre illum agnum, qui ab Iſaia prædictus eſt, quando Moabiticam regionem alloquens,

quens,

quens, dixit ei: Emitte agnum dominatorem terræ, de petra deſerti, ad montem filiæ Sion. Super quo Hieronymus: O Moab, in quem deſæuiturus eſt leo! & de qua reliquæ quidem ſaluari poterunt! habeto ſolatium hoc: Egredietur de te Agnus immaculatus, qui tollat peccata mundi, qui dominetur in orbe terrarum. De petra, ait deſerti: hoc eſt de Ruth quæ mariti morte viduata, de Booz genuit Obed: & de Obed Ieſſe: & de Ieſſe Dauid: & de Dauid Chriſtum. Montem autem filiæ Sion, aut ipſam Hieruſalem interpretabimur, aut iuxta ſacratam intelligentiam, Eccleſiam, quæ ſit in virtutum culmine conſtituta. Sed ad Theophylactum: Ecce, inquit, quem quæris, ille agnus, ecce adeſt. Probabile enim eſt, multùm in prophetico Iſaiæ libro edoctum, quæſiuiſſe, quiſnam ille agnus eſſet: igitur Ioannes demoſtrat eum. Non dixit autem tantùm, ἀμνὸς, agnus: ſed dixit, ὁ ἀμνὸς: id eſt, ille agnus, addito articulo, qui nõ modò Emphaſim, ſed etiam relationem afferret: deſignans agnum quendam iam anteà denotatum: eumq́; non generali quadam, ſed generali & inſigni ratione, Agnum Dei dici: nam multi quidem agni, ſicut & multi chriſti: ſed ille eſt verus agnus qui à Moyſe figuratur, & ab Iſaia prædicatur. In quam ſententiam & Auguſtinus ita philoſophatur: Vtique ſingulariter Ieſus dicitur agnus: nam & diſcipuli dicti ſunt agni: Ecce ego mitto vos ſicut agnos, in medio luporum. Dicti ſunt & ipſi lumen: Vos eſtis lumen mundi. Sed aliter ille de quo dictum eſt, Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sic & agnus ſingulariter ſolus ſine macula, ſine peccato: non cuius maculæ abſterſæ ſint, ſed cuius macula nulla fuerit. Quid enim, quia dicebat Ioannes de domino, Ecce Agnus Dei, ipſe Ioannes non erat Agnus Dei? non erat vir ſanctus? non erat amicus ſponſi? Erat vtique. Ergo ſingulariter ille quem Ioannes indicabat, hic demum, hic eſt Agnus Dei: quia ſingulariter huius agni ſanguine ſolo homines redimi potuerunt. Theophylactus: Porrò agnus dei dicitur Chriſtus, ſiue quòd deus acceperit mortem Chriſti, pro noſtra ſalute: ſiue quòd deus tradiderit illum pro nobis ad mortem: quemadmodùm dicere ſolemus, ſacrificium hoc illius eſt, hoc eſt, ille ſacrificium hoc obtulit. Sic igitur & dominus dicitur Agnus Dei, eò quòd deus pater propter charitatem ſuam erga nos, illum dederit ad mortem. Nunquid, quia pater in mortem obtulit Ieſum, inuitus oblatus eſt? Abſit. Audi Iſaiam aſſerentem, eum non neceſſitate crucem, ſed voluntate ſuſtinuiſſe. Oblatus eſt, inquit: quia ipſe voluit: & non aperuit os ſuum. quippe qui dicenti Pilato, Mihi non loqueris? noluit reſpondere. Qui igitur oblatus eſt Pilato? Quia ipſe voluit: & non reſpondit, vt patibulum pro nobis damnatus aſcenderet. Ipſe ſicut ouis ad occiſionem ductus: & quaſi agnus coram tondente ſe, obmutuit. Qui & de ſe ipſo loquitur in Ieremia, Ego autem ſicut agnus innocens, & ductus ad vi-

ctimam neſciebam. Cùm enim neſciret peccatum, pro nobis peccatum, id eſt, victima pro peccato factus eſt: & ſicut agnus cùm ducitur ad victimam non repugnat, paſſus eſt voluntate, vt deſtrueret eum, qui mortis habebat imperium, humilians ſe vſque ad mortem, & mortē Crucis. Ecce, inquit, Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Theophylactus: Non dixit autem qui abſtulit peccatum, ſed qui tollit in præſenti peccata noſtra, & aliorum quidem per baptiſmum, & aliorum per pœnitentiam: & agni quidem, qui in lege veteri immolabantur, nullius peccatum omnino abolebāt. Hic autem totius mundi peccatum tollit è medio, & abolet. Et aduerte, quòd aliquid amplius poteſt intelligi in eo, quod & Chryſoſtomus annotauit: non eſſe dictum, tulit, aut tollet: ſed tollit verbo præſentis: quòd ab illo ſemper proficiſcatur omnis purgatio criminum. veluti ſi dicas, Elleborus purgat cerebrum, ſignificans illi perpetuam, & natiuam ineſſe vim purgandi capitis: vt intelligatur Chriſtum ab æuo condito, vſque ad eius finem tollere mundi peccatum, ſiue illud originale, ſiue quodlibet aliud: quia quibuſcunque à mundi principio, vſque ad eius terminum, peccatum aufertur per fidem in Chriſtum, nec id incredibile. Nā licèt mors Chriſti ſub Tyberio fuerit peracta, tamen ab initio mundi, ad peccatorum purgationem fuit deo accepta: nam quantum ad diuinæ diſpenſationis propoſitum attinet, iam tum quadantenùs agebatur: quia & ad eā totius mundi innouandi curſus dirigebatur. Et in Abel iuſto cæteriſq; ſanctis viris quodam modo Chriſtus patiebatur. Sicut Ioannes in Apocalypſi tradit: vbi de Antichriſto ſub nomine beſtiæ agens, ita ſcripſit: Et data eſt ei poteſtas in omnem tribum, & populū, & linguam, & gentem: & adorauerūt eā omnes, qui habitabant terrā, quorū non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni qui occiſus eſt ab origine mundi. Sēper igitur agnus innocentiſſimus tollit peccata mundi, id eſt omnium peccatorum humanorum colluuiē: licèt regni cœleſtis ianuam, iuſtificatis minimè aperuerit, donec exacta ſatiſfactione in cruce fuit immolatus. Deniq; vnicus ille dei Filius, factus eſt Agnus, vt immolaretur: immolatus eſt, vt multos agnos deo redderet, ex quibus conſtituerit ſibi eccleſiā caſtam, puram, & innocentem, ſimplicem, obedientem, immaculatam, pietati ſtudentem, cœleſtia paſcua carpētem, cum ſponſo ſuo per fidem adhuc peregrinantem, & cum illo in hac peregrinatione aduerſa tolerantē, vt ſit, πανϑάγια, id eſt omnimodè ſancta. Hi ſunt igitur agni, qui manè & veſperè, id eſt qui à ſolis ortu vſq; ad occaſum, id eſt à principio mundi vſq; ad finem, & ab ortu præſentis vitæ vſq; ad eius extinctionem, & in proſperis & in aduerſis deo pientiſſimè immolantur. Horū præcipui fuēre illi, ad quos dn̄s dixit: Ecce ego mitto vos tanquam agnos in medio luporum. Ite, inquit, prorſus intrepidi. Ecce ego, qui vos & tutos & ſecuros reddere poſſū, mitto vos tanquā agnos, id eſt pietatis ſtudio, & morum ſanctitate, & certiſſimo patiendi cōtumelias, & labo-

& labores, & iniurias, & verbera, & vulnera, demum mortẽ pro iuſtitia promouenda, voto, Dei Agno perſimiles. Mitto inquam vos inter lupos, nempe Phariſæos, & ſcribas, & ſacerdotes, & tyrãnos, & Philoſophos, & hæreticos: & eos qui ambulant in veſtibus ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces: vt eorum quoſdam ſæuiſſimos & pertinaciſſimos hoſtes patiamini: alios verò ab innata feritate, & inolita rapacitate reuocantes, in mitiſſimos & innocentiſſimos agnos me vobis aſpirante reuocetis: Neq; id vobis incredibile videatur: tanta eſt enim Agni Dei vis, vt ex lupis ſibi agnos faciat, tales, qualis ille fuit, de quo Iſaias fœlicia Chriſti tempora celebrans prædixit: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit. Etenim enarratore Hieronymo, lupus Paulus qui primus perſequebatur eccleſiam & lacerabat: & de quo dictum eſt, Beniamin lupus rapax, habitauit cum agno, vel Anania, à quo baptizatus eſt: vel Petro apoſtolo, cui dictum eſt, Paſce agnos meos. Et Pardus qui priùs non mutabat varietates ſuas, lotus in fonte domini, accubuit cum hœdo, non qui à ſiniſtris eſt, ſed qui immolatur in Paſcha Domini. Et hoc notandũ, quòd non agnus & hœdus habitent & accubent cum lupo & pardo: ſed lupus & pardus agni imitentur innocentiam, vt per eius gratiam fiant illi agni, quos Dominus Petro paſcendos commiſit. Quid autem eſt paſcere agnos Chriſti, niſi, vt Alcuinus inquit, credentes in Chriſtum nè à fide deficiant, confortare? terrena ſubſidia, ſi neceſſe eſt, ſubditis prouidere: aduerſariis adſiſtere: exempla virtutum, cum verbo prædicationis euangelicę impendere: errantes ſubditos corrigere: cunctos fideles in pace & cõcordia continere: eosq; ſub eucharíſtiæ ſacramento veriſſima ſacratiſſimi agni carne alere: & cœleſti vitaliq; pane impinguare: robuſtosq; aduerſus omnẽ poteſtatem inimici, vtpote gratia ſuperna munitos reddere. Hæc cùm ſiunt, procuidubio impletur illud Iſaiæ, Et paſcẽtur agni iuxta ordinem ſuum, & deſerta in vbertatem verſa aduenæ comedẽt. Quoniam enim Agnus dei exaltatus eſt, & agnitus eſt ſanctus ſanctorum: Qui ſunt de numero agnorum, non hœdorum, qui à ſiniſtris ponuntur, paſcentur in eccleſiæ pratis, & dicent: Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. Et quæ à Iudęis deſerta ſunt Chriſti ſacramenta, verſa in vbertatem comedet gentium populus ille credens. Agni autem ſpirituales agnoſcentes vocem Chriſti, paſcuntur iuxta ordinem ſuum: quiſq; enim ſua ſorte contentus agit, & manet in ea vocatione, qua vocatus eſt. Nec ſacerdos populi partes, nec populus ſacerdotis vſurpat. Nullus deniq; qui re vera Chriſti ſit agnus, aliena aut paſcua, aut officia vſurpat. Sed quatenùs ei cœleſti munere datum eſt, & Chriſti paſcuis fruitur, & ordine ſeruato, nè confundatur grex, paſtorem ſuum ſequitur. Hi ſunt, vt in Apocalypſi legimus, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt. hi ſequuntur Agnum quocũq; ierit. Hi enim veri agni neq; hęreſibus miſcentur, & fidei integritatem

ſeruāt: & quod Petrus ante crucem prę ſtare nō potuit, parati ſunt ire cū Dño & in mortem & vitam. In vitā quidē, quādiu eccleſiæ Chriſti adhuc in terris peregrināti, ſunt neceſſarii: In mortem autem, quoties opùs eſt, pro illa mortem oppetere. Cæterùm inuenimus & agnos malos, quos paſcunt principes Cedar cum arietibus: qui pedibus ſuis turbant aquas, & ouium latera impingunt, & cornibus dimicant, & cum hœdis ad ſiniſtram ponendis, qui interim laſciuiunt, ad ſuperſtitioſam Tyrum apud Ezechiêlem adducere legimus. Mali enim ſunt: quia mentiuntur imitari verum agnum, à quo procul aberrant: quippe qui ſub innocentiæ ſpecie nocendi ſtudium tegunt: & caſtitatem ſimulantes, in occulto libidini ſeruiunt. Nam ille vecors adoleſceus iam non tam agnus, quàm hircus impudentiſſimus eſt habendus. De quo in Prouerbiis: Statim eam ſcilicet impudicam & procacem ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens, & ignorans quòd ad vincula ſtultus trahatur. O miſerandam talium agnorum ſtultitiam, aſtutiam, corruptionem, qui à ſimplicitate & ſapientia & integritate Chriſtiana digreſſi ſunt, quos per errorem, & vitiorum latitudinē Deus ſpatiari permittit, vt tandem immanibus lupis deuorandos tradat! Sicut Oſeas aſſerit Propheta, dicens: Quoniam ſicut vacca laſciuiens, declinauit Iſraël: nunc paſcit eos dominus, quaſi agnum in latitudine. Quia enim ab agni immaculati imitatione declinauerūt, & legis notitiā & gratiam euāgelicā reliquerūt: ideo laſciuientes paſcentur in lata & ſpatioſa via, quæ ducit ad mortem, & patiētia domini bonique paſtoris eos nutriet ad interitū. At veri agni, aut innocentiā dono ſibi datā, ſeruāt: aut ſi fortè ab ea ceciderunt, paſtoris patientia in ſalûbrem pœnitentiā vtuntur: vt qui abſtulit per baptiſmum priora crimina, auferat per pœnitentiā poſteriora. Et amaritudinibus ſpiritualibus paſti, accedant ad veſcendum Agno Dei, qui eos ſicut aqua abluit, & ſanguine redemit: ita carne nutriat, candido vellere induat, fiantq; è numero illorū, qui viſi ſunt Ioanni in Apocalypſi ſtātes ante thronū, & in cōſpectu agni, amicti ſtolis albis & palmę in manibus eorū: & clamabāt voce magna dicētes, Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno, & cętera: quæ de Agno, & eius Sponſa in Apocalipſeos libro magnificè referuntur. Hæc latiùs ſcripſimus: quia inſigne Abulenſis Eccleſiæ eſt Agnus.

Qualiter ſacerdos ſermonem ingratum & incommodum vitare, & gratum commodumq; populo adhibere tenetur.

DEniq; quoniam ſacerdotis officium eſt populum docere, eúmque grata commodaq; oratione intra verę pietatis cācellos cōtinere, meminerit ingratū & incōmodū ſermonē vitare: ac gratū

cōmodumq;

cõmodũq́; auribus illius inferre. Caueat igitur, nè prædicando aut colloquendo, ſit leuis, vel impudicus, ingratus, inſuauis, rigidus, aſper, aut contumelioſus, & perſtreperus: ſed grauis, ac prudens, gratus, ſuauis, placidus, blandus, modeſtus, honorificus, atq; perſpicuus: audi- Eccle. 20 *atq́; Eccleſiaſticum dicentem, Homo acharis, id eſt abſque gratia, fabula vana: & in ore indiſciplinatorum aſſidua erit. Van⁹ enim fabulator eſt, qui donũ ſpiritus ſancti non habet, quo inſtructus tunc dicenda nôrit: ea nempe quæ ſanã doctrinam decent: tum ſciat quomodò, & quando, apud quos, habeat proferre ſermonem: vt ſeueritatem ſine rigore, grauitatẽ abſq; triſtitia, ſine inſuauitate dulcedinem, atq; ſine difficultate diſciplinã dicendis adhibeat. Quòd ſi inerudit9 ſpiritu ſancto aſſidua loquacitate fabuletur, non dubium quin intempeſtiua narratione, triſti vultu, rigida ex actione, inſuaui oratione, & intractabili conſuetudine auditorum animum alio qui bene affectũ à ſe procul alienet: quãuis quæ infert, minùs improbanda ſint. Quia vt idem autor ſubiungit, Ex ore fatui reprobatur parabola: non enim dicit illam in tempore ſuo. Nanq; ſi ieiuniorum tempore de ſanctorum celebritate ſermonem ingerat, non congruit tempori parabola: & è diuerſo ſi dũ Aſcẽſio Domini agitur, de abſtinentia eloquatur: dixeritq́; pro commẽdanda ea virtute pulcherrima, eſto: ſed non erat his locus. Nonne alieniſſimum eſt à commoda prædicandi verbi diuini rationè habentem ad ſacras virgines de pudicitiæ ſanctitate orationem, de bellica fortitudine magnifica verba miſcere? Expendenda itaq; ſunt hominum ingenia, vitæ inſtituta, negotia, loca, tempora, vt congrua cuiq; eorum ſermocinatio accommodetur: vt deniq; dicentis parabola nõ vt fatui reprobetur, ſed vt ſapientis auidè acceptetur. Huc ſanè pertinet præceptio illa, qua gentium doctor Coloſſenſes inſtituit, quæ dei ſunt ſapienter eloqui, vt eorum ſermo lętior ſit, & iucundior, vt oblectet, & audientibus conferat plurimum. Sic tamen vt in ſcurrilitatem, & laſciuiam non recidat. Ait* Coloſ. 4. *enim, Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit cõditus. Pulchrè Theophylactus,* Theophy. *quùm inquit, Sit ſale conditus: id quidẽ prętendit, vt non ſupra modum in lætitiam ſit, & in iocum effuſior, nec prorſus ſeuerus & aſper. Quemadmodùm eſca ſi ſale careat inſuauior erit, nimis ſalita à guſtu repudiatur: ita fit vt his vtriſq; veſci nequeant homines. Nonne vides quemadmodùm Daniel hominem impium mulceat & ſoletur? Nonne & pueros illos tres conſpicaris, nihil graue atq; moleſtum fuiſſe loquutos: ſed veritatem præ ſe & confidentiam tulerint, quùm in foueam detrudantur? Efferri itaq; loquendo, & vltrà quàm deceat audêre, nequâquam fiduciæ eſt, ſed inſolentiæ argumentum. O vtinam ſcribenti mihi non contingat vt ingraueſcente ætate, inolita à teneris mentis acrimonia in animi erumpat inſolentiam! ſed Chriſtiana modeſtia præditus, conuenientẽ cuiq; dictionem accommodem! Sicut idẽ Paulus ſubſequutus mouet dicẽs, Vt ſciatis quomodò vos oporteat cuique reſpondere. Aliter enim reſpondendum eſt pagano,*

*no, aliter Iudæo, aliter hæretico. Nam
paganus natura duce, Iudęus legis teſti
moniis, hæreticus euangelicis documen-
tis ad veram pietatem reuocandus eſt.
Aliter item reſpondēdum eſt doctis, ali
ter indoctis: aliter ſapientibus, aliter
inſipientibus: aliter perfectis, aliter
imperfectis. Doctis enim, & ſapien-
tibus, & perfectis, ſubtiliora myſte-
ria, altiora ſacramenta, exactiora con-
ſilia ſunt exponenda: Indoctis autem, &
inſipientibus, & imperfectis prima fidei
documenta, communia eccleſiæ decreta,
faciliorá que rudimenta ſunt proponen-
da. Aliter item apulento eſt reſponden
dum, aliter inopi. Nam diuiti eſt præ a-
nimi imbecillitate indulgendum: inops
verò quia firmiori eſt mente, ſuſtinetq;
ſi acriùs te illi ingeſſeris, magis vrgen
dus eſt. Aliter prætereà cum manſue-
tis, aliter cum iracundis agendum eſt. Il
lis enim ampliùs loquendum eſt: his autē
cedendum eſt. Vincis enim cùm cedis.
Quia ſi talis perſona in medio eſt quæ
perſtrepat, modò reticēdum eſt, modò cō
uenienter reſpondendum. Tempus enim
Eccleſ.1. tacendi, & tempus loquendi. Denique
non modò in diuinis documentis, ſed etiā
in humanis congreſſibus curandum eſt
nè ſermo noſter ſit ingratus, rigidus,
triſtis, inſuauis, & difficilis: ſed gratus
mollis, placidus, ſuauis, & facilis. Sic e-
nim faciliùs multò eos quibuſcum agi-
mus in ſentētiam noſtram transferemus.
Probè Seneca: Liber eſt animus homi-
nis: duci vult, trahi recuſat. Quid ſi mi-
hi cum homine à chriſtiana pietate alie-
no ſermo ſit conſerendus? Nempe miti-
bus alloquiis eum inprimis cōuenias opor
tet. Nam probè Theophylactus inquit:
Si nulla cogat neceſſitas nequáquam gē
tilem fœtidum dixeris; & inquinatum,
nec illi conuitiaberis: quin potiùs ſi prin-
cipem à Chriſto alienum ipſe adieris, de
cētes illi honores deferto. Si verò fueris
de alienis inſtitutis interrogatus, inquit
nattora hæc & impia dixeris: quippe
quæ à vero longiùs abſunt. Neq; enim
eſt tolerandum vt impium quis dogma
inducat. Nam apud Athenienſes &
Paulus, vel eorum cum laude multa diſ-
ſeruit: Elymam verò conuitiatus eſt: e-
rat nanq; conuitio dignus. Denique vt
ait Eccleſiaſticus ſexto capite: verbum
dulce multiplicat amicos, & mitigat ini
micos: & lingua eucharis .i. gratioſa, in
bono homine abundat: ſi ſit orationi ad
iuncta audientium vtilitas. Sic Clemens
Papa propter eloquii ſuauitatē dilectus
erat non ſolùm fidelibus, ſed etiā Iudęis
& gentilibus. Et mitigat inimicos: quia
ſermo mollis frangit iram, ſicut durus ex Iudi.8.
citat furorem. Sic enim Gedeon incly-
tus ille Iſraëlitarum dux Ephrathęos in
ſe cōcitatos mitibus eloquiis mitigauit.
Et ſermo gratioſus in bono homine abū
dabit: vir enim benignus comiter eos qui
buſcum verſatur, & vrbanè alloquitur.
Quòd ſi correptionis ſeueritas addenda
ſit, auditorem monet, non cōtumeliatur:
caſtigat, non traducit: incitat, non con-
turbat: verberat, non perdit: ſemperq; ca
uet, nè verboſis minis arrogās aut iacta
bundus videatur: totusq; eò incumbit, vt
correptionis modeſtia auditorem bene
uolum, attentum, atq; docilem reddat,
vt audire quæ tradat velit, & percipe
re, ac præſtare. Lege librum Magni*

Gregorii

Gregorii qui Paſtoralis inſcribitur.

Parerga.

Chryſo. *AB EVCHARIS fit Euchariſtia: quę Chryſoſtomo interpr̄tatur gratiarū actio, gratitudo, comitas: Hieronym⁹ alibi interpr̄tatur, gratioſitatē: alibi, gratiam: Ambroſius, ſermonem ad Dei gratiam facientem. Hinc theologi Euchariſtiam proſynaxi .i. cōmuniōe & ſacratiſſimo corporis & ſanguinis Chriſti ſacramento accipiunt. Vnde Magiſter Sentētiarum ita diſſerit: Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ſpiritualiter ſumentem reficit: vnde excellenter Euchariſtia dicitur .i. bona gratia: quia in hoc ſacramento, non modò eſt argumentum virtutis, ſed ille totus ſumitur, qui eſt fons & origo totius gratiæ. Demų; neų; Euangeliſtæ, neų; Paulus, hoc nomine altaris myſterium, ſed aliis ſignificant. Alibi quæ ad Euchariſtiam attinent, congruētiùs attingemus.*

❦ Qua modeſtia & induſtria tum epiſcopus tum quiuis ſacerdos animarum curator oues ſibi creditas regere debeat.

ΚΛΗΡΟΣ, *Clerus: græcum eſt .i. ſors, hæreditas, circūflexa priori: ſed vltima acuta κλῆρὸς eſt ſorte electus, vel ſorte datus. Hinc in priori Petrus epiſtola talibus reliquos presbyteros monet: Paſcite qui in vobis eſt gregē Dei, prouidentes non coāctè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deū: nec turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neų; dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. At verò, vt pulchrè quidā ānotauit, gręcè eſt* μηδὲ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, *id eſt neque vt dominiū exercētes aduerſus cleros. Cleros autē vocat non tantū diaconos, aut presbyteros, ſed Chriſti gregē, qui cuių; ſorte contingit gubernandus: nè quis exiſtimet epiſcopus in cleros interdictum dominium, & in cęteros eſſe permiſſum. Et presbyteros hic epiſcopos vocat: nondum enim increuerat turba ſacerdotum. Sed quot erant presbyteri, totidem erant epiſcopi. Eſto, quòd epiſcopi ſint de inſtituto Chriſti, gradu ſuperiores ſimplicibus ſacerdotibus, vt in eccleſia illius Hierarchiæ ordo ſeruetur. Præceptum Apoſtolorum principis in omnibus omnium Epiſcoporum aulis, vel aureis literis oportebat inſcribi. Paſcite, inquit, gregem, non opprimite, non expilate: idque non coactè velut ex officio, ſed ex ſyncero affectu tāquā patres. Nō turpis lucri gratia (inquit) quaſi præſentiens eccleſiæ peſtem hinc orituram. Denique non dominantes more regum, ſed paſtorum exemplo paſcite, benefactis vincite. Nunc autem epiſcoporum vulgus nihil audit ab aſſentatoribus doctis, niſi dominia, ditiones, gladios, claues, poteſtates: atque hinc faſt⁹ quorundam pluſquàm regius, ſæuitia pluſquàm tyrannica. Cùm ergo Petrus ait, Non dominantes cleris, ſed forma fa-*

cti

cti gregis ex animo: tale eſt ac ſi dicat, modeſtè de vobis ſentite, benignitatis exemplum præbete. Vt videlicet humilitatem quam ſubditos & ad vos & ad inuicem habere deſyderatis, ipſi, priùs & actu monſtretis; & in animo ſeruetis ex integro: iuxta illud Dominicum, Scitis quòd hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum poteſtatem habent ipſorum. Non autem ita erit in vobis. Sed quicunque voluerit fieri maior, erit veſter miniſter: & quicũque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſeruus. Quod Paulus imperium diligenter obſeruans ait: Non noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: nos autem in ſeruos veſtros per Ieſum. Beatus itaque Petrus ſeipſum modeſtiæ & exemplum cæteris preſbyteris, hoc eſt epiſcopis, imò & inferioribus ſacerdotibus imitandum proponens, ſuam priùs dignitatem extulit, dicens: Preſbyteros qui ſunt inter vos exhortor, qui ſim & ipſe preſbyter, ac teſtis afflictionum Chriſti, atque idem conſors gloriæ quæ reuelabitur. Volens igitur Apoſtolorum princeps, vt ait Oecumenius, ſuã eminentiam demonſtrare, & quòd modeſtiæ cauſa ſeipſum vocet preſbyterum, ſubiungit ſuam dignitatem, Teſtis afflictionum Chriſti: hoc per iſta ſignificare volens: Si ego qui talium vi ſionum vobis interpres ſum, non dedignor meipſum appellari preſbyterum, nec vos vos qui tuſti eſtis extollamini aduerſus eos qui vobis inferiores ſunt. Propterea autem Chriſtus huius præceptor, modeſtiam docendo, ita pronuntiat: Si ergo ego laui veſtros pedes Dominus ac Magiſter. Addit autem, conſors gloriæ quæ reuelabitur, vt demõſtret modeſtiæ animi excellentiam: quemadmodum & Paulus dicit: Quum Chriſtus manifeſtatus fuerit, tunc & nos manifeſtabimur. Porrò hic nequaquam coactè paſcet, qui ſuis ſubditis proponens ſeipſum exemplar bonę operationis, diſcipulos habet ſe mutuo incitantes ad ęmulationem præceptoris. Neque turpiter lucrum affectando, qui non arroganter incedens, neque ſeſe aduerſus ſubiectos erigens: ſed humiliter conuerſans aſſiduam habet frugalitatem, quæ nullo indiget ſumptu, aut veſtium pretioſarum, aut menſæ Sybariticæ, quæ faſtum cum plauſu excipiunt, & ſumptum à turpi lucro expetunt. Quin potiùs præ oculis ſemper habere debet non modò epiſcopus, ſed etiam quicunque inferioris gradus ſacerdos, pręſertim qui illius nomine curator eſt animarum, id quod Titum inſtituit Paulus Apoſtolus, dicens: Oportet enim epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non violentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, benignum, prudentem, ſobrium, iuſtum, ſanctũ, continẽtẽ, cõplectentem eũ qui ſecundùm doctrinam eſt fidelem ſermonem: vt potens ſit exhortari in doctrina ſua, & eos qui contradicunt arguere. Poſtremò, quoniam quæ exiguntur à preſbyteris huiuſmodi, amplioris diligentiæ ſtudium, & grauioris operis officium ſecum ferunt, magnificum

illis glorioſumq́ præmium Petrus ponit dicens: Et cùm apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam.

Exacta de ieiuniorum obſeruatione Cenſura.

IEiunium ſecundùm Iſidorum eſt parſimonia victus, & abſtinentia ciborum, ſecundùm regulam Eccleſiaſticam. De ratione itaque ieiunii quadrageſimalis ſunt tria. Primum eſt abſtinentia à cibis ab eccleſia prohibitis, ſcilicet carnibus, ouis, & lacticiniis. Nam vt habetur diſtinctione quarta, capitu. denique. Par eſt vt nos qui his diebus à carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque quæ ſementinam trahunt originem ieiunemus, à lacte videlicet, caſeo, & ouis. Ex quo liquet, quòd ſi cum aliquo diſpenſatũ eſt, vt ieiunialibus diebus carnes comedat, diſpenſatum quoque eſt ne ieiunet: ac ſubinde abſolutus eſt ab obſeruatione ieiunii: quoniam de ſubſtantia ieiunii eccleſiaſtici eſt, à carnibus abſtinere, niſi detur ei qui cum diſpenſatur ieiunandi facultas, ſemel tantùm per diem carnes comedendo. Attamen ille qui cum iuſta de cauſa diſpenſatum eſt, in diebus quadrageſimæ comedere lacticinia & oua, non eſt abſolutus à ieiunio. Sunt enim regiones in quibus ob piſcium penuriam, ieiunantes talia comedunt: Papa Prælatiſque ſuis id ſcientibus & conſentientibus. Secundum de ratione ieiunii eſt tempus comeſtioni decretum. Fuit autẽ olim hora veſpertina, id eſt ad occaſum ſolis. Deinde reductum eſt ad nonam diei horam, id eſt tertiam poſtmeridianam. Vltimò id temporis reductum eſt ad meridiem, paulò antè aut paulò poſt, iuxta cuiuſque patriæ conſuetudinem. Congruentiſſimum eſſe arbitror, vt meridies in menſa comedentem excipiat. Præuenire autem horam cœnæ multo tempore, eſt præuenire vel famem vel afflictionem, quam autor ieiuniorum inferri prætendit; ac perinde eſt defraudare ieiunium: qui hoc facit, vt cenſet Petrus Paludanus in ſuo Quarto Sententiarum, peccat mortaliter, ſi non excuſetur legitima, id eſt neceſſaria, vel rationabili cauſa: vt ſi haberet choleram ardentiſſimam: & eſſet valde detrimentoſum ſuæ ſaluti vlterius comeſtionem differre: aut ſi profecturus iter, non habiturus eſſet extra domum ex qua proficiſcitur ſufficientem refectionem: aut ſi vacaturus eſſet rebus piis & ſpiritualibus, ex quibus multò maius emolumentum euenturum eſſet eccleſiæ atq; ſibi, quàm de expectatione horę comedendi vulgo determinatæ. Item Martinus de Magiſtris in quadã quæſtione de ieiunio ſic inquit: Qui hac tempeſtate differt refectionẽ vſque ad veſpertinam horam, quia ſi comederet hora duodecima, nimis affligeretur, nõ malè, ſed bene facit: præſertim ſi deinde ſequeretur ſaluti ſuæ notabile nocumentum. Si verò afflictio inde ſecutura non ſit futura valde moleſta, licèt poſſit cœnam in veſperam differ-

V re,

re, maioris tamen erit meriti ſeruare conſuetudinem. Hæc fundantur in capitul. ſolent plures. de conſecratione, diſtinctione prima. Tertium denique quod exigitur ad integritatem Eccleſiaſtici ieiunii, eſt vnica comeſtio. Id quod primò conſtat, eò quòd patres veteris teſtamenti, quos hac in parte imitata eſt primitiua Eccleſia catholica, ſemel tantùm in die ieiunii comedebant, iubente eis Domino in Leuitico, in die expiationis affligere animas ſuas vſque ad veſperam. Et Iudicum libro capite viceſimo ſcriptum eſt: Ieiunauerunt die illo vſque ad veſperam. Idem patet ex conſuetudine populi Chriſtiani. Quilibet enim Chriſtianus exiſtimat ſe frangere ieiunium ſi euſmodi die bis comedat à propoſito & per modũ cibi: hoc eſt ad ſuſtinẽdam vel depellendam famem. Item ſi vnica comeſtio non eſſet de ratione ieiunii, ineptè Magnus Gregorius dominicos quadrageſimales à ieiunio ſubtraxiſſet, in quibus bis comeditur, cum abſtinentia carnis. Sic enim habet, de conſecratione, diſtinctione quinta. Quadrageſima sũma obſeruatione eſt obſeruanda, vt ieiunium in ea præter dies dominicos, qui de abſtinentia ſubtracti ſunt, niſi quem infirmitas impedierit, nullatenus ſoluatur. Quia ipſi dies, decimæ ſunt anni. Sympoſium autem veſpertinum licet delibare: id eſt paulum capere, non quidem per modum cibi, hoc eſt non ad expellendam famem, neque ad naturæ ſuſtentationem: ſed per modũ medicamẽti, nè noceat potus, quo homines cõmuniter egent, nè vehementi ſiti naturalis humor exhauriatur: vel propter cerebri debilitatem, nè nox ducatur inſomnis: vel propter aliquãtum cordis vel ſtomachi dolorem reprimendum: vel ob cõſuetudinẽ ſcitã & toleratã, quæ tamẽ nõ ſit in fraudẽ ieiunii, qualis eſſet illa cibatio, quæ famẽ tolleret, naturámque ſuſtentaret. Iam enim ex ipſo comeſtionis modo tolleretur ieiunalis afflictio, quod nec eſt intentionis Chriſti, nec eccleſię, quantum equidem arbitror. Et licèt melius ſit facere ſympoſium cum electuario vel frugibus, benetamen poteſt fieri cum buccella panis, aut quouis alio quod magis ſuffragabitur ieiunantis indigentiæ. Imò & pauperes rarò habent aliud vnde ſympoſium ſumant, niſi panem. Imò ſi quis adeò cholera incenſus ſit, vt nociturum ſit ei valde, expectare meridiem ſtomacho ieiuno, licebit manè electuario vti ad id nocumenti vitandum. Non enim exigitur ieiunium naturale adeò exactè ad ieiunium Eccleſiaſticum, ſicut ad ſacratiſsimę Euchariſtiæ communicationem. Siquidem in hoc etiam potus eſt prohibitus, in illo verò non, niſi quis potaret vinum validum ad extinguendam famem. Nam & potus interdum famem mitigat. Debemus hæc, ſicut & cętera, beato Thomæ. Iam verò demonſtrandum eſt paucis, quadrageſimale ieiunium, non ſolùm à Moſe, Helia, ſed etiam à Chriſto cœpiſſe: non modò exemplo, ſed præcepto, vt credere dignum eſt: Etſi dominicum de ieiunio quadrageſimali inſtitutum literis euangelicis nõ fuerit omnino expreſſum. Vnde Auguſtinus ad Caſulanum: Ego in

euan

euãgelicis & apoſtolicis literis video, ie iunium eſſe præceptum: quibus autem die bus nõ oportet ieiunare & quibus opor teat, præcepto Dñi vel Apoſtolorũ nõ inuenio definitũ. Enimuerò ꝙ Auguſti nus fatetur certos dies ieiunio nõ inueniſ ſe i illis literis definitos eſſe: tamẽ ieiuniũ in præcepto aliquatenꝰ eſſe vt alii patres teſtãtur, ſentire oportet. Credẽdũ item eſt Dominũ Ieſum viua voce aplis ieiuniũ ſeruandũ tradidiſſe. Siquidẽ ipſi iidem Apli illud obſeruãrũt, vt facilè colli gi põt ex eo qđ Ignatius. S. Ioãnis Euã geliſtæ diſcipulus ad Philippenſes ſcri pſit, dicẽs: Dies feſtos nolite inhonorare, quadrageſimã verò nolite pro nihilo ha bere: Imitationem enim habet conuerſa tionis Dei: hebdomadam etiam paſſio nis nolite deſpicere. Quarta & ſexta feria ieiunate, reliquias pauperibus por rigentes. Ambroſius quoq; ſermone. 25. & in quadrageſ. ſermon. 3. Nõ enim fra tres leue peccatum eſt indictam quadra geſimam à domino non ieiunare, & ieiu nia conſecrata ventris voracitate diſſol uere. Hieronymus item contra Monta num: Nos vnam, inquit, quadrageſimam ſecundùm traditionem Apoſtolorum toto anno tempore nobis congruo ieiu namus. Illi ſcilicet Montani hæretici tres in anno faciunt quadrageſimas, qua ſi tres paſſi ſint Saluatores: non quò & per totum annum, excepta Penteco ſte, ieiunare non liceat. Sed quod aliud eſt neceſſitate, aliud voluntate munus offerre. Ex his ſanctorum dictis manife ſtè conſtat Chriſtianos obnoxios eſſe obſeruando ieiunio ex definitione eccle ſiæ ſanctæ & apoſtolicæ, innixę tradi tioni Apoſtolorum quam à Chriſto domino de ieiunandis quadraginta die bus viua voce, ſiue ſub ſtricto præcepto, ſiue vehementi conſilio accepiſſe crede re dignum eſt. Iam verò ex hoc funda mento licet quaſdam propoſitiones ieiu niale negotium tangentes inferre. Qua rum ſit prima. Qui habet Chriſtianus le gitima ieiunãdi excuſatione carens, eſt obſtrictus ieiunii obſeruãdi lege: quã ſi abſque idonea cauſa prætergrediatur, peccat: dicente Domino: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Quid ſi quiſpiam impotenti gula ieiu nium fregit? Peccabit profectò perni cioſè: quia eiuſmodi comeſtio fuit volun taria contra legem Dei. Quid ſi is qui decreuerat ieiunare die ſequenti, ſummo manę ex more ientaculum omnino inad uertenter accepit? Seruet ieiuniũ, come dendo tantùm meridie ſemel. Prima enim comeſtio non ponit innumerum ad uerſus ieiunium. Siquidem in caſu con tra illud nõ fuit intenta, neq; culpabilis. Si aũt talis inaduertẽtia fuiſſet culpabi lis, feciſſet & illud ientaculũ culpabile. Quid ſi Papa ſine rationabili cauſa ſecũ diſpẽſet in ieiunio cæteris ieiunãtibꝰ? Ex ploratũ eſt eũ peccare mortaliter, ſi inde ſequatur aliis ſcãdalũ, nõ ſolũ acceptum ſed datũ. Quid ſi inde nullũ ſequatur ſcã dalũ? nihilo minùs male facit: quoniã ſi ie iuniũ quadrageſimale, vt prędictæ auto ritates teſtãtur, quodãmodò originaliter ſicut decimæ, pẽdet quodãmodò à iure na turali ſecũdũ rationẽ quã tradit Grego rius de ieiunãdis quadraginta diebꝰ: qua ſi eos ieiunio dedicãtes, dierũ totius anni decimas deo perſoluamꝰ. Et definitiuę à

Chriſti conſilio atquetraditione, licèt complementum & obligandi vim rationẽque mandati ſimpliciter obtineat ex apoſtolico pręcepto, & eccleſiaſtico mãdato, & totius populi Chriſtiani cõſuetudine, tenetur ipſe ſicut alia mẽbra eccleſiæ ſeruare illud. Quin & ſi plus habeat quadrageſimale ieiunium iuris poſitiui quã diuini, tenetur Papa illud ſeruare multò magis, quã princeps ſæcularis legem ciuilẽ, quã tulit, ſi illa eandẽ rationẽ habeat in eo quã in aliis ciuibus: non quatenus eſt ea lex coactiua. Quia princeps nõ habet ſuperiorẽ hominẽ, qui eũ cogat. Sed quatenùs eſt directiua, iuriꝗ; naturali innititur, vt docet. S. Thomas. q. nonageſimaſexta, primę partis ſecundi libri articulo quinto ad tertium. Peccabit igitur Papa ſi ſola libidine ſecum in ieiunio diſpenſet. Peccabit inquam vel mortaliter, vel certè venialiter, vel valde grauiter, vt tale veniale ſit proximum mortali? Quid de diſpenſationibus, quæ dantur magnatibus? Idem quod de ſummo Pontifice ſentiendum eſt. Id eſt, quòd ſi habent cauſam non ieiunandi, Pontificis priuilegio excuſantur à ieiunio: ſi verò careant ea, videtur quòd non excuſentur magis quã ſummus Pontifex. Quia quòd plerique eorum ob gulam & laſciuiam comedendi carnes, eas facultates ſibi cõparant, qui nõ dubiũ quin peccãt eis vtentes, tũ quia ieiunali remedio ipſi indigẽt ad edomãdã carnem, ſicut cæteri: quod plerunꝗ; inſufficienter per eleemoſynã ſuppletur. In carne enim regnat libidinis morbus: non in loculis: tum quia turpis eſt pars, quæ non congruit ſuo toti: tum quia tenetur ille ſubire onera Eccleſiæ, ſicut cætera eius membra. Præclarè Ambroſius, vbi ſuprà: Scriptum eſt, ait, qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit & ille ambulare. Si ergo vis chriſtianus eſſe, debes quod Chriſtus fecit ſcilicet facere. Ille peccatum non habuit, quadrageſimam ieiunauit: Tu non vis quadrageſimam ieiunare, qui peccas? Ille pro noſtris ieiunauit peccatis: qualis ergo apud tuam conſciẽtiam Chriſtianus es, cũ Chriſto pro te eſuriẽte, tu prãdes? cũ Saluatore pro te ieiunãte, tu reficeris? Nõ eſt ergo leue peccatũ indictã violare quadrageſimã. Quid? ſi quis nõ indiget ieiunio vt tẽperatè viuat? Reſpõdetur quòd tenetur lege ieiunii, quæ in commune poſita eſt, cunctis ac ſingulis ieiunare valentibus, & nõ impeditis. Quin imò rarò inuenias quempiam talem, cui ieiunium non ſit conueniens remedium ſpiritus contra carnem, atque vitiorum vel præteritorum curatiuum, vel imminentium præſeruatiuum. In multis enim delinquimus omnes. Denique autore Sancto Thoma, ſecunda ſecundæ quæſtione cẽteſima quadrageſimaſeptima, articulo ſecundo ad primum: Ieiunium eſt de neceſſitate præcepti, vnicuique tali remedio indigenti. Quod intelligo etiam ſi caro inde notabiliter læ datur, dummodò non adſit aliud conueniens remedium ad ſubiciendam carnẽ ſpiritui. Quam enim commutationem dabit homo pro anima ſua? Quid ſi quis infeſtiora ſentiat carnis tentamenta ieiunando? Id planè euenerit per accidens, propter quod non licet relinquere id quod

eſt per ſe. Abſtinentia enim per ſe confert ad reſtinguendam carnis libidinem. Quid igitur iſte talis vexatus aget? Vtatur quadrageſimalibus cibis, non tantū modicè, ſed etiā intra modū. Quid ſi adhuc ſentit carnem moleſtiorē? reſiſtat libidini alacriter, & Dñs faciet obedienti ſibi cum tentatione prouētū. Vel demū ſi alia nō patet via, petat à ſuo Prælato, ratione reddita, vt eū quoad opùs fuerit à ieiunādi obligatione abſoluat. Idē fortè cum quibuſdā glutonibus qui paſſim ſanctitate ieiunia violāt, cōſultè diſponetur, donec paulatim ieiunio aſſueſcāt. Secūda Propoſitio prīcipalis: Frāgens ieiuniū ſub præcepto cadēs ex cōtēptu iure imponentis illud, ſiue Chriſti ſiue Eccleſię, perniciosè peccat. Quia quaſi bariolādi peccatum eſt, velle repugnare, & quaſi ſcelus idololatrię, nolle acquieſcere. Tertia propoſitio. Frāgens ieiunium intentione impediendi finem eius peccat exitialiter: quia irritum facit mādatum Domini. Nanq; ſicut docet dñs Caietanus, qui hoc modo præceptum tranſgreditur, proportionaliter ſe habet ad finem præcepti: ſicut qui trāſgreditur ex cōtemptu, ſe habet ad pręceptū, ſeu præcipientem. Nam iſte reſpuit finem, ſicut ille reſpuit præceptum. Verbi gratia: Circa præceptum de audiendo Miſſam, non ſolùm peccat mortaliter, qui omittit audire Miſſam, quia nō vult ſubiici præcepto: ſed etiam ſi ideo omittit, quia non vult mente vacare deo. Id quod paulò pòſt latiùs declarabitur. Quarta Propoſitio. Seruans tamen ieiunandi regulam ab eccleſia præſcriptā ſi conſueta hora comedendi famem non ſentiat, non tenetur differre refectionem donec fameſcat: quia præceptum ieiunandi cadit ſuper ipſa parſimonia victus, & abſtinentia ciborum: & non ſub fine à legiſlatore intento, qui eſt afflictio carnis & libidinis repreſſio. Mandata enim per ſe immediatè ſunt de actibus, quibus attingendus eſt finis. At verò qui ieiunans ea intentione, referciat ſe cibo & potu in vnica meridiana comeſtione, vt nullam famem nullamq; afflictionem ſentiat vſque ad meridiem diei ſequentis, mortaliter peccat: quia directè irritum facit mandatum Domini, cùm priuet illud eo fine, qui pręenditur: id eſt commoda carnis temperatura, qua obediat ſpiritui: & vitia comprimantur, & mens in Deum eleuetur, & virtutes augeantur. Eo enim iure, quo nemini licet finem refutare, non eſt ei fas medium ad illud ordinatum impedire. Hæc eſt expreſſa ſancti Thomæ loco ſuperiùs citato ſententia: vbi in ſolutione ad ſecundum, ſic pronuntiat: Quia pręcepta quæ per modùm communis ſtatuti proponuntur, nō eodem modo obligant omnes, ſed ſecundum quod requiritur ad finem, quem legiſlator intendit. Cuius autoritatem, ſi aliquis tranſgrediendo, ſtatutum contemnat: vel hoc modo tranſgrediatur, quòd impediatur finis quem intendit, peccat mortaliter talis tranſgreſſor. Et aduerte quòd finis intentus à legiſlatore ieiunii, poteſt ſine ipſius legiſlatoris contemptu bifariàm impediri: vel prætēdendo ſcienter cauſam nō rationabilem neq; idoneam ad immunitatem ieiunii; id eſt ad comedendum

pluries in die, vel carnes abſq; neceſſitate edendas, vel referciendo epulis ita ſtomachū vt nulla fames afflictio ve ſequatur. V terque nanq; mortiferè peccat. Nam licèt ſeruans huiuſmodi præceptū non teneatur ponere in actu talem particularem finē intentum à legislatore, tenetur tamen, non impedire illum. Quia qui tollit finem, tollit bonum: ac perinde reddit ipſum mandatum fruſtratorium & inane. Etenim licèt huiuſmodi deuorator nō videatur explicitè tranſgredi formam venialis præcepti de ſemel tantū comedēdo: trāſgreditur tamen eā implicitè & æquiualenter, ita vt ex propoſito finem legislatoris impediat. Et ideo pernicioſe peccat. Quòd ſi quis contētioſus diſputator adhuc perneget huiuſmodi glutonem trāſgredi ieiuniale præceptū: Et ei concedamus, nè improbè cōtendamus: vel certè negare non poterit eundē peccare mortaliter, id faciēdo ex intentione cōtra proximū ipſius præcepti finē: vt ipſū præpediat, vt declaratū eſt. Quid ſi quis repleat ſe ſic alimentis vt poſteà nō fameſcat abſq; vlla damnabili intentione? Reſpondetur quòd tūc non violaret ieiunium: quia non faceret contra præceptum Eccleſiæ: peccaret tamen peccato gulę. Cauere tamen debet huiuſmodi deuorator, nè adeò frequenter id faciat, vt ex tali reficiendi ſe immodicis cibariis frequentatione, materia in ſuam formam redeat, & mala arguatur intentio. Quid ſi quis procedentibus diebus ieiunii abſq; vlla praua intentione & nimia ventris repletione vna vice comedat, quantū duabus? Reſpōdeturq; nō peccat, & ieiunii legem adimplet: quoniā totus ille cibus ſimul ſumptus, neq; tātū alit, neq; tantū ſedat famē, quātū ſi diuiſim caperetur. V is enim nutritiua, cū ſit finita, tū fortiùs tū cōmodiùs in alimēti partes diuiſas agit, quā in totum. Deniq; vt hæc clariùs percipias, & certiora habeas, lege Caietani commentariū ad locū priùs citatum: & in Summa Paragraphum primū tituli de præcepto. Quinta Propoſitio. Frangēs ieiunium ex ignorantia, ſecundùm ignorantię qualitatē vel accuſatur vel excuſatur à peccato. Ex quo fit vt qui frangit ieiuniū ex ignorantia veniali, peccet venialiter: & q ex mortali, mortaliter: & qui frāgit ieiuniū ex ignorātia probabili & nō ſufficienti, peccet tantū venialiter. Sexta propoſitio. Frāgēs ieiuniū ex rationabili cauſa ſibi nota & indubitata, abſente etiā legislatore, non peccat: quia in tali caſu quilibet poteſt ſibi ius dicere, alioqui præceptum ieiuniale eſſet populo Chriſtiano nimis oneroſum, & penè intolerabile: cū frequenter incidāt tēpora in quibus neq; licet obſeruare ieiuniū, neq; locus eſt conſulendi ſummū Pōtificē, aut proprium prælatum, aut denique medicum. Septima Propoſitio. Frangens ieiunium abſque rationabili cauſa, vel meritò exiſtimata, vel autoritate alicuius ſapientis fulta, & non habita generali vel ſpeciali licentia à ſummo Pontifice ad illud frangendum: frangēs, inquā, vel ex comedendi libidine, vel ex quadā ignauia & inertia, pernicioſè peccat. Talis eſt eccleſiaſticorum ſententia doctorum, & totius populi Chriſtiani conſenſus. Octaua Propoſitio. Frangēs ieiuniū primo die quadrageſimę peccat

cat mortaliter: itidem ſecundo, item & tertio, cæteriſq; ſequentibus. Quoniam lex de ſeruando ieiunio quadrageſimali, cadit ſupra totam quadrageſimam & ſuper quẽlibet eiuſdẽ diẽ. Ex quo fit, ꝙ licèt primo die proponens nullum ſe ieiunaturum diem totius quadrageſimæ, peccat peccatum æquale, imò maius quã ſi ſingulis diebus noua volũtate ieiuniũ frangeret: quia longè maiore contemptu propoſuit, totam ſimul quadrageſimam violare. Attamen ſingulo quoq; die, quo frangit ieiunium, de nouo peccat: quia quolibet eorum die liberè agit contra præceptũ ieiuniale, quod de reliquo ſeruare poſſet. Sic & qui propoſuit contra ius & fas veſci carnibus die ieiunii, quoties eas comedit, mortaliter peccat. Sunt qui dicant, non ſimile eſſe de eo, qui ſemel fregit diẽ ieiunii comedẽdo piſces, ſcilicet quòd quia non poteſt illo die iam ſeruare ieiunium, liceat ei comedere quoties voluerit: & ſic reportabit de improbitate ſua commodũ. Tutius eſt igitur deinde abſtinere, & reliquo diei tempore à cibis abſtinere. Præceptum enim de ieiunio negationem implicat, non comedendi pluries quã ſemel. Seruet igitur ille ieiunium qualiter poterit, ſicut qui emiſſo ſimplici caſtitatis voto vxorem duxit, tenetur quatenùs per vxorem liceat illi, ſeruare caſtitatẽ: & hoc ei libenter conſulerem, licèt non ſit euidens aliis pluribus comeſtionibus ſequentibus peccare. Denìq; ſtudioſe curandum eſt, vt nr̃a ieiunia ſint grata acceptaq; deo. Quocircà audiendus eſt Hieronymus tradens de conſec. diſtin. 5. Sint tibi quotidiana ieiunia, & refectio ſatietatẽ fugiens. Nihil enim prodeſt biduo vel triduo tranſmiſſo, vacuũ portare ventrem, ſi poſt pariter obſtruatur. Audiendus eſt & Gregorius, de temperamento diebus ieiuniorum adhibendo, ſic admonens: Cæterùm piſciũ eſus ita chriſtiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis ſolatium, non luxuriæ pariat incendium. Quare qui à carnibus abſtinent, non delicatioribus cibis indulgeant. Qui pretioſiores dapes vndiq; conquirunt, qui ſumptuoſiora marinarum belluarum conuiuia præparãt, neutiquã ieiunium Deo gratum acceptúmue ieiunant: neq; eo innitentes à deo exaudiuntur, quando eum precãtur. Vnde vt narrat Iſaias Deo dicentibus: Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti? humiliauimus animas noſtras, & neſciuiſti? Reſpondet: Ecce in die ieiunii veſtri, inuenitur voluntas vr̃a, ſcilicet in cibis lautioribus & in deſideriis carnis veſtrę: ita vt intemperantiùs belluemini ieiuniorum quàm prandiorum tempore. Quatenùs demum ſint immunes à ieiunandi pręcepto, alii propter ætatem, vt pueri & ſenes: alii propter infirmitatem & morbos: alii propter labores corporales, vt agricolæ, opifices, artiumq; profeſſores; alii propter pietatis officia, vt curatores animarum, & pręedicatores, & theologiæ doctores: Caietanus in Summula ſanctum Thomam imitatus copioſè ſatis commoſtrauit.

❦ Tractatus De fuco mulierum.

Prima Concluſio.

S*I mulier fucet ſe cum contemptu creatoris, peccat mortaliter. Sãctus Thomas. 2. 2. q. 169. arti. 2. ad ſecundũ. Si quæras quando mulier fucat ſe in contẽptum creatoris? Reſpondet tibi Abulenſis epiſcopus ſuper Matth. cap. 11. q. 13. dicens: Fucatio dicitur eſſe in contemptũ creatoris, quando mulier contemnẽs naturalem pulchritudinem vult quandã aliam pulchritudinem fingere: quaſi non bene ſit ſibi prouiſum de pulchritudine, ſed aliter prouideri debuiſſet: & tunc ſemper, ait, eſt peccatũ mortale. Quia Deum contemnit, qui aliquid de fabrica eius vilipendit.*

Secunda concluſio.

S*I mulier fucat ſe vt alliciat alios à viro ſuo ad libidinem, & ſi non intendat facere illis copiam corporis ſui, peccat mortaliter. Quia directè ſcãdalizat pernicioſè proximum: nam intendit peccatum mortale. Et ſcriptum eſt, Væ homini illi per quem ſcãdalum venit. Hoc tenet ſanctus Thomas. 2. 2. quæſtio. 169. articulo. 2. ad. 2.*

Tertia concluſio.

S*I mulier fucat ſe ad iactantiam & humanã gloriam, ſemper peccat grauiter: ſed tunc mortaliter, quando in talis gloriæ delectatione conſtituit ſibi vltimum finem. Quæras quando erit hoc? Nempe quando magis procurat fucare ita ſe vt appareat videntibus ſe pulchra, quàm ſalutem animæ ſuæ: & quãdo parata eſt Dei præceptum tranſgredi, nè omittat talem fucationem. Sicut quę omittit audire Miſſam in die feſto, faciens moram fucãdo ſe. Lege ſanctũ Thomam. 2. 2. q. 169. articulo. 2. & quæſtione 1. 3. 2. articulo. 3.*

Quarta concluſio.

S*I mulier fucet ſe vt alliciat virum ſuum ad amorem ſui libidinoſum, ſic q. tali amore affect⁹ etſi non eſſet ſua, idẽ incitaretur ad eam & congrederetur cum ipſa, tunc peccat mortaliter fucando ſe cum tali intentione: quia eſt ad peccatũ mortale. Peccat enim maritus mortaliter, accedens ad ſuam tanquàm nõ ad ſuam. Hoc tenet ſanctus Thomas. 2. 2. q. 154. articulo. 8. ad ſecundũ. Ad quod facit illud Pauli: Sciat vnuſquiſq; poſſidere vas ſuum in ſanctificatione & honore: non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes quæ ignorant Deum.*

Quinta concluſio.

S*I mulier fucet ſe contra præceptum viri ſui expreſſum vel præſumptum, peccat mortaliter: quia iã videtur fucare ſe propter ſuperbiã, vel laſciuiã, vel inobedientiam mortalem in re quę habet ſpeciem maioris mali: quam tenetur illa vitare propter zelum viri, & iurgia, & alia magna incommoda que deinde ſequuntur. Hanc tenet Vlricus libro 6. tractatu. 2. cap. 10. & Cardinalis de Turre cremata, De conſecra. di. 5. cap. fucare.*

fucare. Nec euadit talem grauitatem ſi dicat mulier fucare ſe ob inanem gloriam tantũ venialem: quia ex inani gloria veniali poteſt eſſe inobediens mortaliter: vt dicit ſanctus Thomas. 2. 2. q. 105. articulo. 1. ad. 2.

Sexta concluſio.

SI *mulier ſciens ſatis & abundè diligi ſe ab marito ſuo, & experta eſt ſatis ſe tractari ab illo affectu maritali, & eſſe contentum naturali pulchritudine vxoris ſuæ, & eſſe eundem virũ probum & caſtũ, ſi fucet ſe adhuc ipſa vt addat maiorem pulchritudinem, vt amplius placeat quã opus eſt, peccat grauiter. Quia iã ceſſat cauſa fucãdi ſe tali vxori: qua ceſſante, videtur illa prætexere cauſam ſimulatã ad excuſandas excuſationes in peccatis. Et hoc caſu videtur habere locum illud beati Cypriani: Viderint quid ſibi nuptæ per placendi ſtudium de coniugum ſolatio blandiãtur: quos cùm ad excuſationem ſuã proferunt, adſocietatẽ criminoſæ cõſenſionis actis. &c. cũ creſcit apparẽtia iſtius concluſionis ex eo qđ dicit ſanctus Thomas, pri. ad Timo. 2. lectio. 2. De fuco autem ſemper eſt peccatum: mulieribus. n. non permittitur ornari, niſi propter viros: & viri volunt decipi, vt fucatę eis appareãt. Idem dicit in. 2. 2. niſi quòd in authoritate quam citat videtur legendum, ſe nolle decipi: quia ſic eſt in originali beati Auguſtini, Epiſtola. 73. & in Decretis, de conſe. diſ. 5. cap. fucare. Ex quo ſequitur, voluntatem eorum et ſi fucum illarum apertè non improbent, non arridere tali fucationi. An verò in tali caſu peccaretur mortaliter, aliorum eſto iudicium. Nõ. n. eſt illa præcipitanda ſententia, vbi errore probabili, vel gloriola veniali poteſt aliquid tale facere.*

Septima concluſio.

SI *mulier fucet ſe vt placeat viro ſuo, & ſimul alliciat alios ad amorem ſui, licèt omnino adulterium facto exhorreat, peccat mortaliter. Quia ſi ocul⁹ tu⁹ nequã eſt, totũ corp⁹ tuũ tenebroſũ erit.*

Octaua concluſio.

QVando *mulier fucat ſe ad placendum viro ſuo, iudicans rationabiliter, vel ſaltem apparenter, id eſſe neceſſarium ſibi ad alliciendum virum ſuũ ad amorem matrimonialem, & ad continendum ipſum intra caſtitatem coniugalem: non peccat mortaliter: dum modò talis fucatio ſit modeſta, & verecunda, & pudica. iuxta illud Pauli. p. ad Timot. 2. Similiter & mulieres in habitu ornato: in græco eſt κοσμίῳ, qđ eſt modeſto, ſiue honeſto, cũ verecundia & ſobrietate ornantes ſe: & non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa: ſed quod decet mulieres promittentes pietatẽ per opera bona. Hãc tenet ſanctus Thomas. 2. 2. quæſtione 169. articulo. 2. ad. 2.*

Nona concluſio.

SI *mulier fucat ſe ita vt ſua fucatione in tantum notabiliter excedat vt per*

per illam ſufficienter prouocet alios à marito ſuo ad amorem ſui, peccare videtur mortaliter. Quòd ſi quæris qualis erit fucatio taliter exceſſiua? Nempe illa quę contra præceptum Apoſtoli, fuerit immoderata, & inuerecũda, & impudica. Immoderata inquam ea, quam vir prudens cenſeret excedere notabiliter modeſtiam matrimonialem. Inuerecunda ea, quæ innuit mulierem ſic fucãtem eſſe inuerecundã. Impudica ea quæ arguit mulierem taliter fucantem eſſe laſciuam: & quodam modo fucatione ſua inuitare aſpicientes ad amorem ſui: nec excuſabit taliter fucantem ſe dicere quòd ipſa non intendit prouocare alios à viro ſuo ad amorem ſui: cùm factũ ſit contrarium dicto. Siquidem in materia morali, actus exterior notabiliter excedens rationis mediũ, redit in ſuã formã, ac ſi intenderetur: & ideo ſi eſt malus, aut habeat ſpeciem mali, eſt ſcãdaloſus reſpectu eius mali quod ex tali actu ſolet ſequi. Quia ſicut dicit ſanctus Thomas 2.2.q.43.art.1.ad quartũ: ſcãdalũ actiuũ eſt, quãdo aliquis ſuo malo verbo vel facto intendit alium ad peccatũ inducere: vel etiã ſi ipſe hoc non intẽdat, & ipſum factum eſt tale quod de ſui ratione ſit inductiuum ad peccandũ: puta cũ quis publicè facit peccatũ, vel aliquid quod habeat ſimilitudinẽ peccati: & tunc ille qui huiuſmodi actũ facit, propriè dat occaſionẽ: nõ cauſam. Quoniã vt idẽ ſanct⁹ Thomas ibidẽ dicit in ſolutiõe ad.3. Nihil poteſt eſſe hõmini ſufficiẽs cauſa peccati quod eſt ſpiritualis ruina, niſi propria volũtas: & ideo dicta vel facta cõcupita alterius hominis, poſſunt eſſe ſolũ cauſa imperfecta, aliqualiter inducẽs ad ruinã. Et propter hoc in definitione ſcãdali non dicitur, dãs cauſam ruinæ, ſed dãs occaſionẽ: qđ ſignificat cauſã imperfectã. Et ita eſſe in caſu propoſito manifeſtè tradit diuus Hieronymus in Epiſtola ad Furiũ, ita dicẽs: Chriſtianos oculos ſcãdalizãt quæ purpuriſſo & quibuſdã fucis ora oculoſq; depingũt: quarũ facies gypſeę, nimiò cãdore deformes idola mẽtiuntur. Vides vt diuus Hieronymus apertè vocat talẽ fucationem ſcãdaloſam: nec mirũ, cũ ſit ea meretricia, nõ naturalis fucatio, iuxta illud Salomonis Prouer.ca.7. Occurrit ei mulier in ornatu meretricio, parata ad decipiẽdas aĩas. Ex quo liquet ꝙ non ſequitur, pulchritudo naturalis quãtũuis magna, nõ eſt ſcandaloſa: ergo pulchritudo fucatoria taliter exceſſiua nõ eſt ſcãdaloſa: quia nõ eſt ſimilis ratio. Et quia ſumus in materia morali, liceat mihi latiùs enagari ad explicandum multas variaſq; differentias inter vtranq; pulchritudinem. Nanque altera eſt naturalis, altera fictitia: altera verò humana, altera verò imaginaria: altera vera, altera fallax: altera immodeſta, altera modeſta: altera verecunda, altera inuerecunda: altera pudica, altera impudica: altera contenta intra honeſtatem coniugalem, altera illam excedens: ac perinde illa mouet ſpectatorem ſui ad conſyderandam ſapientiam creatoris, eundemq; laudandum, hæc ad conſyderandum artificium fucatricis & ipſius curioſitatem: illa oſtendit decõrem naturæ, hæc iam non tantùm imitatur naturam, quàm deprâuat eandem. Omnis enim exceſſus,

exceſſus, eſt quodam modo naturæ depravatio. Itaq; illa, habentem honeſtat, hæc dehoneſtat: illa non fallit, hæc decipit aſpicientem: illa eſt inculpabilis, hæc non eſt abſq; culpa: illa non arguit levitatem, hæc autẽ innuit eam. Nemo enim ſuſpicatur eſſe levem fœminam ſuapte natura pulchram, ſicut illã quæ eiuſmodi fucatione nititur ſe formoſam oſtentare. Prętereà pulchritudo naturalis nõ ſubindicat fœminam pronam ad placendum viris, ſicut eiuſmodi fucatoria pulchritudo. Quare mulier naturaliter pulchra, non videtur dare audaciam adeundi ſe ſpectatoribus, qualem videtur prębere mulier inverecundè fucata: nec illa inſinuat facturam eſſe ſui compotem tẽtatorem, ſicut illa quæ impudicè eſt fucata. Deniq; mulier naturaliter pulchra delectat & allicit ſpectatorem: nõ tamẽ ſufficienter in amorem ſui provocat, ſicut eiuſmodi fucata quę videtur ſe offerre amatoribus & infirmis: nec modò audaciam appetendi, ſed etiam fiduciam potiundi, vt experientia conſtat. Quapropter rectè dictum eſt, pulchritudinem naturalem neutiquam eſſe ſcandaloſam: fucatoriam autẽ taliter exceſſivam, eſſe aſpicientibus ſcandalo. Hanc concluſionem tenet proculdubio Alexander de Hales: & Epiſcopus Abulenſis ſuper Matthæum, cap. 11. q. 13. & Cardinalis de Turre cremata, de conſecra. diſ. 5. capitu. Fucare. & beatus Antonius Floretus. 2. par. cap. 58. & Sylveſter in Summa, titulo ornatus. q. 4. Et videntur hi doctores accepiſſe hanc doctrinam ex ſancto Thoma. 2. 2 q. 1. 69. art. 2. ad pri. vbi dicit q; per dictũ Apoſto. 1. ad Timo. 2. datur intelligi q; ſobrius & moderatus ornatus nõ prohibetur mulieribus: ſed ſuperfluus, & inverecundus, & impudicus. Nec refert quòd hic ſanctus Thomas loquitur dẽ ornatu: quia eadẽ ratio eſt in fucatione, ſi ſit ſimilis exceſſus. Imò maior: quia ſit maior deceptio hic quàm illic: & faciliùs provocantur homines per fucum quàm per ornatum: vt aiunt Epiſcopus Abulenſis, & beatus Antonius Florentinus. Nec obſtat quòd ſanctus Thomas dicit, quòd in duobus tantùm caſibus fucando peccatur mortaliter. ſ. quãdo fit propter laſciviam, aut in Dei contemptum: quia omnes alii caſus in quibus fucando peccatur mortaliter, facilè reducuntur ad hos duos. Et fortè Caietan⁹ non diſſentit ab hac quæſtione ſic circũſtantiata: quia ille verè loquitur de abſoluta pulchritudinis additione: nos verò de pulchritudine per fucum adaucta cum immodeſtia, & inverecundia, & impudicitia: ſicut ſuperiùs declaratum eſt.

Decima concluſio.

Virginem vel viduam fucantem ſe vt cõplaceat alicui, vt ducat ipſam in vxorẽ, ſaluare à peccato mortali, difficilius eſt quã ſaluare eam quæ habet virum. Tum quia nupta habet certum virum cui placeat: innupta verò nõ habet: & dum vult captare vnum, poteſt multos allicere ad amorem ſui fornicarium: tum quia poteſt decipere ducentem ſe, credendo quòd pulchritudo ei inerat naturalis, et nõ fictitia. Et in tali caſu poſſet eſſe peccatum mortale: quia decipit eum

eum qui decipi nollet in re graui. Hoc tenet epiſcopus Abulenſis ſuper Mat thæum cap.12.q.13.

Vndecima concluſio.

SI fucet ſe mulier quæ non vult nubere, vt vidua, vel virgo, volens perpetuam ſeruare caſtitatē, videtur eſſe peccatum mortale. Hæc eſt ſententia epiſcopi Abulenſis in loco allegato, dicentis ita eſſe: quia talis vidua & virgo facit contrarium propoſito ſuo, & aliosfallunt, & ſeipſas in periculo conſtituunt, ſi vt propter pulchritudinem apparentem ſolicitent eas amatores carnis; quas non ſolicitarent ſi ſimplici habitu vtentes naturali decôre cōtentæ eſſent. Nam cùm talis fœmina vtitur fuco, videtur ea quæ ſunt carnis diligere: ideo creſcit cupido & confidentia amatoribus carnis, quaſi illæ ſint perſuaſibiles ad libidinē: quod non fieret ſi viderēt eas omnia hęc deſpicere: ideo talis ornatus vocatur propriè impudicus, & inuerecundus; quem Apoſtolus probibet. p. Timo.2. Poſſet tamen in hoc caſu eſſe veniale, vt ait Cardinalis de Turre cremata, ſequens veſtigia ſancti Thomæ.

Duodecima concluſio.

QVæcunq; mulieres religioſæ, profeſſę caſtitatem, fucantes ſe; peccant mortaliter. Quia hoc eſt contra profeſſionem ſuam: & ſtatim in quo tenētur ſoli Deo placere, & cogitare ea quæ dei ſunt, iuxta Apoſtolicam ſententiam. Hoc tenet Abulenſis vbi ſuprà, & Cardinalis de Turre cremata in cap. fucare. & beatus Antoni⁹ Florē.

Decimatertia concluſio.

SI fucat ſe vetula quæ non poſſet nubere propter ætatem, videtur ſemper peccare mortaliter. Quia turpiſſimū eſt ꝙ veterana fuco vti velit: cùm hæc ſit quaſi quædam alienatio mentis, & peſſimum exemplū adoleſcentioribus. Hoc tenet epiſcopus Abulen. vbi ſuprà. Videtur tamen mihiq; hęc cōcluſio eſt moderanda, ſicut fuit moderata vndecima.

Decimaquarta concluſio.

FVcans ſe ad tegendam aliquam turpitudinem notabilem, non peccat: vt ait. S. Tho.2.2.q.169. Et hoc, inquit Abulenſis, eſt verum niſi ſit contra conſuetudinem regionis. Quia ſi ſit omnino inconſuetum vti fucis, vſus eius generat ſcādalū: & certè ſcandalū ſemper eſt vitādū, quandiu vitari poteſt. Eſt & ſecūdò limitanda hæc cōcluſio, ꝙ fucās ſe ad tegendam aliquā turpitudinē, caueat nè hac occaſione fucet ſe ampliùs quàm opùs eſt ad cooperiēdam talē maculā & turpitudinē, vt nullatenùs peccet. Tertiò limitat hanc concluſionē Petrus de Bergamo, dicens eſſe intelligendam de turpitudine cauſata ex morbo, aut ex alia cauſa accidentali.

COnſtantibus his concluſionibus, viderint obſecro confeſſores & prędicatores quàm paucæ ſint mulieres, quibus liceat fucare ſe abſque peccato vel

grani,

graui, vel mortali. Hæc dicta ſunt ſub correptione Matris Eccleſiæ: quæ ego in vnum collegi non innitens prudentiæ meæ, ſed tantùm referens doctorum approbatorum ſententias: quæ ſi ita prædicarentur vt hic ſunt digeſta, ſpero quòd multum vtilitatis afferrent animabus hac tempeſtate, qua totus mundus in maligno poſitus eſt. Vide ſalubre documentum hac de re in Summa Florentina, titulo quarto, cap. 5. §. 8.

❧ Tractatus inſignis De ſalubri peccatorũ cõtritione.

Caput Primum.

IAm verò placet breuiſſimo verborum compendio, nõnulla de peccatorũ cõtritione percurrere: quæ ab eccleſiaſticis tum primę tum ſecundæ claſſis tractatoribus, multis exactisq; diſputationibus diſcutiuntur. In primis igitur conſtat contritionis nomen à corporali comminutione ad ſpirituale eſſe trãſlatum: hoc eſt ad ſignificandum pœnitẽtis animi affectum, quo comminuta oblataq; omni ſuperbæ mẽtis duritia anima molleſcit, ſeq; Spiritui ſancto ductilem ſubſternit: & ob peccata cõmiſſa ſemet
Pſal. 50. *affligat, atq; contundit: vt ſit ſpiritus contribulatus, & cor contritũ & humiliatum, ac perinde Deo acceptum. Hoc enim eſt quod Auguſtinus in libro de*
Auguſti. *vera pœnitentia tradit, inquiens: Ad pœnitentiam agendam non ſufficit mores immutare in melius, & à factis malis recedere, niſi de his quę facta ſunt peccator ſatiſfaciat per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per cõtriti cordis ſacrificium: hoc eſt quod Eccleſiaſticus faciendum peccatori ſuadet, dicens: Fili peccaſti, nè adiicias iterum: ſed pro priſtinis deprecare, vt dimittantur tibi.* Eccle. 21. *Offenſus enim peccatis ſi deus ſit, placandus eſt humili reſipiſcẽtia, pia conuerſione aduocandus, iuſto dolore mitigandus, rectè deniq; factis promerendus: vt offenſam reo dimittat, pœnã remittat, gratiam reponat, amicitiã reſtituat. Quare valeat Lutherus qui contra naturalis iuſtitię rationem, abſq; vllo pro perpetrato crimine dolore ſola propoſiti de malo in bonum mutatione ſatis ad reconciliandum Deo peccatorẽ eſſe putauit. Condemnat enim eum Dñs in Iſaia, dicens: Ad quem reſpiciam? niſi ad pauperculũ contritũ corde, & trementẽ ſermones meos.* Iſaie. 56. *Exigit itaq; deus à peccatore quatenus eum oculis miſericordiæ reſpiciat, vt ſit pauper ſpiritu, & de omnibus peccatis dolore aſſumpto affectus, & tremore quodã inſtigatus ad cuſtodienda dei præcepta. Eſt igitur cõtritio, dolor de peccatis volũtarius propter dei offenſam, cũ emẽdationis propoſito in futurũ. Id quod in primis patet ex ipſa conterendi ratione. Nam cũ animus conteritur, haud vtiq; verberibus, ſed doloribus patitur. Item in Concilio Florentino ſic habet: Ad* Concilũ. *contritionem ſpectat dolere de peccatò commiſſo, cum propoſito non peccandi. Auguſtinus in libro de pœnitentia: Non dolere quia peccaueris; magis indignari & iraſci faciat de-* Auguſt.

*um quàm id ipſum quòd anteà peccaue-
ris. Scilicet quia illud fuit paſsionis,
hoc pertinaciȩ: illud ignorantiæ, hoc ma
litiæ: illud temeritatis, hoc deſperatio-
nis. Pertinet & ea indolentia, ad con-
temptum eius qui tam ſuo quàm ore ſui
prȩcurſoris indeſinenter clamat: Pœni-
tentiam agite, appropinquabit regnum
cœlorum. Quòd ſi velis ſcire quis mo-
tus animi ſit iſte dolor, quem dicimus cõ
tritionem, Animaduerte quantum ad
propoſitum attinet tria quædam, quæ
in nobis ipſis experimur, odium, triſtitiã
& dolorem. Et quidem odium eſt actus
voluntatis quo nolumus, ac deteſtamur
aliquid vel eſſe, vel fuiſſe, vel futurum
eſſe. Triſtitia eſt ægritudo animi de his
quæ nobis nolentibus accidunt. Eſtq́; paſ
ſio naturali curſu odium ſubſequẽs. Do
lor autem eſt inquietudo ſenſus de ali-
quo affligente atq; vexante effectus: cu
ius indices ſunt defluentes per ora la-
chrymæ. Hæc autem omnia inter ſe dif
ferre eò conſtat apertè quòd nos experi-
mur ineſſe nobis ſenſilem dolorem abſq;
vlla lachrymarum effuſione. Ineſt &
aliquando voluntati triſtitia: ſed nullus
in ſenſitiuo appetitu dolor eſſe percipi-
tur. Id quod multis de cauſis euenire ſo-
let: vel quòd ſuperioris appetitus tri-
ſtitia non eſt tanta quæ ſeſe ad infe-
riorem diffundat: vel quia hic inferior
aliô ſit à Deo diſtractus, vt ſuperior
perturbationem minùs percipiat: vel
quòd ſit adeò durus inferior appetitus,
vt ſuperioris affectum minimè mole-
ſtet: vel quia demum voluntatis triſti-
tia eſt adeò exigua, præſertim ſi ali-
quod interſit impedimentum, vt inferio
rem appetitnm tangere nõ valeat. Hoc
& in odio euenire contingit, vt adeò ſit
exile, vt triſtitiam in voluntate gigne
re nequeat. Iam verò ex his inferre con-
uenit aliqua dicta. Quorum ſit primum:
Contritio non eſt ipſa lachrymarũ pro
peccatis diluendis effuſio. Quia eſt effe
ctus quidam ſuapte natura triſtitiam,
doloremq́; conſequens. Imò interdum la
chrymæ ſunt fallaces veræ contritionis
indices: vt eſt in quibuſdã incõtinẽtibus
deprehendere, qui non conſtãti voto pec
cata odio habẽt. Etenim haud certo mẽ
tis decreto, ſed perturbatione quadam
commoti dolent, & illachrymantur ad
tempus, & breui quæ dolent repetunt.
Hæc autem non tollunt quin nonnulli
incontinentes contritorias lachrymas nõ
raròeffundunt. Sit ſecundum dictum.
Dolor ſenſilis non eſt ipſa contritio.
Quia eſt diſplicentiæ peccati effectus,
idq́; media triſtitia: qui & interdũ inue
nitur ille maior in eo qui aut non ſit con-
tritus, aut minùs cõtritus. Talis erat do
lor in illis, qui apud Iſaiam dixerunt:
Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti?
humiliauimus animas noſtras, & neſci-
ſti? Sed quia eiuſmodi ieiunium & ani-
marum humiliatio vera contritione ca-
rebat, eis à Dño reſponſum eſt: Ecce in
die ieiunii veſtri inuenitur volũtas vr̃a:
id eſt cor incontritũ & re vera intrin
ſecus elatũ, atq; latẽti ſuperbia tumens.
Tertiũ dictũ. Cõtritio nõ eſt ipſa volũ-
tatis triſtitia. Hȩc em̃ eſt quidã ipſius
odii in volũtate effectꝰ, atq; paſſio ipſiũ
naturaliter cõſequẽs: niſi aliũde eiuſmodi
triſtitiæ ꝓceſſio præpediatur: ſicut in
beatis cõtingit qui cũ ſũmo odio pecca-*

ta ha-

ta habeant, nihil cõtriſtantur. Tantum enim eſt eorum gaudium vt non modò contrariam, ſed etiam quamlibet triſtitiam ab eis excludat. Prætereà cùm ea triſtitia per ſe ſola nec ſit laudabilis nec meritoria, cùm ſit naturalis quædam voluntatis affectio: paſſionibus & habitibus nihil promeremur, neque commeremur, ſed actionibus aut probis aut improbis: liquet eam non eſſe ipſam contritionem, quæ actio quædam eſt voluntatis, tum laudabilis, tum meritoria. Siquidem per integram peccatorum diſplicentiam deo reconciliamur. Sit quartum deniq; dictum. Contritio eſt actus voluntatis liberè elicitus quo pœnitens peccata deteſtatur. Quis actus? Proculdubio peccati odium: id eſt, deteſtatio & diſplicentia aduerſus peccatum liberè concepta, qua contritus, nullum peccatum eſſe vult: vt ſit conteri de peccatis perpetratis, nolle ea perpetraſſe: vel nolle ea fuiſſe: vel nolle offendiſſe Deum. Vt ſit contritio potius actus complexus quàm incomplexus: quia diſplicentia peccati incomplexa, plus habet paſſionis quàm libertatis: & econtrariò. Diſplicentia complexa, plus multò habet libertatis, quàm paſſionis: imò eſt actio prorſus libera à voluntate elicita. Sicut enim velle bonum ſi ſit laudabile meritorium, eſt actio liberè producta: ita & nolle malum ſi ſit laudabile ac meritorium, eſt actio libera. Denique ſicut amare aliquid eſt, ei velle bonum: ita odiſſe aliquid eſt, velle illi malum. Sicut ergo amare virtutes, eſt velle eas eſſe: ita odiſſe vitia, eſt velle ea non eſſe. Odio igitur habere peccata præterita eſt, nolle ea fuiſſe: ſiue id fiat deſyderio quodam abſoluto, ſiue nolitione conditionata. Nam & hæc nata eſt triſtitiam efficere, etiam ſi conditio ſit impoſſibilis. Vel diſplicentia eorum tam conditionata quàm abſoluta: qua ſimpliciter verè contrito omnia peccata, tam præterita quàm præſentia, quàm denique futura diſplicent. Eáq; vel in ſeipſis vel eorum effectus, ſcilicet auerſionem à Deo, ipſius offenſam pœnarum pro eis debitarum reatum aboleri deſiderat & conatur. Denique contritio peccatorum ſpiritualis, eſſentialiter eſt efficax peccati ad ipſum abolendum nolitio, ac deteſtatio eius atque diſplicentia: ſiue ex ea ſequatur triſtitia, & dolor, & lachrymæ, ſiue non inde iſta exoriantur. Quòd ſi hæc ita ſeſe habent, meritò quiſquam quærat quomodò non ſit eis contraria contritionis definitio: qua à magiſtris dicitur, eam eſſe voluntarium dolorem de peccatis, cum propoſito ea confitendi, proq; eis ſatiſfaciendi. Huic reſpondet Sanctus Thomas, Contritionem quidem ſuapte eſſentia eſſe peccatorum diſplicentiam: denominari tamen dolorem ſicut cauſa plerunq; effectus ſui nomen ſortitur. Dolor autem, tam mentalis, id eſt, triſtitia, quàm ſenſibilis, & quæ eum ſequuntur gemitus & lachrymæ, veræ contritionis ſunt effectus. Cur ergo ponitur in contritionis definitione? Quoniã licèt per ſe ac in ſe nõ ſit voluntarius, ac perinde nec laudabilis & meritorius, nec vituperabilis: attamẽ in ſui cauſa & voluntarius & laudabilis, & meritorius

 eſt.

eſt. Quoniam ex libera pœnitentis voluntate procedit: peccator enim conſyderans ſe deum perperàm offendiſſe, dignumq; eſſe qui pro ſuis peccatis omnino puniatur, elicit voluntatem qua vult in ſe bene punire quod male commiſit. Deinde voluntariè quoq; elicit actum deteſtationis, quo diſplicet ſibi peccatum commiſſum. Hanc ſequitur naturaliter de eodẽ triſtitia: hãc ſenſibilis dolor, & gemitus, & lachrymæ: quæ omnia tam ſponte excitata, quàm accepta, quàm tolerata, ſunt vtiq; pia, ſancta, & pœnitentibus ſalutaria. Si tamen ea peccatorum diſplicentia concepta ſit propter deum, ſuper omnia dilectum. Nanq; nõ ea ſufficit ad peccatorum remiſſionem obtinendam: ſi peccata pœnitenti duntaxat propter pœnarum timorem, vel eorum turpitudinem, vel contractam ex eis apud homines infamiam, quantumuis vehementer diſpliceant. Oportet enim eiuſmodi peccatorum diſplicentiam, tum ex iuſtitiæ æquitatæ, tum ex amicitiæ affectu exhiberi, vt deo placeat, eumq; peccatori conciliet. Id quod & ad ciuilem inter homines reconciliationem exigitur. Nemo enim in priſtinam pacem cum eo qui iniuriam intulerit redit, niſi nouerit eum amica mente ab illo veniam petere. Hinc Auguſtinus: Sine charitate quomodò quis veram cordis contritionem habere poterit? quomodò ergo delictorum remiſſionem? Quæ ſi non ſunt dimiſſa, quomodò non omnia prorſus ad pœnam exigenda ſunt? Quaſi dicat: Nullo modo. Quare neceſſe eſt vt vera ſit contritio, deoq; accepta, eſſe charitate formatam: hoc eſt, propter Deum ſuper omnia dilectum elicitam, vel ei coniunctam. Iam quærat aliquis vtrùm charitas & pœnitẽtia diſtinctæ ſint virtutes? Sũt vtiq;. Quoniam charitate fertur homo in Deum abſolutè, qua eſt ſummum bonum, ſed dignos beatificans. Pœnitentia verò fertur in eundem quatenus placabilis eſt ac peccatori reconciliabilis. Ex quo ſit vt quemadmodùm hæ duæ virtutes inuicem diſtinguuntur: ita & earum actus diſtinguantur. Nanque à virtutibus diuerſis, diuerſæ producuntur actiones. Etenim charitatis actio eſt diligere Deum ſuper omnia. Pœnitentiæ autem, odio habere omne peccatum ſupra omne odibile propter deum. Quòd ſi vlteriùs quærere pergas, Vtrũ harũ virtutũ actus ſimul cõueniant, an alter alterum præcedat ad peccatorem iuſtificandum? Reſponſionem accipe ex aliorum authorum, præcipuè ſancti Thomæ, dictis. Quorum primum ſit: Aliquando charitatis motus pœnitentiæ motum antecedit: vt cùm Deus prædicatur, cogitaturq; ſumma Dei maieſtas, atque perfectiſſima & æterna ſublimitas: quibus conſyderatis in animis piè affectis prono quodam conſequio, intimus illius amor exoritur. iuxta illud Pſalmi: Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardeſcet ignis. Secundum dictum. Interdum motus pœnitentiæ, charitatis motum præcedit. Quando videlicet Deus ipſe prædicatur & conſyderatur iuſtus peccatorum vltor, iudexq; ſeuerus:

ſimulq;

ſimulq́; miſericors, & qui parcit peccatoribus propter pœnitentiam. His enim conſideratis peccator homo Dei timorem atque obtinendæ veniæ fiduciam concipit: ac ſubinde peccata ſua tanquàm Dei offenſiua, ſibiq́; noxia, deteſtatur, & ad Deum totus conuertitur. Sicut ille qui dicebat: Conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina. Sit tertium dictum. Charitatis motus, pœnitentiæ motum communiter præcedit. Quia ſicut ſe habet amor ad odium: ita ſe habet ad pœnitentiam charitas. Amor autem communi rerum curſu odium antecedit. Ideo enim aliquid odimus, quoniam aliud amamus: ſicut illud fugim⁹, quia hoc proſequimur. Sic & motus charitatis quo Deo & nobis bene volumus, præcedit pœnitentiæ motum quo nobis eſſe male uolumus. Quòd ergo dicitur ſimpliciter charitatem præcedere contritionem, de communi euentu eſt accipiendum: iuxta quem morales regulę tradi ſolent. Nam cùm morales actiones nequàquam neceſſariò exerceantur, ſed de libero arbitrio procedant, non eſt danda aliqua certa radix, ex qua pœnitentis actus ſemper procedat: ſed ex qua vt plurimùm contingat. Quòd ſi vlteriùs quæras, ſi quãdo dilectio dei ſuper omnia, & peccati diſplicentia ſuper omne odibile peccati ad deletionem ſimul concurrant, ratione cuius illud deleatur? Reſpondemus quòd propter pœnitentiæ actum. Vnde id conſtat? Nempe ex ſacris ſcripturis: dicente Domino in Ezechiêle, Quacunque hora peccator ingemuerit, & conuerſus fuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor ampliùs. Et Dominus: Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum. Omnes item eccleſiaſtici doctores teſtantur, ſacramentum pœnitentiæ, cuius potiſſima pars eſt habita de peccatis commiſſis contritio, ad delenda peccata inſtitutum eſſe. Hinc & pœnitentia prædicatur ſecunda tabula poſt naufragium: quia gratia per baptiſmum obtenta, & poſteà per peccatum amiſſa, per veram de eis contritionem recuperatur, iterumq́; homo in ſalutis portu cõſtituitur. Quòd ſi actus charitatis pœnitentię actũ prӕceſſerit, peccatũ remittitur propter peccati diſplicẽtiã ac dei dilectionẽ implicitã. Qui enim actu diligit Deum ſuper omnia, certè vel voto deteſtatur quicquid deo cõtrariũ ſit. Quòd ſi econtrariò pœnitentiæ motus charitatis motum præcedat, remittitur quoq́; peccatum. Ac nondum eſt charitas ſine qua peccata non remittuntur. Imò iam eſt ibi habitus charitatis à Deo infuſus, actuſq́; eius implicitus: quia qui deteſtatur peccatum ſupra omne odibile, iam ſuper omnia Deum diligit. Et profectò nolle offendere omnino Deum, vera dei dilectio eſt: actuſq́; virtutis pœnitentiæ, & ab ea ex charitatis inclinatione productus. Et quemadmodùm eodem actu tum medium tum finem homo velle poteſt: ita & eodem actu peccatum deteſtari, & Deum diligere valet. Hic denique actus eſt perfecta peccatorum diſplicentia: quam cordis contritionem ſcriptura ſacra vo

cat, & per quã omnia peccata tollũtur.

Caput ſecundum.

Illud præterea ſimiliter tractandum, attritionem eſſe imperfectam diſplicentiam de peccato: contritionem verò perfectam. Quod ita declarat Sanctus Thomas: Attritio, ait, non dicit acceſſum ad perfectam contritionem. Vnde in corporalibus dicuntur attrita quæ aliquomodo ſunt minuta, ſed non perfectè: ſed contritio dicitur quando omnes partes tritæ ſunt ſimul, per diuiſionem ad minima: & ideo ſignificat attritio in ſpiritualibus quandam diſplicentiam de peccatis commiſſis, ſed non perfectam: contritio autem perfectam. Hæc ille. Quòd ſi vlteriùs quæras quæ ſit illa attritionis imperfectio? nonnulli dicunt eſſe diſplicentiam vnius peccati cum alterius complacentia: vel certè abſque alterius diſplicentia. Talis autem attritio, nõ poteſt ſic manens fieri contritio, quę eſt omnium peccatorum deteſtatio: niſi fortè quis dolet de altero peccato, factáque diligenti conſcientiæ diſcuſſione, licèt non ſufficienti in alterius latẽtis peccati notitiam non peruenit; tunc ille ex attrito fiet contritus ſacramenti virtute. Siquidem ſacramenta per ſe iuſtificant, vbi infundendæ gratiæ actualem contrariæ voluntatis obicem non inueniunt. Alii dicunt attritionem eſſe diſplicentiam omnium peccatorum remiſſam. Sed obſtat eis, quòd ſicut quælibet deliberata contra dei præcepta complacentia ſufficit ad peccatum mortale: ita quælibet peccatorum diſplicentia propter deum appoſitis cunctis debitis circũſtantiis ſufficit ad recuperãdam gratiam: cùm pronior ſit Deus ad ſaluandum quã ad cõdemnãdum. Eſt autem verum intenſiorẽ exigi ad liberandum peccatorem non ſolùm à culpa, ſed etiam ab omni pœnarũ reatu. Alii dicunt attritionis imperfectionẽ eo conſtare quòd per certũ aliquod tẽpus continuò ſeruata non ſit. Verùm ſi alioqui ea diſplicentia eſt perfecta, cur expectet vlteriùs Deus vt gratiam infundat: cùm natura in primo inſtanti in quo materia eſt ſufficienter diſpoſita ei formam inducat? Quæ igitur eſt ea imperfectio? Duplex eſſe poteſt. Vel quia non eſt peccati deteſtatio propter Deum: vel ſi ſit propter deum, habet cõiunctam aliquam malam circunſtantiã. Vtrouis horum modorum eiuſmodi peccati diſplicentia eſt attritio: id eſt, imperfecta & inſufficiens diſpoſitio ad gratiam percipiendam. Contritio autẽ quæ eſt deteſtatio omnium peccatorum propter Deum ſummè dilectum, eſt diſpoſitio perfecta & ſufficiens ad gratiam habendam. Ita quòd licèt non ex natura rei, ex lege tamen ordinata in quocunque inſtanti peccator eſt verè & ſufficienter contritus, infunditur ei diuinitùs gratia. Quin & tenet ſanctus Thomas, quòd cùm excluſio culpæ & infuſio gratiæ fiant in eodem inſtanti, & ex parte ſubiecti: priùs natura excludatur culpa quàm infundatur gratia. Tamen ex parte Dei gratificantis, priùs natura gratia infunditur quàm culpa excludatur. Sed hoc quid ad rem?

Non quidem parùm. Nam cùm contri
tio per quam remittuntur peccata ſit a-
ctus elicitus à virtute pœnitentię cum
gratia infuſæ, attritio quæ eſt actus eli
citus abſq; gratia & virtute pœniten-
tiæ infuſæ, non poteſt fieri contritio: cũ
ſit altera tantùm producibilis à virtute
naturali, altera à ſupernaturali: & alte
ra abſque charitatis forma, altera per
charitatẽ formata. Quòd ſi dicas, cùm
eadem materia priùs informis, poſteà
forma ei induta maneat eadem, cur ſimi
liter eadem peccatorum diſplicentia an
teà infor mis non poteſt pœnitentiæ vir
tute ſimul & charitate formari, vt ex
attritiõe fiat cõtritio? Quia, vt ait. S.
Thomas. 2. quæſt. ad decimamſeptimã.
Thom. *diſtinctionem quarti libri Sentẽtiarum,*
Materiæ eſſentia non habet originem à
forma: ſicut actus habet originem ab ha-
bitu quo formatur. Vnde non eſt incõ-
ueniens materiam informari aliqua for-
ma de nouo, qua priùs non informaba-
tur. Sed hoc de actu eſt impoſſibile. Si-
cut impoſſibile eſt quòd aliquid idem
numero & oriatur à principio, à quo
priùs non oriebatur. Quia res ſemel tan
tùm in eſſe procedit. At Caietanus pu
tat, odium peccatorum propter Deum
ſummè dilectum non eſſe diſpoſitionem
immediatam ad habendam dei gratiam.
Nam cùm quiſque poſſit hanc perfectã
peccatorum diſplicẽtiam in ſe experiri,
experimẽto ſciret eſſe ſe in Dei gratia.
Cui refragatur Salomon, dicens: Sunt
iuſti, & opera eorum in manu Dei: &
tamen nemo nouit vtrùm ſit dignus a-
more, vel odio. Reſpondetur eſſe ita, ꝙ
nemo nouit euidenter an habeat gratiam
pœnitentiæ: quia nemo nouit forſitan e-
uidenter vtrùm habeat perfectam illam
peccatorum diſplicentiam necne. Nam
quamuis illam habeat non eſt ſibi euidens
ſe nihil omittere eorum quæ ad perfectã
contritionẽ requiruntur. Sicut ſcriptũ
eſt: Delicta quis itelligit? Etenĩ in mul
tis delinquimꝰ omnes. Satis eſt ꝗ inde ma
ximam obtinet probabilitatẽ ſe eſſe ſuf
ficienter diſpoſitum ad diuinam gratiã
abſq; vlla temporis mora habendam: etſi
clarè id non videat, ſed optimis argumẽ
tis cõiectet eſſe ſe Deo gratum: id quod
ſufficit ad vitam chriſtianam tũ diligẽ
ti ſtudio, tum mente tranquilla peragẽ
dam. Alii aliter hunc nodum ſoluerint:
nobis hæc ſolutio nunc placuit.

Caput tertium.

IAm verò cùm contritionis
ratio in ſe concludat diſpli-
centiam cunctorum peccato
rum à pœnitente perpetra-
torum, re vera conſtat neminem de vno
quodam peccato mortifero plenè conte-
ri: niſi ſimul alia de quibus non eſt con-
tritus penitus deteſtetur. Etenim ſicut
nemo poteſt deo ſimul eſſe amicus &
inimicus: ita nõ poteſt eſſe plenè acce-
pta vnius lethalis peccati deteſtatio ſi-
ne alterius diſplicentia. Hinc Augu-
ſtinus: Sunt plures quos pœnitet pec- August.
caſſe, ſed tamen omnino reſeruantes ſibi
quædam in quibus delectentur: non ani-
maduertentes Dominum ſimul mutum Matth. 12
& ſurdum à dæmonio liberaſſe. Per
hoc docet nos nunquam niſi de omnibus
ſanari. Si enim vellet peccata ex parte
reſeruanti habentem ſeptem dæmonia,
perficere potuit ſex expulſis: expulit au-

Marc.5. *tem ſeptem, vt omnia crimina ſimul eiicienda doceret. Legionem verò dæmonũ ab alio eiiciens, nullum reliquit de omnibus qui liberatum poſſideret. Oſtendens quòd ſi etiam peccata ſint mille, oportet de omnibus pœnitere. Nunquã aliquem ſanauit Dominus, quem non omnino liberauit. Totum enim hominem ſanauit in ſabbatho: quia & corpus ab omni infirmitate, & animam ab omni contagione: indicans pœnitentem oportere ſimul dolere de omni crimine. Scio enim Dominum inimicum eſſe omni criminoſo. Quomodò ergo qui crimen reſeruat, de alio reciperet veniam? Sic enim ſine amore Dei conſequeretur veniam, ſine quo nemo vnquam inuenit gratiam. Hoſtis enim Dei eſt dum offendit perſeueranter. Quædam enim impietas infidelitatis eſt ab illo qui iuſtus eſt. Et in iuſtitia eſt dimidiam ſperare veniam. Quia inde, vt ait ſanctus* Thom. *Thomas, ſequeretur, quòd vel Deus non sciret omnia peccata: vel non omnia horreret: vel non omnia remittere poſſet. Iam verò quæras vtrùm ſit neceſſe pœnitentem dolere ſimul de cunctis peccatis à ſe perpetratis: an ſeorſum de ſingulis: an ſpeciatim de aliis atque aliis? Hanc quæſtionem ſubiectis propoſitionibus abſoluere placuit. Quarum ſit Prima: Ad obtinendam culpæ ac æternæ pœnæ remiſſionem, ſatis eſt pœnitenti generalis quædam & indiſtincta vniuerſarum criminum ſuorum contritio. Id quod vnius rationis compendio facilè declaratur. Etenim ſi ad veniam obtinendam particularis de quolibet indiuiduo peccato requireretur dolor, inde fieret vt aliquis in quodam certo ac determinato tẽpore peccatorum ſuorum remiſſionem acquirere minimè valeret. Quoniam ad multa peccata particulatim memoranda cogitandáque, aliquanto tempore homo indiget: ac perinde ad dolendum de eiſdem tantundem temporis opùs: nequiret aliquis peccator multis criminibus implicitus quolibet temporis ſpatio, quantumuis breuiſſimo, de illis omnibus conteri. Id quod alienum eſt à communi ſapientum ſententia. Omnes enim theologi tradunt, quemlibet peccatorem facto ſuper eum repentè Spiritus ſancti ſono, poſſe repentè ad veram pœnitentiam velociter excitari: & in qualibet temporaria morula exactè de omnibus ſuis peccatis conteri. Hoc eſt enim Domini decretum apud Ezechiêlem, dicentis; Iuſtitia iuſti non liberabit eum in quacunque die peccauerit: & impietas impii non nocebit ei in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua. In hoc vtique loco dies non ponitur pro certo determinatóque vigintiquatuor horarum ſpatio. Liquet enim plerunque haud eſſe opùs tanto tempore ad peccatorum contritionem acquirendam. Sed ponitur pro qualibet temporis morula, quantumuis minutula, etiã momentanea. Siquidẽ tã voluntatis quã intellectus actio in momẽto elici poteſt. Conſtat & idem de latrone in cruce, & de apoſtolo Paulo, atq; aliis nõ paucis, qui breuiſſimo tẽporis intercedẽte curriculo, plenè à peccatis conuerſi ſunt ad eũ: déque ipſis perfectè fuêre cõtriti. Secũda propoſitio. Nõ exigitur ſingulis ſecundùm eorũ numerum diſtinctis*

ctis mortalibus peccatis, totidem ſingulares contritiones reddere, vt pœnitentes à culpa & pœna temporali eis debita liberētur. Tum quia ſicut ille vnica enumeratione tria ſimul furta confiteri poteſt: ſic & vnica reſtitutione pro illis ſatiſfacere: ita & vna diſplicentia poteſt de eiuſdem ſimul conteri. Tum quia in hiſce rebus potiùs eſt expendēda earum perfectio quã numerus. Poteſt enim vna concepta de peccatis diſplicentia eſſe adeò perfecta, vt æquiualeat pluribus non æquè perfectis: quemadmodũ vnus aureꝰ nũmꝰ multis argēteis valore p̄ſtat. Tertia Propoſitio. Vt contritio peccatorum ſit ſalutaris debet intendi ac terminari ad omnia ſingulaq́; peccata à pœnitente commiſſa, actu vel voto, atq; deteſtatione omniũ ac ſingulorum explicita, vel implicita. Quia vt ſuperiùs attigimus, aliquod lethale peccatum abſq; alio remitti, & charitati repugnat, & impium eſt dimidiam à Deo ſperare veniam. Quarta Propoſitio. Et qui multis criminibus eſt implicatus, paulatimq́; modò hoc modò illo reprobato ad iuſtitiam fidei colendã conuertitur, vt tandem iuſtificetur, ſufficiunt particulares illarum deteſtationes, quas vocãt attritiones: ſi per eas demum perueniat ad vnam generalem perfectam de omnibus diſplicentiam, debitiſq́; circunſtantiis conueſtitam: quę vera abſolutaq́; contritio nuncupatur. Hoc contingere ſolet magnis diuturniſq́; peccatoribus. Eſt enim conditionis humanæ, ab imperfecto ad perfectũ ſenſim gradatimq́; promoueri. Talibus per Prophetã pręcipitur: Cõuertimini ſicut in profundum receſſeratis. Ex his ſunt pleriq; qui ſacramentorum efficacia ex attritis fiunt contriti. Quinta Propoſitio. Qui ſemel generali illa diſplicentia de omnibus peccatis ſuis contritus fuerit, non tenetur de eiſdem ſpeciatim conteri, vſque ad confitendi ea tempus: tunc enim ſicut ea diſtinctè confitetur, diſtinctè debent ei diſplicere. Cõfeſſio enim peccatorum nè ſit ficta, debet eſſe eorum diſplicentia adornata. Nanque eſſet ficta, ſi pœnitens prætendat actu ſibi diſplicere peccata: quæ tũc actualiter ei non diſplicent. Eſto tunc tēporis eidem minimè placeāt. Sexta Propoſitio. Si quis confeſſionis tempore habeat generalem de omnibus ſuis peccatis diſplicentiam perfectam, & ex illis inſtinctu ſacerdoti vel tria furta vel duas fornicatiões ſimul manifeſtat, nõ tenetur neceſſariò ſuper quamlibet earum fornicationum reflecti, neq; ſingulatim vnamquanque earum deteſtari. Puta dicendo, de te doleo, & de te doleo: quia de eis virtute particulatim dolet, quando ex illa actuali diſplicentia, etſi cõmuni, eaſdem ſacerdoti diſtinctè confitetur. Quoniam quælibet eiuſmodi particularis cuiuſlibet culpę confeſſio, in ſe virtualiter, vt aiunt, particularē ipſius dolorē implicitum continet. Hoc enim ipſo quod equidem ex eiuſmodi generali diſplicentia volo Dei miniſtro peccatum hoc confiteri, quò à Deo veniam impetrem, & gratiam illius promerear: in particulari ſaltem implicatè illud deteſtor. Eago poſtquam aliquis ſemel de omnibus ſuis peccatis doluit, ſatis eſt ad ſalutem ſi ex eo dolore motus de ſingulis

lis diuiſim vel coniunctim in particulari à Deo veniam petat. Nec hæc propoſitio proximæ ſuperiori repugnat. Quia illa intelligitur de illa vniuerſali diſplicentia quæ nec actu virtute confeſſionẽ attingit: hæc verò de illa quæ actu vel virtute cum particulari peccatorum confeſſione coniuncta eſt. Septima Propoſitio. Ad plenam remiſſionem peccatorum, quantum ad culpam & ſimul quãtum ad omnem pœnam pro eis debitam redimendam, requiritur formalis ſingulorum peccatorum deteſtatio: id eſt q̃d ad ſingula eorũ ſiue ſingulatim, ſiue ſpeciatim obiecta, actualis diſplicentia terminetur. Quoniam de communi curſu non fit peccatorum remiſſio quantũ ad culpam & omnẽ pœnam: niſi homo quãtum in ſe eſt, ſingula peccata mortalia diſtinctè auerſetur: ita quòd ſicut in ſingulis plus ſibi indulſit quã Deo: ita & pro ſingulis plus Deo quàm ſibi placeat: pro eiſdemq; ſeſe torqueat. Prodeſt & ad hoc plurimùm diligens inquiſitio per quam omnia peccata ad memoriam reuocentur: inter memorandum enim diſplicere ſolent. Nam prorſus oblita, nec facta diligenti eorũ perſcrutatione nullatenus occurrentia, ſicut in ſeipſis pœnitentis menti non adſunt: ita neque in ſeipſis eiuſmodi diſplicentiam terminant. Suppletur autem hæc non actualis terminatio ad plenam eorum remiſſionem ex illa generali actualiq; diſplicentia, per quam pœnitens omnia ſua crimina tam memorata quàm non memorata deteſtatur: atque eiuſmodi vniuerſali triſtitia, nõ modò ꝓ ſuis peccatis quorũ reminiſcitur, ſed etiã quorũ nõ recordatur volũtariè ſeſe affligat, atq; Deo ſatiſfacere ſeipſum dolendo punit. Has denique propoſitiones in ſcriptis ſancti Thomæ ſparſas, in vnum congeſſimus, & ita ex ſententia Caietani explicauimus: vt lectori eas, veluti in tabella depictas, proponeremus. Qualis autem debeat eſſe contritionis dolor, in ſequenti tractatu explicabitur.

Caput quartum.

IMpœnitens is eſt, quem erratorum peccatorúmque ſuorum non pœnitet ita, quòd nõ reſipiſcit: id eſt non animaduertit ſe peccaſſe: vel ſi id reſciuerit, non tamen inde dolet. Hic eſt de quo ſanctus Iob inquit: Iob. 24. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbia. Super quo Grego. Gregorius ita diſſerit: Quiſquis delinquit & viuit, idcircò hunc diuina diſpẽſatio ĩ iniq̃tate tolerat, vt ab iniq̃tate cõpeſcat. Sed q̃ diutiꝰ toleratur, nec tamẽ ab iniquitate cõpeſcitur, munus quidẽ ſupernæ patientiæ percipit, ſed reatus ſui vĩculis ex ipſo ſe munere arctiꝰ aſtrĩgit. Nam quia accepta pœnitentiæ tempora diuertit ad culpam, diſtrictiùs in vltimis iudex impenſa augmenta miſericordiæ conuertit ad pœnam. Hinc nanque perpaulùm talis impœnitens in hunc modum expoſtulatur. Exiſtimas autem hoc ô homo omnis qui iudicas eos qui talia faciunt, quòd tu effugias iudicium Dei? an diuitias bonitatis eius, & pœnitẽtię, & longanimitatis contemnis? Ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tres gradus peccatorum in his

tribus

tribus verſibus ponit. Primum: vbi impunitatem ſibi peccator promittit. Hoc eſt quod ait: Exiſtimas autem hoc ô homo omnis qui iudicas eos qui talia faciunt, quòd tu effugis iudicium dei? Nequaquam euades ſupplicium: qua enim in re alterum iudicas, teipſum condẽnas. Multi autem ſtultè arbitrantur, & imprudenter dicunt: Etſi ego pecco cùm alios peccare prohibeo, mercedem ex hoc habeo. Verùm illud audiet: Medice, cura teipſum: primùm enim condemnationem in teipſum induxiſti. Secundus gradus eſt grauior, quòd peccator contẽnit donum Dei, peccas, ait, dum impunitatẽ tibi promittis. Scilicet velut is qui impunitatem ſcelerum ſibi præſumit, diuinæ iuſtitiæ maieſtatem diminuens: quod ad quandam peccatorum ſpeciem pertinet, quæ contra Spiritum ſanctum perpetrari computantur. Grauiùs, quia contẽnis bonum Dei. Hoc enim eſt quod ait: An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Super quo Ambroſius: Copioſa eſt bonitas Dei, quæ multa vel multis peccantibus multa bona miniſtrat, blandiens, vt ad pœnitentiam attrahat. Copioſa patientia quæ tot & tanta peccantes ſuſtinet: nec citò punit. Et hoc eſt longanimitatis: quia non ad horam eſt, ſed longa, per multa expectans tempora. Hæc cõtemnit qui non ſic vtitur ad pœnitentiã vt Deus intẽdit: ſed ad impunitatẽ vertit. Et profectò qui Dei bonitatem negligit, vel potiùs eius miſericordia abutitur, plerunq; in profundum peccatorũ venit: non ſolùm vt Dei iuſtitiam contemnat, ſed etiam de diuina miſericordia deſperans, omni immunditiæ, atq; turpitudini ſeſe tradat. Sic enim peruenitur ad tertium peccatorum gradum, quando peccator vitiorum ſomno obrutus, minimè cogitat expectari ſe à Deo ad pœnitentiam: cuius neglectu, cotidiè grauiora ſibi ſupplicia commereatur & coaceruet. Quẽ Paulus tertio loco acri increpatione vrget dicens: An ignoras ꝙ benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? Quòd ſi hæc malo tuo ignoras, & es rebellis diuino lumini, & dicẽs Deo, Recede à me, ſcientiam viarum tuarum nolo: reſipiſce obſecro & vel hoc vnum audi ac cogita, quòd ſecundùm duritiã tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicii dei: qui reddet vnicuiq; ſecundùm opera ſua. Super quo Oecumenius: Quùm enim quiſpiã neq; benignitate emolliri poteſt, neq; iram timet, quid eo durius eſſe poteſt? & cũ ait, theſaurizat, id eſt recondit: ſignificat quòd certiſſimò ſeruabitur, & quòd tibi cauſa ſis: nã tu tibi recondis & reponis Dei iram. Nè autem iram Dei audiens, affectum arbitreris, ſubdidit: & reuelationis iuſti iudicii. Vbi enim iuſtum eſt iudicium, ibi non eſt affectus. Nam tũc maximè iuſtum iudicium reuelatur, quando Deus reddit vnicuiq; iuxta opera ſua: ſcilicet & mala malis, & bona bonis. Deniq; impœnitens ad perſeuerantiam in malo duratur, ex animi electione: qua non ſolùm eſt affectus, ſed etiam intimè infectus. Inde fit malitię ptinax, & veniæ deſperans, ac denique prorſus impœnitens. Quod bifariàm cõtingere ſolet: vel quia homo impius & improbus

ex animo proponit ſe nunquam à peccando receſſurũ: & huiuſmodi impœnitẽtia eſt ſpecialè aduerſus Spiritũ ſanctũ peccatũ: cuius bonitatẽ negligit impœnitens. Alio modo dicitur impœnitens non ex propoſito ſe, quod accidit ei inconſideratò, perſeuerare in peccato vſque ad extremum halitum. Et hæc impœnitentia non eſt malitia per ſe pœnitentis, ſicut illa prior: ſed pœnitentiæ negatio concomitans, ſiue priuatio, & circunſtans peculiaria peccata. Puta cùm fornicator, aut auarus, aut quiſpiam alius, antequàm reſipiſcat, moritur. Et profectò quando eſt pura pœnitendi negatio, eſt ſimplex quoque circunſtantia. Puta ſi quis priuſquàm peruenerit tempus in quo tenetur peccati ſui pœnitêre, ſit repentina morte ſublatus. Eſt autem pœnitentiæ priuatio, ac perinde ſpeciale peccatum, quando quis vbi acceſſerit tempus in quo peccati ſui pœnitêre tenetur, pœnitere minimè curat, etſi non proponat ſe nunquàm pœniturum. Impœnitentia igitur negatiua, vtpote circũſtantia aggrauat peccatum: priuatiua addit omiſſionem: contraria addit ſpecialem maliciam atque grauiſſimam, quæ dicitur peccatũ in Spiritum ſanctũ. Sed de hoc alias exactiùs diſputandum eſt.

Tractatus de dolendi ratione piè ac ſalutariter pro peccatis.

Caput primum.

D*Olere eſt dolore affici, cruciatu tangi. Et vt Cicero in primo Tuſculanarum Quæſtionum definit, Dolor eſt motus aſper in corpore, à ſenſibus alienus: id eſt fuga perceptæ læſionis: cuius prima cauſa eſt, & ſine qua non fieret. Dolor eſt apprehenſio obiecti ſecunda, per quam ſic eſt diſconuenientiæ perceptio: ſiue quia lædit potentiam, corrumpendo organum naturali corruptione, vt corrũpatur tangendi organum: vel quia corrumpit virtutis ſenſitiuæ proportionẽ, hoc eſt temperamentum, quæ eſt diſpoſita ad ſuum ipſius vſum. Quod accidit quãdo excellens ſenſibile opponitur ſenſui, eumq́; corrũpit. Sic enim ſi quis directo aſpectu Solare corpus diu intueatur, excæcatur: ſic & vaſto tonitru ſurdeſcit. Vel quia percipit operationis ſuæ imperfectionem. Triſtatur enim animal ſi percipiat ſe non perfectè vel guſtare, vel videre, vel audire. Vel demũ quia obiectũ nõ eſt tale, quale ſecundũ naturã vel artem eſſe debet. Etenim animalia quoque bruta experimur vocum conſonantia delectari: diſſonantiã verò auerſari. Sic & rerum imaginibus aptè formatis oblectamur: & male diſpoſitis offendimur, etſi nulla inde vtilitas nullumue nocumentum ſit acceſſurum. Ex apprehenſione itaque obiecti ac diſconuenientis nocentiſque perceptione fit, vt appetitus perturbetur, illúdque fugiat: & perinde quandiu illud*

lud depellere nequit, manet ac dolet. Illa enim paſſio appetitum ipſum ſollicitans, atque inquietans, eſt ipſe dolor. Enimuerò ſi aſſimilis diſplicentia in appetitu intellectiuo facta ſit ex perceptione eorum, quæ nobis nolentibus accedunt, vel quia nocent, vel quia minimè congruunt, ſed diſſonant, triſtitia dicitur. Vnde Auguſtinus ſuper illud Pſalmi quadrageſimiſecundi: Vt quid triſtis es anima mea? & vt quid conturbas me? ita philoſophatur: Quæritur perſona loquens nunquid caro animæ loquitur, cùm caro ſine anima non loquatur. Proprium enim magis vt anima carnem alloquatur, quàm vt caro alloquatur animam. Sed quia non dixit, Quare triſtis es caro mea? ſi enim carnem alloqueretur, fortaſſe non diceret, quare triſtis es, ſed quare doles? Dolor enim animæ triſtitia dicitur, moleſtia verò quæ fit in corpore, dolor dici poteſt, triſtitia non poteſt. Sed ex dolore corporis plerunque anima cõtriſtatur: intereſt tamen quid doleat, & quid contriſtetur. Dolet enim caro, triſtis eſt anima: & aperta iſta vox eſt, Vt quid triſtis es anima mea? Non enim anima alloquitur carnem, quia non dixit, quare triſtis es caro mea? nec caro animam: quia abſurdum eſt vt inferior alloquatur ſuperiorem. Ergo intelligimus nos habere aliquid vbi imago Dei eſt: mentem ſcilicet, atque rationem. Ipſa mens inuocabat lucem Dei, & veritatem Dei: ipſa eſt qua capimus iuſtum & iniuſtum: ipſa eſt qua diſcernimus verũ à falſo: ipſa eſt quæ vocatur intellectus, quo intellectu carent beſtiæ: quem intellectum quiſquis in ſe negligit & poſtponit cæteris, & ita abiicit quaſi non habeat, audit ex Pſalmo: Nolite Pſal. 31. *eſſe ſicut equus & mulus, quibus nõ eſt intellectus. Intellectus ergo noſter, alloquitur animã noſtram. Iſta in tribulationibus marcida eſt, feſſa in angoribus, cõtracta in tentationibus, ægra in laboribus. Erigit eam mẽs cupiẽs veritatẽ, & dicit: Vt quid triſtis es anima mea? & quare cõturbas me? Hæc Auguſtinus. Enimuerò in ſacris literis, non perpetuò ſeruatur hæc differẽtia inter dolorẽ & triſtitiam, in quibus nõnũquã dolor tam intellectiuo, quã ſenſitiuo appetitui accommodatur. Nam cùm dolens Paulus & conuerſus ſpiritui dixit, Con*- Act. 16. *ſtat non carnem, ſed animam eius doluiſſe. Iam verò illud in primis notandum, dolendi verbum non poſſe Deo ipſi propriè conuenire: quoniam cùm ſit actus puriſſimus, nullo extrario affectu tãgi poteſt: & cùm ſit ipſa de per ſe delectatio, atq; ipſum gaudium per eſſentiam: idẽ eſt enim ei eſſe, & delectari, & gaudere: nec dolere poteſt, nec triſtari. Quòd ſi obiicias huic ſententiæ, multa diſplicere Deo, ac perinde ei dolere: non bene colligis. Licèt enim multa diſpliceant, quia ei non placent, quia ea fieri prohibet ac reprobat: ſed nullo inde dolore mouetur, nulla triſtitia tangitur. Ego, inquit, Deus, & nõ mutor. Nonne in libro Geneſ. Deo ipſi dolor* Geneſ. 6. *adſcribitur? dũ de eo narratur: Videns autem Deus quòd multa malitia hominũ eſſet in terra, & quòd cuncta cogitatio*

Auguſti. Pſal. 42.

Y cordis

*cordis intẽta eſſet ad malũ omni tẽpore,
pœnituit eũ quòd hominem feciſſet inter
ra: & præcauens in futurum, & tactus
dolore cordis intrinſecùs, Delebo, inquit
hominem quẽ creaui à facie terræ. Ad
ſcribũtur vtiq; Deo humanę affectiões,
ſed nullatenùs ꝓpriæ, ſed tranſlatæ: neq;
enĩ re vera in Deũ cadit pœnitentia. Eſt
Deo omnibus rebus tã fixa ſentẽtia, quã
certa ſcientia: nec aliquo cruciatur vt do
leat. Cur ei adſcribũtur? quia cõdeſcen
dit Spiritus sãctus humanę infirmitati,
dũ diuina myſteria ſtylo hominis homini
bus tradũtur, vt ea vtcũq; capere vale-
ant. Scriptura ergo vſitatis verbis &
humanis Tropis humanæ paruitati ſeſe
coaptãs, ſic loquitur, vt ex cognitis no-
bis, diuinitatis ſacramenta vel ex parte
cognoſcam⁹. Sicut itaq; ira dei nõ eſt in
eo animi perturbatio, ſed iudiciũ quod ir
rogatur peccatori: & cogitatio cordis
ei⁹ eſt mutãdarũ rerũ immutabilis ratio:
Sic pœnitere Deo, nullo modo ſignifi-
cat ipſum vel aliquã pœnã ſubire, vel a-
liquatenùs reſipiſcere, ſed eius immobile
decretũ puniendi hominem delendiq; to
tũ genus humanũ Diluuio: exceptis eis
per quos melior ꝓles ſuccreſceret, & per
alias atq; alias generationum ſucceßio-
nes ad Chriſti gratiã perueniretur. Sic
& præcauere dicitur & dolere, quòd
velut vade ſolicitus & anxius malis fu
turis reſtringendis intentus ſit, & ve-
lut penitißimè doleat: id eſt maximè no-
lit mortalium peccata exigere, vt ad eos
puniendos omnium ferè excidio abuta-
tur. Quin & alibi dolere Deum poſitũ
eſt pro eo quod eſt miſereri, id eſt homi-
num miſeriis ſubuenire: hoc eſt miſeros
à calamitatibus liberare. Vnde in deci-
mo Iudicũ capit. Filii, ait, Iſraël, ſeruie
rũt Dño Deo, qui doluit ſuper miſeriis
eorũ. Quin etiã vt alibi ſcripſim⁹, iuxta
ſecretiores intellectus omes hi affectus,
qui deo ἀνθρωποπαθῶς adſcribi ſolent, ap
poſitè valde adũbrãt futurũ quõdã tem
pus fuiſſe, in quo, is qui Deus foret,
in aſſumpta carne ex clementißima miſe
ricordia mœſtißimo dolore, vſq; ad piẽ
tißimarũ lachrymarũ effußionẽ tãgen-
dus eſſet. Id qđ expletũ eſſe cõſtat cũ vi
dẽs Ieſus ciuitatẽ Hieruſalem miſerri
mè deſolãdã, fleuit ſup illã: & quũ inſtã
te Paßione ſua cœpit triſtari, & tæde-
re, & mœſtus eſſe: nempe iã iã deletur⁹
legẽ veterem, ſacratißimo ſanguinis &
aquæ de latere pendentis in cruce effluẽ
tiũ profluuio, vt in ſemeptipſo nouũ cõ
deret hominem, qui ſecundùm deum
creatus eſt. Sed de Chriſti dolore atq;
triſtitia, vnum atque alterum caput
ſcripſimus, quæ ad, verbum triſtari, re-
mittimus.*

Caput ſecundum.

ET *profectò creaturarũ do
lor bifariàm conſiderari
poteſt: vel prout eſt paßio
quædam, quacunq; de cauſa
oriatur; patientem infeſtans & affli-
gens: vel prout probè vel improbè in-
fertur aut toleratur, ſiue fuerit ſponte
excitatus, ſiue aliunde illatus: & quidẽ
nunquam dolore affectus homo fuiſſet,
niſi peccaſſet. Quippe qui originalis iu-
ſtitiæ præſidio defendebatur, nè vel
morbo corrumperetur, nè vel lapide aut*

ferro

ferro vulneraretur, deiq; prouidentia p̃munitus ſeruatusq́;, nec nõ & propria ratione ſemper vigilans, perpetuò cuſtodiretur, nũquã in aliquid ſibi moleſtum quo doleret incideret. Sicut enĩ propter peccatũ homo morti fuit obnoxi⁹, ſic et laboribus atq; doloribus addictus: dicẽ-
Gen.3. *te Domino ad Viũ: In ſudore vultus tui veſcêris pane tuo. & ad Mulierem: In dolore paries filios. Et profectò cùm omnis dolor affligat & conterat naturam, parientem vehementiſſimè cruciat atque opprimit. Siquidem parientis dolorem eſſe acerrimum, tum eo conſtat, q̃ plerunque ſua nimietate parturientem ita degrauat, vt ei viribus defectæ pręſentaneam afferat mortem. Hinc illud*
Ioan.16. *Euangelicum: Mulier cùm parit triſtitiam habet, quia venit hora eius: ſcilicet in qua amittendæ vitæ diſcrimine laborat, tum quòd huic dolori velut grauiſſimo, acerrimi illi damnatorum cruciatus, quos apud inferos patiuntur, in ſa-*
Psal.47. *cris ſcripturis aſſimilantur. Vnde illud: Ibi dolores vt parturientibus. Quod incommodum proculdubio mulier euaſiſſet, ſi diuinis iuſſionibus obtemperans iuſtitiam coluiſſet. Præclarè Auguſtinus in decimoquarto de Diuina ciuitate libro: Sic tum temporis ad pariendum non doloris gemitus, ſed maturitatis impulſus, fœminea viſcera relaxaret: ſicut ad concipiendum non libidinis appetitus, ſed voluntarius vſus naturam vtriuſque coniungeret. Enimuerò ab eius maledicto exempta fuit Deipara Virgo, quæ, vt ait Iſaias, antequàm parturiret peperit, & antequàm partus adueniret peperit maſculum: hoc eſt antequàm difficultas p̃ũ etiã deſi cam interciperet. Peperit enim illa aſq; vlla difficultate: ideò antequàm dolor eueniret peperit maſculum. Non enim beata Virgo ante ipſum pariendi tempus filiũ edidit, ſed antequàm dolor qui ſolet parturiẽtes cruciare, eã attĩgeret, Saluatorẽ leuiter effudit. Vnde Septuaginta pro eo q̃d apud nos eſt partus, poſuerũt dolor: id iure ſuo. Siquidẽ* Lechẽ *hebraicũ, vtrũq; ſignificat, partũ ſcilicet & dolorẽ. Cõgruebat autẽ huic locõ ad dei Genitricẽ accõmodãdo hebraicã vocẽ, dolorẽ poti⁹ quã partũ interpretari. Pulchrè autẽ Gregorius Nyſſen⁹: Apparens enim Dñs vt homo, nõ per omnia legib⁹ humanę naturę ſubiicitur. Nã q̃ ex muliere naſcitur, humilitatem redolet: virginitas verò, quæ ortui deſeruiuit oſtendit q̃ tranſcenderet hominem. Huius ergo iucunda portatio, ortus ĩmaculatus, part⁹ facilis, abſq; corruptela natiuitas, nec ex luxu incipiens nec doloribus edita: quia nãq; ea quæ naturæ noſtræ mortem per culpam inſeruit damnata eſt vt cũ doloribus pareret, oportebat parentem vitę cũ gaudio perficere. Hęc ille. Sed & tu expende verũ iuxta myſticos intellectus poſſit illud Iſaię ad Virginẽ Deiparã cõmodè*
referri: Lętabitur deſerta & inuia, & Isai.
exultabit ſolitudo, & florebit quaſi liliũ: germinans germinabit, & exultabit lætabũda & gaudẽs. Cæterũ ſicut vidimus illius filiũ virum dolorũ, & ſcientem infirmitatem, vt languores noſtros ipſe tolleret & labores noſtros ipſe portaret: ita & matris animam doloris gladius pertrãſiuit, vt eſſet cõſors pręaliis

um quàm id ipſum quòd anteà peccaueris. Scilicet quia illud fuit paſſionis, hoc pertinaciæ: illud ignorantiæ, hoc malitiæ: illud temeritatis, hoc deſperationis. Pertinet & ea indolentia, ad contemptum eius qui tam ſuo quàm ore ſui præcurſoris indeſinenter clamat: Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum. Quòd ſi velis ſcire quis motus animi ſit iſte dolor, quem dicimus cõtritionem, Animaduerte quantum ad propoſitum attinet tria quædam, quæ in nobis ipſis experimur, odium, triſtitiã & dolorem. Et quidem odium eſt actus voluntatis quo nolumus, ac deteſtamur aliquid vel eſſe, vel fuiſſe, vel futurum eſſe. Triſtitia eſt ægritudo animi de his quæ nobis nolentibus accidunt. Eſtq; paſſio naturali curſu odium ſubſequẽs. Dolor autem eſt inquietudo ſenſus de aliquo affligente atq; vexante effectus: cuius indices ſunt defluentes per ora lachrymæ. Hæc autem omnia inter ſe differre eò conſtat apertè quòd nos experimur ineſſe nobis ſenſilem dolorem abſq; vlla lachrymarum effuſione. Ineſt & aliquando voluntati triſtitia: ſed nullus in ſenſitiuo appetitu dolor eſſe percipitur. Id quod multis de cauſis euenire ſolet: vel quòd ſuperioris appetitus triſtitia non eſt tanta quæ ſeſe ad inferiorem diffundat: vel quia hic inferior aliô ſit à Deo diſtractus, vt ſuperior perturbationem minùs percipiat: vel quòd ſit adeò durus inferior appetitus, vt ſuperioris affectum minimè moleſtet: vel quia demum voluntatis triſtitia eſt adeò exigua, præſertim ſi aliquod interſit impedimentum, vt inferiorem appetitum tangere nõ valeat. Hoc & in odio euenire contingit, vt adeò ſit exile, vt triſtitiam in voluntate gignere nequeat. Iam verò ex his inferre conuenit aliqua dicta. Quorum ſit primum: Contritio non eſt ipſa lachrymarũ pro peccatis diluendis effuſio. Quia eſt effectus quidam ſuapte natura triſtitiam, doloremq; conſequens. Imò interdum lachrymæ ſunt fallaces veræ contritionis indices: vt eſt in quibuſdã incõtinẽtibus deprehendere, qui non conſtãti voto peccata odio habẽt. Etenim haud certo mẽtis decreto, ſed perturbatione quadam commoti dolent, & illachrymantur ad tempus, & breui quæ dolent repetunt. Hæc autem non tollunt quin nonnulli incontinentes contritorias lachrymas nõ rarò effundunt. Sit ſecundum dictum. Dolor ſenſilis non eſt ipſa contritio. Quia eſt diſplicentiæ peccati effectus, idq; media triſtitia: qui & interdũ inuenitur ille maior in eo qui aut non ſit contritus, aut minùs cõtritus. Talis erat dolor in illis, qui apud Iſaiam dixerunt: Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti? humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? Sed quia eiuſmodi ieiunium & animarum humiliatio vera contritione carebat, eis à Dño reſponſum eſt: Ecce in die ieiunii veſtri inuenitur volũtas vrã: id eſt cor incontritũ & re vera intrinſecus elatũ, atq; latẽti ſuperbia tumens. Tertiũ dictũ. Cõtritio nõ eſt ipſa volũtatis triſtitia. Hęc eñ eſt quidã ipſius odii in volũtate effect⁹, atq; paſſio ipſũ naturaliter cõſequẽs: niſi aliũde eiuſmodi triſtitiæ ꝓceſſio præpediatur: ſicut in beatis cõtingit qui cũ ſũmo odio peccata ha-

ta ha-

ta habeant, nihil cõtriſtantur. Tantum enim eſt eorum gaudium vt non modò contrariam, ſed etiam quamlibet triſtitiam ab eis excludat. Præterea cùm ea triſtitia per ſe ſola nec ſit laudabilis nec meritoria, cùm ſit naturalis quædam voluntatis affectio: paſſionibus & habitibus nihil promeremur, neque commeremur, ſed actionibus aut probis aut improbis: liquet eam non eſſe ipſam contritionem, quæ actio quædam eſt voluntatis, tum laudabilis, tum meritoria. Siquidem per integram peccatorum diſplicentiam deo reconciliamur. Sit quartum deniq; dictum. Contritio eſt actus voluntatis liberè elicitus quo pœnitens peccata deteſtatur. Quis actus? Proculdubio peccati odium: id eſt, deteſtatio & diſplicentia aduerſus peccatum liberè concepta, qua contritus, nullum peccatum eſſe vult: vt ſit conteri de peccatis perpetratis, nolle ea perpetraſſe: vel nolle ea fuiſſe: vel nolle offendiſſe Deum. Vt ſit contritio potius actus complexus quàm incomplexus: quia diſplicentia peccati incomplexa, plus habet paſſionis quàm libertatis: & econtrariò. Diſplicentia complexa, plus multò habet libertatis, quàm paſſionis: imò eſt actio prorſus libera à voluntate elicita. Sicut enim velle bonum ſi ſit laudabile meritorium, eſt actio liberè producta: ita & nolle malum ſi ſit laudabile ac meritorium, eſt actio libera. Denique ſicut amare aliquid eſt, ei velle bonum: ita odiſſe aliquid eſt, velle illi malum. Sicut ergo amare virtutes, eſt velle eas eſſe: ita odiſſe vitia, eſt velle ea non eſſe. Odio igitur habere peccata præterita eſt, nolle ea fuiſſe: ſiue id fiat deſyderio quodam abſoluto, ſiue nolitione conditionata. Nam & hæc nata eſt triſtitiam efficere, etiam ſi conditio ſit impoſſibilis. Vel diſplicentia eorum tam conditionata quàm abſoluta: qua ſimpliciter verè contrito omnia peccata, tam præterita quàm præſentia, quàm denique futura diſplicent. Eaq; vel in ſeipſis vel eorum effectus, ſcilicet auerſionem à Deo, ipſius offenſam pœnarum pro eis debitarum reatum aboleri deſiderat & conatur. Denique contritio peccatorum ſpiritualis, eſſentialiter eſt efficax peccati ad ipſum abolendum nolitio, ac deteſtatio eius atque diſplicentia: ſiue ex ea ſequatur triſtitia, & dolor, & lachrymæ, ſiue non inde iſta exoriantur. Quòd ſi hæc ita ſeſe habent, meritò quiſquam quærat quomodò non ſit eis contraria contritionis definitio: qua à magiſtris dicitur, eam eſſe voluntarium dolorem de peccatis, cum propoſito ea confitendi, proq; eis ſatiſfaciendi. Huic reſpondet Sanctus Thomas, Contritionem quidem ſuapte eſſentia eſſe peccatorum diſplicentiam: denominari tamen dolorem ſicut cauſa plerunq; effectus ſui nomen ſortitur. Dolor autem, tam mentalis, id eſt, triſtitia, quàm ſenſibilis, & quæ eum ſequuntur gemitus & lachrymæ, veræ contritionis ſunt effectus. Cur ergo ponitur in contritionis definitione? Quoniã licèt per ſe ac in ſe nõ ſit volũtarius, ac perinde nec laudabilis & meritorius, nec vituperabilis: attamẽ in ſui cauſa & volũtarius & laudabilis, & meritorius eſt.

X ii

eſt. Quoniam ex libera pœnitentis voluntate procedit: peccator enim conſyderans ſe deum perperàm offendiſſe, dignumq́ eſſe qui pro ſuis peccatis omnino puniatur, elicit voluntatem qua vult in ſe bene punire quod male commiſit. Deinde voluntariè quoq́ elicit actum deteſtationis, quo diſplicet ſibi peccatum commiſſum. Hanc ſequitur naturaliter de eodē triſtitia: hāc ſenſibilis dolor, & gemitus, & lachrymæ: quæ omnia tam ſponte excitata, quàm accepta, quàm tolerata, ſunt vtiq́ pia, ſancta, & pœnitentibus ſalutaria. Si tamen ea peccatorum diſplicentia concepta ſit propter deum, ſuper omnia dilectum. Nanq́ nō ea ſufficit ad peccatorum remiſſionem obtinendam: ſi peccata pœnitenti duntaxat propter pœnarum timorem, vel eorum turpitudinem, vel contractam ex eis apud homines infamiam, quantumuis vehementer diſplicceant. Oportet enim eiuſmodi peccatorum diſplicentiam, tum ex iuſtitiæ æquitatæ, tum ex amicitiæ affectu exhiberi, vt deo placeat, eumq́ peccatori conciliet. Id quod & ad ciuilem inter homines reconciliationem exigitur. Nemo enim in priſtinam pacem cum eo qui iniuriam intulerit redit, niſi nouerit eum amica mente ab illo veniam petere. Hinc Auguſtinus: Sine charitate quomodò quis veram cordis contritionem habere poterit? quomodò ergo delictorum remiſſionem? Quæ ſi non ſunt dimiſſa, quomodò non omnia prorſus ad pœnam exigenda ſunt? Quaſi dicat: Nullo modo. Quare neceſſe eſt vt vera ſit contritio, deoq́ accepta, eſſe charitate formatam: hoc eſt, propter Deum ſuper omnia dilectum elicitam, vel ei coniunctam. Iam quærat aliquis vtrùm charitas & pœnitētia diſtinctæ ſint virtutes? Sūt vtiq́. Quoniam charitate fertur homo in Deum abſolutè, qua eſt ſummum bonum, ſed dignos beatificans. Pœnitentia verò fertur in eundem quatenus placabilis eſt ac peccatori reconciliabilis. Ex quo fit vt quemadmodùm hæ duæ virtutes inuicem diſtinguuntur: ita & earum actus diſtinguantur. Nanque à virtutibus diuerſis, diuerſæ producuntur actiones. Etenim charitatis actio eſt diligere Deum ſuper omnia. Pœnitentiæ autem, odio habere omne peccatum ſupra omne odibile propter deum. Quòd ſi vlteriùs quærere pergas, Vtrū harū virtutū actus ſimul cōueniant, an alter alterum præcedat ad peccatorem iuſtificandum? Reſponſionem accipe ex aliorum authorum, præcipuè ſancti Thomæ, dictis. Quorum primum ſit: Aliquando charitatis motus pœnitentiæ motum antecedit: vt cùm Deus prædicatur, cogitaturq́ ſumma Dei maieſtas, atque perfectiſſima & æterna ſublimitas: quibus conſyderatis in animis piè affectis prono quodam conſequio, intimus illius amor exoritur. iuxta illud Pſalmi: Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardeſcet ignis. Secundum dictum. Interdum motus pœnitentiæ, charitatis motum præcedit. Quando videlicet Deus ipſe prædicatur & conſyderatur iuſtus peccatorum vltor, iudexq́ ſeuerus: ſimulq́

ſimulq́; miſericors, & qui parcit peccatoribus propter pœnitentiam. His enim conſideratis peccator homo Dei timorem atque obtinendæ veniæ fiduciam concipit: ac ſubinde peccata ſua tanquàm Dei offenſiua, ſibiq́; noxia, deteſtatur, & ad Deum totus conuertitur. Sicut ille qui dicebat: Conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina. Sit tertium dictum. Charitatis motus, pœnitentiæ motum communiter præcedit. Quia ſicut ſe habet amor ad odium: ita ſe habet ad pœnitentiam charitas. Amor autem communi rerum curſu odium antecedit. Ideo enim aliquid odimus, quoniam aliud amamus: ſicut illud fugim⁹, quia hoc proſequimur. Sic & motus charitatis quo Deo & nobis bene volumus, præcedit pœnitentiæ motum quo nobis eſſe male nolumus. Quòd ergo dicitur ſimpliciter charitatem præcedere contritionem, de communi euentu eſt accipiendum: iuxta quem morales regulę tradi ſolent. Nam cùm morales actiones nequâquam neceſſariò exerceantur, ſed de libero arbitrio procedant, non eſt danda aliqua certa radix, ex qua pœnitentis actus ſemper procedat: ſed ex qua vt plurimùm contingat. Quòd ſi vlteriùs quæras, ſi quãdo dilectio dei ſuper omnia, & peccati diſplicentia ſuper omne odibile peccati ad deletionem ſimul concurrant, ratione cuius illud deleatur? Reſpondemus quòd propter pœnitentiæ actum. Vnde id conſtat? Nempe ex ſacris ſcripturis: dicente Domino in Ezechiêle, Quacunque hora peccator ingemuerit, & conuerſus fuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. Et Dominus: Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum. Omnes item eccleſiaſtici doctores teſtantur, ſacramentum pœnitentiæ, cuius potiſſima pars eſt habita de peccatis commiſſis contritio, ad delenda peccata inſtitutum eſſe. Hinc & pœnitentia prædicatur ſecunda tabula poſt naufragium: quia gratia per baptiſmum obtenta, & poſteà per peccatum amiſſa, per veram de eis contritionem recuperatur, iterumq́; homo in ſalutis portu cõſtituitur. Quòd ſi actus charitatis pœnitentię actũ prȩceſſerit, peccatũ remittitur propter peccati diſplicẽtiã ac dei dilectionẽ implicitã. Qui enim actu diligit Deum ſuper omnia, certè vel voto deteſtatur quicquid deo cõtrariũ ſit. Quòd ſi econtrariò pœnitentiæ motus charitatis motum præcedat, remittitur quoq́; peccatum. Ac nondum eſt charitas ſine qua peccata non remittuntur. Imò iam eſt ibi habitus charitatis à Deo infuſus, actusq́; eius implicitus: quia qui deteſtatur peccatum ſupra omne odibile, iam ſuper omnia Deum diligit. Et profectò nolle offendere omnino Deum, vera dei dilectio eſt: actusq́; virtutis pœnitentiæ, & ab ea ex charitatis inclinatione productus. Et quemadmodùm eodem actu tum medium tum finem homo velle poteſt: ita & eodem actu peccatum deteſtari, & Deum diligere valet. Hic denique actus eſt perfecta peccatorum diſplicentia: quam cordis contritionem ſcriptura ſacra vo-

cat, & per quã omnia peccata tollũtur.

Caput ſecundum.

ILlud prætereà ſimiliter tractandum, attritionem eſſe imperfectam diſplicentiam de peccato: contritionem verò perfectam. Quod ita declarat Sanctus Thomas: Attritio, ait, non dicit acceſſum ad perfectam contritionem. Vnde in corporalibus dicuntur attrita quæ aliquomodo ſunt minuta, ſed non perfectè: ſed contritio dicitur quando omnes partes tritæ ſunt ſimul, per diuiſionem ad minima: & ideo ſignificat attritio in ſpiritualibus quandam diſplicentiam de peccatis commiſſis, ſed non perfectam: contritio autem perfectam. Hæc ille. Quòd ſi vlteriùs quæras quæ ſit illa attritionis imperfectio? nonnulli dicunt eſſe diſplicentiam vnius peccati cum alterius complacentia: vel certè abſque alterius diſplicentia. Talis autem attritio, nõ poteſt ſic manens fieri contritio, quę eſt omnium peccatorum deteſtatio: niſi fortè quis dolet de altero peccato, factáque diligenti conſcientiæ diſcuſſione, licèt non ſufficienti in alterius latẽtis peccati notitiam non peruenit: tunc ille ex attrito fiet contritus ſacramenti virtute. Siquidem ſacramenta per ſe iuſtificant, vbi infundendæ gratiæ actualem contrariæ voluntatis obicem non inueniunt. Alii dicunt attritionem eſſe diſplicentiam omnium peccatorum remiſſam. Sed obſtat eis, quòd ſicut quælibet deliberata contra dei præcepta complacentia ſufficit ad peccatum mortale: ita quælibet peccatorum diſplicentia propter deum appoſitis cunctis debitis circũſtantiis ſufficit ad recuperãdam gratiam: cùm pronior ſit Deus ad ſaluandum quã ad cõdemnãdum. Eſt autem verum intenſiorẽ exigi ad liberandum peccatorem non ſolùm à culpa, ſed etiam ab omni pœnarũ reatu. Alii dicunt attritionis imperfectionẽ eo conſtare quòd per certũ aliquod tẽpus continuò ſeruata non ſit. Verùm ſi alioqui ea diſplicentia eſt perfecta, cur expectet vlteriùs Deus vt gratiam infundat: cùm natura in primo inſtanti in quo materia eſt ſufficienter diſpoſita ei formam inducat? Quæ igitur eſt ea imperfectio? Duplex eſſe poteſt. Vel quia non eſt peccati deteſtatio propter Deum: vel ſi ſit propter deum, habet cõiunctam aliquam malam circunſtantiã. Vtrouis horum modorum eiuſmodi peccati diſplicentia eſt attritio: id eſt, imperfecta & inſufficiens diſpoſitio ad gratiam percipiendam. Contritio autẽ quæ eſt deteſtatio omnium peccatorum propter Deum ſummè dilectum, eſt diſpoſitio perfecta & ſufficiens ad gratiam habendam. Ita quòd licèt non ex natura rei, ex lege tamen ordinata in quocunque inſtanti peccator eſt verè & ſufficienter contritus, infunditur ei diuinitùs gratia. Quin & tenet ſanctus Thomas, quòd cùm excluſio culpæ & infuſio gratiæ fiant in eodem inſtanti, & ex parte ſubiecti: priùs natura excludatur culpa quàm infundatur gratia. Tamen ex parte Dei gratificantis, priùs natura gratia infunditur quàm culpa excludatur. Sed hoc quid ad rem?

Non

Non quidem parùm. Nam cùm contritio per quam remittuntur peccata ſit actus elicitus à virtute pœnitentię cum gratia infuſæ, attritio quæ eſt actus elicitus abſq; gratia & virtute pœnitentiæ infuſæ, non poteſt fieri contritio: cũ ſit altera tantùm producibilis à virtute naturali, altera à ſupernaturali: & altera abſque charitatis forma, altera per charitatẽ formata. Quòd ſi dicas, cùm eadem materia priùs informis, poſteà forma ei induta maneat eadem, cur ſimiliter eadem peccatorum diſplicentia anteà informis non poteſt pœnitentiæ virtute ſimul & charitate formari, vt ex attritiõe fiat cõtritio? Quia, vt ait. S. Thomas. 2. quæſt. ad decimamſeptimã.
Thom. *diſtinctionem quarti libri Sentẽtiarum, Materiæ eſſentia non habet originem à forma: ſicut actus habet originem ab habitu quo formatur. Vnde non eſt incõueniens materiam informari aliqua forma de nouo, qua priùs non informabatur. Sed hoc de actu eſt impoſſibile. Sicut impoſſibile eſt quòd aliquid idem numero & oriatur à principio, à quo priùs non oriebatur. Quia res ſemel tantùm in eſſe procedit. At Caietanus putat, odium peccatorum propter Deum ſummè dilectum non eſſe diſpoſitionem immediatam ad habendam dei gratiam. Nam cùm quiſque poſſit hanc perfectã peccatorum diſplicẽtiam in ſe experiri, experimẽto ſciret eſſe ſe in Dei gratia. Cui refragatur Salomon, dicens: Sunt iuſti, & opera eorum in manu Dei: & tamen nemo nouit vtrùm ſit dignus amore, vel odio. Reſpondetur eſſe ita, ꝙ nemo nouit euidenter an habeat gratiam pœnitentiæ: quia nemo nouit forſitan euidenter vtrùm habeat perfectam illam peccatorum diſplicentiam nécne. Nam quamuis illam habeat non eſt ſibi euidens ſe nihil omittere eorum quæ ad perfectã contritionẽ requiruntur. Sicut ſcriptũ eſt: Delicta quis itelligit? Etenĩ in multis delinquim⁹ omnes. Satis eſt q̃ inde maximam obtinet probabilitatẽ ſe eſſe ſufficienter diſpoſitum ad diuinam gratiã abſq; vlla temporis mora habendam: et ſi clarè id non videat, ſed optimis argumẽtis cõiectet eſſe ſe Deo gratum: id quod ſufficit ad vitam chriſtianam tũ diligẽti ſtudio, tum mente tranquilla peragẽdam. Alii aliter hunc nodum ſoluerint: nobis hæc ſolutio nunc placuit.*

Caput tertium.

IAm verò cùm contritionis ratio in ſe concludat diſplicentiam cunctorum peccatorum à pœnitente perpetratorum, re vera conſtat neminem de vno quodam peccato mortifero plenè conteri: niſi ſimul alia de quibus non eſt contritus penitus deteſtetur. Etenim ſicut nemo poteſt deo ſimul eſſe amicus & inimicus: ita nõ poteſt eſſe plenè accepta vnius lethalis peccati deteſtatio ſine alterius diſplicentia. Hinc Auguſtinus: Sunt plures quos pœnitet pec- Auguſt.
caſſe, ſed tamen omnino reſeruantes ſibi quædam in quibus delectentur: non animaduertentes Dominum ſimul mutum Matth. 12
& ſurdum à dæmonio liberaſſe. Per hoc docet nos nunquam niſi de omnibus ſanari. Si enim vellet peccata ex parte reſeruanti habentem ſeptem dæmonia, perficere potuiſſet ſex expulſis: expulit au-

Marc.5. *tem ſeptem, vt omnia crimina ſimul eiicienda doceret. Legionem verò dæmonũ ab alio eiiciens, nullum reliquit de omnibus qui liberatum poſſideret. Oſtendens quòd ſi etiam peccata ſint mille, oportet de omnibus pœnitere. Nunquã aliquem ſanauit Dominus, quem non omnino liberauit. Totum enim hominem ſanauit in ſabbatho: quia & corpus ab omni infirmitate, & animam ab omni contagione: indicans pœnitentem oportére ſimul dolere de omni crimine. Scio enim Dominum inimicum eſſe omni criminoſo. Quomodò ergo qui crimen reſeruat, de alio reciperet veniam? Sic enim ſine amore Dei conſequeretur veniam, ſine quo nemo vnquam inuenit gratiam. Hoſtis enim Dei eſt dum offendit perſeueranter. Quædam enim impietas infidelitatis eſt ab illo qui iuſtus eſt. Et in iuſtitia eſt dimidiam ſperare veniam. Quia inde, vt ait ſanctus Tho-*

Thom. *mas, ſequeretur, quòd vel Deus non ſciret omnia peccata: vel non omnia horreret: vel non omnia remittere poſſet. Iam verò quęras vtrùm ſit neceſſe pœnitentem dolere ſimul de cunctis peccatis à ſe perpetratis: an ſeorſum de ſingulis: an ſpeciatim de aliis atque aliis? Hanc quæſtionem ſubiectis propoſitionibus abſoluere placuit. Quarum ſit Prima: Ad obtinendam culpæ ac æternæ pœnæ remiſſionem, ſatis eſt pœnitenti generalis quædam & indiſtincta vniuerſarum criminum ſuorum contritio. Id quod vnius rationis compendio facilè declaratur. Etenim ſi ad veniam obtinendam particularis de quolibet indiuiduo peccato requireretur dolor, inde fieret vt aliquis in quodam certo ac determinato tèpore peccatorum ſuorum remiſſionem acquirere minimè valeret. Quoniam ad multa peccata particulatim memoranda cogitandáque, aliquanto tempore homo indiget: ac perinde ad dolendum de eiſdem tantundem temporis opùs: nequiret aliquis peccator multis criminibus implicitus quolibet temporis ſpatio, quantumuis breuiſſimo, de illis omnibus conteri. Id quod alienum eſt à communi ſapientum ſententia. Omnes enim theologi tradunt, quemlibet peccatorem facto ſuper eum repentè Spiritus ſancti ſono, poſſe repentè ad veram pœnitentiam velociter excitari: & in qualibet temporaria morula exactè de omnibus ſuis peccatis conteri. Hoc eſt enim Domini decretum apud Ezechièlem, dicentis: Iuſtitia iuſti non liberabit eum in quacunque die peccauerit: & impietas impii non nocebit ei in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua. In hoc vtique loco dies non ponitur pro certo determinatóque vigintiquatuor horarum ſpatio. Liquet enim plerunque haud eſſe opùs tanto tempore ad peccatorum contritionem acquirendam. Sed ponitur pro qualibet temporis morula, quantumuis minutula, etiã momentanea. Siquidẽ tã voluntatis quã intellectus actio in momẽto elici poteſt. Conſtat & idem de latrone in cruce, & de apoſtolo Paulo, atq; aliis nõ paucis, qui breuiſſimo tẽporis intercedẽte curriculo, plenè à peccatis conuerſi ſunt ad eũ: déque ipſi perfectè fuère cõtriti. Secũda propoſitio. Nõ exigitur ſingulis ſecundùm eorũ numerum diſtinctis*

ctis mortalibus peccatis, totidem ſingu-
lares contritiones redderc, vt pœniten-
tes à culpa & pœna temporali eis debi
ta liberētur. Tum quia ſicut ille vnica
enumeratione tria ſimul furta confiteri
poteſt: ſic & vnica reſtitutione pro il-
lis ſatiſfacere: ita & vna diſplicentia
poteſt de eiuſdem ſimul conteri. Tum
quia in hiſce rebus potiùs eſt expendē-
da earum perfectio quā numerus. Po-
teſt enim vna concepta de peccatis di-
ſplicentia eſſe adeò perfecta, vt æquiua
leat pluribus non æquè perfectis: quem
admodū vnus aure⁹ nūm⁹ multis argē-
teis valore pſtat. Tertia Propoſitio. Vt
contritio peccatorum ſit ſalutaris de-
bet intendi ac terminari ad omnia ſingu
laq́; peccata à pœnitente commiſſa, actu
vel voto, atq; deteſtatione omniū ac ſin
gulorum explicita, vel implicita. Quia
vt ſuperiùs attigimus, aliquod lethale
peccatum abſq; alio remitti, & chari-
tati repugnat, & impium eſt dimidiam
à Deo ſperare veniam. Quarta Pro-
poſitio. Et qui multis criminibus eſt im
plicatus, paulatimq́; modò hoc modò il-
lo reprobato ad iuſtitiam fidei colendā
conuertitur, vt tandem iuſtificetur, ſuf
ficiunt particulares illarum deteſtati-
ones, quas vocāt attritiones: ſi per eas
demum perueniat ad vnam generalem
perfectam de omnibus diſplicentiam, de
bitiſq; circunſtantiis conueſtitam: quę
vera abſolutaq́; contritio nuncupatur.
Hoc contingere ſolet magnis diutur-
niſq; peccatoribus. Eſt enim conditio-
nis humanæ, ab imperfecto ad perfectū
ſenſim gradatimq́; promoueri. Talibus
per Prophetā pręcipitur: Cōuertimini
ſicut in profundum receſſeratis. Ex his
ſunt pleriq; qui ſacramentorum effica-
cia ex attritis fiunt contriti. Quinta
Propoſitio. Qui ſemel generali illa di-
ſplicentia de omnibus peccatis ſuis con-
tritus fuerit, non tenetur de eiſdem ſpe-
ciatim conteri, vſque ad confitendi ea
tempus: tunc enim ſicut ea diſtinctè con
fitetur, diſtinctè debent ei diſplicere. Cō
feſſio enim peccatorum nè ſit ficta, de-
bet eſſe eorum diſplicentia adornata.
Nanque eſſet ficta, ſi pœnitens præten-
dat actu ſibi diſplicere peccata: quæ tūc
actualiter ei non diſplicent. Eſto tunc tē
poris eidem minimè placeāt. Sexta Pro
poſitio. Si quis confeſſionis tempore ha
beat generalem de omnibus ſuis pecca-
tis diſplicentiam perfectam, & ex illis
inſtinctu ſacerdoti vel tria furta vel du
as fornicatiōes ſimul manifeſtat, nō te-
netur neceſſariò ſuper quamlibet earum
fornicationum reflecti, neq; ſingulatim
vnamquanque earum deteſtari. Puta di
cendo, de te doleo, & de te doleo: quia
de eis virtute particulatim dolet, quan-
do ex illa actuali diſplicentia, etſi cō-
muni, eaſdem ſacerdoti diſtinctè confite
tur. Quoniam quælibet eiuſmodi parti
cularis cuiuſlibet culpę confeſſio, in ſe
virtualiter, vt aiunt, particularē ipſius
dolorē implicitum continet. Hoc enim
ipſo quod equidem ex eiuſmodi generali
diſplicentia volo Dei miniſtro pecca-
tum hoc confiteri, quò à Deo veniam im
petrem, & gratiam illius promerear: in
particulari ſaltem implicitè illud dete-
ſtor. Eago poſtquam aliquis ſemel de
omnibus ſuis peccatis doluit, ſatis eſt ad
ſalutem ſi ex eo dolore motus de ſingu-
lis

lis diuiſim vel coniunctim in particulari à Deo veniam petat. Nec hæc propoſitio proximę ſuperiori repugnat. Quia illa intelligitur de illa vniuerſali diſplicentia quæ nec actu virtute confeſſionẽ attingit: hæc verò de illa quæ actu vel virtute cum particulari peccatorum confeſſione coniuncta eſt. Septima Propoſitio. Ad plenam remiſſionem peccatorum, quantum ad culpam & ſimul quãtum ad omnem pœnam pro eis debitam redimendam, requiritur formalis ſingulorum peccatorum deteſtatio: id eſt q̃d ad ſingula eorũ ſiue ſingulatim, ſiue ſpeciatim obiecta, actualis diſplicentia terminetur. Quoniam de communi curſu non fit peccatorum remiſſio quantũ ad culpam & omnẽ pœnam: niſi homo quãtum in ſe eſt, ſingula peccata mortalia diſtinctè auerſetur: ita quòd ſicut in ſingulis plus ſibi indulſit quã Deo: ita & pro ſingulis plus Deo quàm ſibi placeat: pro eiſdemq́; ſeſe torqueat. Prodeſt & ad hoc plurimùm diligens inquiſitio per quam omnia peccata ad memoriam reuocentur: inter memorandum enim diſplicere ſolent. Nam prorſus oblita, nec facta diligenti eorũ perſcrutatione nullatenùs occurrentia, ſicut in ſeipſis pœnitentis menti non adſunt: ita neque in ſeipſis eiuſmodi diſplicentiam terminaut. Suppletur autem hæc non actualis terminatio ad plenam eorum remiſſionem ex illa generali actualiq́; diſplicentia, per quam pœnitens omnia ſua crimina tam memorata quàm non memorata deteſtatur: atque eiuſmodi vniuerſali triſtitia, nõ modò ꝓ ſuis peccatis quorũ reminiſcitur, ſed etiã quorũ nõ recordatur voluntariè ſeſe affligat, atq; Deo ſatiſfacere ſeipſum dolendo punit. Has denique propoſitiones in ſcriptis ſancti Thomæ ſparſas, in vnum congeſſimus, & ita ex ſententia Caietani explicauimus: vt lectori eas, veluti in tabella depictas, proponeremus. Qualis autem debeat eſſe contritionis dolor, in ſequenti tractatu explicabitur.

Caput quartum.

IMpœnitens is eſt, quem erratorum peccatorúmque ſuorum non pœnitet ita, quòd nõ reſipiſcit: id eſt non animaduertit ſe peccaſſe: vel ſi id reſciuerit, non tamen inde dolet. Hic eſt de quo ſanctus Iob inquit: Iob. 24.
Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbia. Super quo Grego.
Gregorius ita diſſerit: Quiſquis delinquit & viuit, idcircò hunc diuina diſpẽſatio ĩ iniqtate tolerat, vt ab iniqtate cõpeſcat. Sed q diuti⁹ toleratur, nec tamẽ ab iniquitate cõpeſcitur, munus quidẽ ſupernæ patientiæ percipit, ſed reatus ſui vĩculis ex ipſo ſe munere arcti⁹ aſtrĩgit. Nam quia accepta pœnitentiæ tempora diuertit ad culpam, diſtrictiùs in vltimis iudex impenſa augmenta miſericordiæ conuertit ad pœnam. Hinc nanque perpaulùm talis impœnitens in hunc modum expoſtulatur. Exiſtimas autem hoc ô homo omnis qui iudicas eos qui talia faciunt, quòd tu effugias iudicium Dei? an diuitias bonitatis eius, & pœnitẽtię, & longanimitatis contemnis? Ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tres gradus peccatorum in his

tribus

tribus verſibus ponit. Primum: vbi impunitatem ſibi peccator promittit. Hoc eſt quod ait: Exiſtimas autem hoc ô homo omnis qui iudicas eos qui talia faciunt, quòd tu effugis iudicium dei? Nequáquam euades ſupplicium: qua enim in re alterum iudicas, teipſum condẽnas. Multi autem ſtultè arbitrantur, & imprudenter dicunt: Etſi ego pecco cùm alios peccare prohibeo, mercedem ex hoc habeo. Verùm illud audiet: Medice, cura teipſum: primùm enim condemnationem in teipſum induxiſti. Secundus gradus eſt grauior, quòd peccator contẽnit donum Dei, peccas, ait, dum impunitatẽ tibi promittis. Scilicet velut is qui impunitatem ſcelerum ſibi præſumit, diuinæ iuſtitiæ maieſtatem diminuens: quod ad quandam peccatorum ſpeciem pertinet, quæ contra Spiritum ſanctum perpetrari computantur. Grauiùs, quia contẽnis bonum Dei. Hoc enim eſt quod ait: An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Super quo Ambroſius: Copioſa eſt bonitas Dei, quæ multa vel multis peccantibus multa bona miniſtrat, blandiens, vt ad pœnitentiam attrahat. Copioſa patientia quæ tot & tanta peccantes ſuſtinet: nec citò punit. Et hoc eſt longanimitatis: quia non ad horam eſt, ſed longa, per multa expectans tempora. Hæc cõtemnit qui non ſic vtitur ad pœnitentiã vt Deus intẽdit: ſed ad impunitatẽ vertit. Et profectò qui Dei bonitatem negligit, vel potiùs eius miſericordia abutitur, plerunq; in profundum peccatorũ venit: non ſolùm vt Dei iuſtitiam contemnat, ſed etiam de diuina miſericordia deſperans, omni immunditiæ, atq; turpitudini ſeſe tradat. Sic enim peruenitur ad tertium peccatorum gradum, quando peccator vitiorum ſomno obrutus, minimè cogitat expectari ſe à Deo ad pœnitentiam: cuius neglectu, cotidiè grauiora ſibi ſupplicia commereatur & coaceruet. Quẽ Paulus tertio loco acri increpatione vrget dicens: An ignoras q benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? Quòd ſi hæc malo tuo ignoras, & es rebellis diuino lumini, & dicès Deo, Recede à me, ſcientiam viarum tuarum nolo: reſipiſce obſecro & vel hoc vnum audi ac cogita, quòd ſecundùm duritiã tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicii dei: qui reddet vnicuiq; ſecundùm opera ſua. Super quo Oecumenius: Quùm enim quiſpiã neq; benignitate emolliri poteſt, neq; iram timet, quid eo durius eſſe poteſt? & cũ ait, theſaurizat, id eſt recondit: ſignificat quòd certiſſimò ſeruabitur, & quòd tibi cauſa ſis: nã tu tibi recondis & reponis Dei iram. Nè autem iram Dei audiens, affectum arbitreris, ſubdidit: & reuelationis iuſti iudicii. Vbi enim iuſtum eſt iudicium, ibi non eſt affectus. Nam tũc maximè iuſtum iudicium reuelatur, quando Deus reddit vnicuiq; iuxta opera ſua: ſcilicet & mala malis, & bona bonis. Deniq; impœnitens ad perſeuerantiam in malo duratur, ex animi electione: qua non ſolùm eſt affectus, ſed etiam intimè infectus. Inde fit malitię ptinax, & venæ deſperans, ac denique prorſus impœnitens. Quod bifariàm cõtingere ſolet: vel quia homo impius & improbus

ex animo proponit ſe nunquam à peccando receſſurũ: & huiuſmodi impœnitẽtia eſt ſpeciale aduerſus Spiritũ ſanctũ peccatũ: cuius bonitatẽ negligit impœnitens. Alio modo dicitur impœnitens non ex propoſito ſe, quod accidit ei inconſideratò, perſeuerare in peccato vſque ad extremum halitum. Et hæc impœnitentia non eſt malitia per ſe pœnitentis, ſicut illa prior: ſed pœnitentiæ negatio concomitans, ſiue priuatio, & circunſtans peculiaria peccata. Puta cùm fornicator, aut auarus, aut quiſpiam alius, antequàm reſipiſcat, moritur. Et profectò quando eſt pura pœnitendi negatio, eſt ſimplex quoque circunſtantia. Puta ſi quis priuſquàm peruenerit tempus in quo tenetur peccati ſui pœnitêre, ſit repentina morte ſublatus. Eſt autem pœnitentiæ priuatio ac perinde ſpeciale peccatum, quando quis vbi acceſſerit tempus in quo peccati ſui pœnitêre tenetur, pœnitere minimè curat, etſi non proponat ſe nunquàm pœniturum. Impœnitentia igitur negatiua, vtpote circũſtantia aggrauat peccatum: priuatiua addit omiſſionem: contraria addit ſpecialem malitiam atque grauiſſimam, quæ dicitur peccatũ in Spiritum ſanctũ. Sed de hoc aliàs exactiùs diſputandum eſt.

Tractatus de dolendi ratione piè ac ſalutariter pro peccatis.

Caput primum.

DOlere eſt dolore affici, cruciatu tangi. Et vt Cicero in primo Tuſculanarum Quæſtionum definit, Dolor eſt motus aſper in corpore, à ſenſibus alienus: id eſt fuga perceptæ læſionis: cuius prima cauſa eſt, & ſine qua non fieret. Dolor eſt apprehenſio obiecti ſecunda, per quam ſic eſt diſconuenientiæ perceptio: ſiue quia lædit potentiam, corrumpendo organum naturali corruptione, vt corrũpatur tangendi organum: vel quia corrumpit virtutis ſenſitiuæ proportionẽ, hoc eſt temperamentum, quæ eſt diſpoſita ad ſuum ipſius vſum. Quod accidit quãdo excellens ſenſibile opponitur ſenſui, eumq́; corrũpit. Sic enim ſi quis directo aſpectu Solare corpus diu intueatur, excæcatur: ſic & vaſto tonitru ſurdeſcit. Vel quia percipit operationis ſuæ imperfectionem. Triſtatur enim animal ſi percipiat ſe non perfectè vel guſtare, vel videre, vel audire. Vel demũ quia obiectũ nõ eſt tale, quale ſecundũ naturã vel artem eſſe debet. Etenim animalia quoque bruta experimur vocum conſonantia delectari: diſſonantiã verò auerſari. Sic & rerum imaginibus aptè formatis oblectamur: & malè diſpoſitis offendimur, etſi nulla inde vtilitas nullúmue nocumentum ſit acceſſurum. Ex apprehenſione itaque obiecti ac diſconuenientis nocentiſque perceptione fit, vt appetitus perturbetur, illúdque fugiat: & perinde quandiu il-

lud depellere nequit, manet ac dolet. Illa enim paſſio appetitum ipſum ſolicitans, atque inquietans, eſt ipſe dolor. Enimuerò ſi aſſimilis diſplicentia in appetitu intellectiuo facta ſit ex perceptione eorum, quæ nobis nolentibus accedunt, vel quia nocent, vel quia minimè congruunt, ſed diſſonant, triſtitia dicitur. Vnde Auguſtinus ſuper illud Pſalmi quadrageſimiſecundi: Vt quid triſtis es anima mea? & vt quid conturbas me? ita philoſophatur: Quæritur perſona loquens nunquid caro animæ loquitur, cùm caro ſine anima non loquatur. Proprium enim magis vt anima carnem alloquatur, quàm vt caro alloquatur animam. Sed quia non dixit, Quare triſtis es caro mea? ſi enim carnem alloqueretur, fortaſſe non diceret, quare triſtis es, ſed quare doles? Dolor enim animæ triſtitia dicitur, moleſtia verò quæ ſit in corpore, dolor dici poteſt, triſtitia non poteſt. Sed ex dolore corporis plerunque anima contriſtatur: intereſt tamen quid doleat, & quid contriſtetur. Dolet enim caro, triſtis eſt anima: & aperta iſta vox eſt, Vt quid triſtis es anima mea? Non enim anima alloquitur carnem, quia non dixit, quare triſtis es caro mea? nec caro animam: quia abſurdum eſt vt inferior alloquatur ſuperiorem. Ergo intelligimus nos habere aliquid vbi imago Dei eſt: mentem ſcilicet, atque rationem. Ipſa mens inuocabat lucem Dei, & veritatem Dei: ipſa eſt qua capimus iuſtum & iniuſtum: ipſa eſt qua diſcernimus verũ à falſo: ipſa eſt quæ vocatur intellectus, quo intellectu carent beſtię: quem intellectum quiſquis in ſe negligit & poſtponit cæteris, & ita abiicit quaſi non habeat, audit ex Pſalmo: Nolite Pſal.31. *eſſe ſicut equus & mulus, quibus nõ eſt intellectus. Intellectus ergo noſter, alloquitur animã noſtram. Iſta in tribulationibus marcida eſt, feſſa in angoribus, cõtracta in tentationibus, ęgra in laboribus. Erigit eam mẽs cupiẽs veritatẽ, & dicit: Vt quid triſtis es anima mea? & quare cõturbas me? Hęc Auguſtinus.*

Auguſti. Pſal. 42.

Enimuerò in ſacris literis, non perpetuò ſeruatur hæc differẽtia inter dolorẽ & triſtitiam, in quibus nõnũquã dolor tam intellectiuo, quã ſenſitiuo appetitui accommodatur. Nam cùm dolens Paulus & conuerſus ſpiritui dixit, Con- Act. 16. *ſtat non carnem, ſed animam eius doluiſſe. Iam verò illud in primis notandum, dolendi verbum non poſſe Deo ipſi propriè conuenire: quoniam cùm ſit actus puriſſimus, nullo extrario affectu tãgi poteſt: & cùm ſit ipſa de per ſe delectatio, atq; ipſum gaudium per eſſentiam: idẽ eſt enim ei eſſe, & delectari, & gaudere: nec dolere poteſt, nec triſtari. Quòd ſi obiicias huic ſententiæ, multa diſplicere Deo, ac perinde ei dolere: non bene colligis. Licèt enim multa diſpliceant, quia ei non placent, quia ea fieri prohibet ac reprobat: ſed nullo inde dolore mouetur, nulla triſtitia tangitur. Ego, inquit, Deus, & nõ mutor. Nonne in libro Geneſ. Deo ipſi dolor* Gen. 6. *adſcribitur? dũ de eo narratur: Videns autem Deus quòd multa malitia hominũ eſſet in terra, & quòd cuncta cogitatio*

cordis intēta eſſet ad malũ omni tēpore, pœnituit eũ quòd hominem feciſſet in terra: & prȩcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinſecùs, Delebo, inquit hominem quē creaui à facie terrȩ. Adſcribũtur vtiq; Dẽo humanȩ affectiões, ſed nullatenùs ꝓpriȩ, ſed tranſlatæ: neq; enĩ re vera in Deũ cadit pœnitentia. Eſt Deo omnibus rebus tã fixa ſentẽtia, quã certa ſcientia: nec aliquo cruciatur vt doleat. Cur ei adſcribũtur? quia cõdeſcendit Spiritus sãctus humanȩ infirmitati, dũ diuina myſteria ſtylo hominis hominibus tradũtur, vt ea vtcũq; capere valeant. Scriptura ergo vſitatis verbis & humanis Tropis humanæ paruitati ſeſe coaptãs, ſic loquitur, vt ex cognitis nobis, diuinitatis ſacramenta vel ex parte cognoſcamꝰ. Sicut itaq; ira dei nõ eſt in eo animi perturbatio, ſed iudiciũ quod irrogatur peccatori: & cogitatio cordis eiꝰ eſt mutãdarũ rerũ immutabilis ratio: Sic pœnitere Deo, nullo modo ſignificat ipſum vel aliquã pœnã ſubire, vel aliquatenùs reſipiſcere, ſed eius immobile decretũ puniendi hominem delendiq; totũ genus humanũ Diluuio: exceptis eis per quos melior ꝑles ſuccreſceret, & per alias atq; alias generationum ſucceſſiones ad Chriſti gratiã perueniretur. Sic & præcauere dicitur & dolere, quòd velut vade ſolicitus & anxius malis futuris reſtringeudis intentus ſit, & velut penitiſſimè doleat: id eſt maximè nolit mortalium peccata exigere, vt ad eos puniendos omnium ferè excidio abutatur. Quin & alibi dolere Deum poſitũ eſt pro eo quod eſt miſereri, id eſt hominum miſeriis ſubuenire: hoc eſt miſeros à calamitatibus liberare. Vnde in decimo Iudicũ capit. Filii, ait, Iſraël, ſeruierũt Dñ͞o Deo, qui doluit ſuper miſeriis eorũ. Quin etiã vt alibi ſcripſimꝰ, iuxta ſecretiores intellectus omẽs hi affectus, qui deo ἀνθρωποπαθῶς adſcribi ſolent, appoſitè valde adũbrãt futurũ quõdã tempus fuiſſe, in quo, is qui Deus foret, in aſſumpta carne ex clementiſſima miſericordia mœſtiſſimo dolore, vſq; ad piẽtiſſimarũ lachrymarũ effuſionẽ tãgendus eſſet. Id qđ expletũ eſſe cõſtat cũ vidẽs Ieſus ciuitatẽ Hieruſalem miſerrimè deſolãdã, fleuit ſup illã: & quũ inſtãte Paſſione ſua cœpit triſtari, & tȩdere, & mœſtus eſſe: nempe iã iã deleturꝰ lẽgẽ veterem, ſacratiſſimo ſanguinis & aquȩ de latere pendentis in cruce effluẽtiũ profluuio, vt in ſemetipſo nouũ cõderet hominem, qui ſecundùm deum creatus eſt. Sed de Chriſti dolore atq; triſtitia, vnum atque alterum caput ſcripſimus, quæ ad, verbum triſtari, remittimus.

Caput ſecundum.

ET *profectò creaturarũ dolor bifariàm conſiderari poteſt: vel prout eſt paſſio quædam, quacunq; de cauſa oriatur, patientem infeſtans & affligens: vel prout probè vel improbè infertur aut toleratur, ſiue fuerit ſponte excitatus, ſiue aliunde illatus: & quidẽ nunquam dolore affectus homo fuiſſet, niſi peccaſſet. Quippe qui originalis iuſtitiæ præſidio defendebatur, nè vel morbo corrumperetur, nè vel lapide aut*

ferro

ferro vulneraretur, deiq; prouidentia pmunitus ſeruatusq;, nec nõ & propria ratione ſemper vigilans, perpetuò cuſtodiretur, nũquã in aliquid ſibi moleſtum quo doleret incideret. Sicut enĩ propter peccatũ homo morti fuit obnoxi⁹, ſic et laboribus atq; doloribus addictus: dicẽ-

Gen. 3. *te Domino ad Virũ: In ſudore vultus tui veſcêris pane tuo. & ad Mulierem: In dolore paries filios. Et profectò cùm omnis dolor affligat & conterat naturam, parientem vehementiſſimè cruciat atque opprimit. Siquidem parientis dolorem eſſe acerrimum, tum eo conſtat, q plerunque ſua nimietate parturientem ita degrauat, vt ei viribus defectæ prę ſentaneam afferat mortem. Hinc illud*

Ioan. 16. *Euangelicum: Mulier cùm parit triſtitiam habet, quia venit hora eius: ſcilicet in qua amittendæ vitæ diſcrimine laborat, tum quòd huic dolori velut grauiſſimo, acerrimi illi damnatorum cruciatus, quos apud inferos patiuntur, in ſa-*

Pſal. 47. *cris ſcripturis aſſimilantur. Vnde illud: Ibi dolores vt parturientibus. Quod incommodum proculdubio mulier euaſiſſet, ſi diuinis iuſſionibus obtemperans iuſtitiam coluiſſet. Præclarè Auguſtinus in decimoquarto de Diuina ciuitate libro: Sic tum temporis ad pariendum non doloris gemitus, ſed maturitatis impulſus, fœminea viſcera relaxaret: ſicut ad concipiendum non libidinis appetitus, ſed voluntarius vſus naturam vtriuſque coniungeret. Enimuerò ab eius maledicto exempta fuit Deipara Virgo, quæ, vt ait Iſaias, antequàm parturiret peperit, & antequàm partus adueniret peperit maſculum: hoc eſt antequàm difficultas p… eam interciperet. Peperit enim illa aſq; vlla difficultate: ideò antequàm dolor eueniret peperit maſculum. Non enim beata Virgo ante ipſum pariendi tempus filiũ edidit, ſed antequàm dolor qui ſolet parturiẽtes cruciare, eã attĩgeret, Saluatorẽ leuiter effudit. Vnde Septuaginta pro eo qđ apud nos eſt partus, poſuerũt dolor: id iure ſuo. Siquidẽ Lechẽ hebraicũ, vtrũq; ſignificat, partũ ſcilicet & dolorẽ. Cõgruebat autẽ huic locõ ad dei Genitricẽ accõmodãdo hebraicã vocẽ, dolorẽ poti⁹ quã partũ interpretari. Pulchrè autẽ Gregorius Nyſſen⁹: Apparens enim Dñs vt homo, nõ per omnia legib⁹ humanę naturę ſubiicitur. Nã q ex muliere naſcitur, humilitatem redolet: virginitas verò, quæ ortui deſeruiuit oſtendit q tranſcenderet hominem. Huius ergo iucunda portatio, ortus ĩmaculatus, part⁹ facilis, abſq; corruptela natiuitas, nec ex luxu incipiens nec doloribus edita: quia nãq; ea quæ naturæ noſtræ mortem per culpam inſeruit damnata eſt vt cũ doloribus pareret, oportebat parentem vitę cũ gaudio perficere. Hęc ille. Sed & tu expende verũ iuxta myſticos intellectus poſſit illud Iſaię ad Virginẽ Deiparã cõmodè* Iſa.
referri: Lętabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi liliũ: germinans germinabit, & exultabit lætabũda & gaudẽs. Cæterũ ſicut vidimus illius filiũ virum dolorũ, & ſcientem infirmitatem, vt languores noſtros ipſe tolleret & labores noſtros ipſe portaret: ita & matris animam doloris gladius pertrãſiuit, vt eſſet cõſors prę aliis

 maximi

ma[...]oloris, quę futura eſſet prę aliis
maximè glorię particeps. Fuit tamẽ Ma
rię dolor multò inferior Chriſti dolore:
quia illius dolor myſteriorũ cõſideratio
ne nonnihil mitigabatur: non autem hu-
ius dolor in quo portio inferior à ſupe-
riori nõ accipiebat cõſolationem, vt Do
ctores tradunt: vt ſicut charitas Chri-
ſti erat maxima, eſſet dolor acerbiſſimus
& cõpenſatio pleniſſima, ac perinde deo
gratiſſima. Nullus enim vnquã hominũ
adeò vehemeter doluit ſicut Chriſtus: qa
totũ obiectũ contriſtatiuũ erat maximũ
eorum quæ in hac vita contriſtari poſ-
ſunt. Et eiuſdem complexio in eo tenerri
ma, ac perinde ad patiendum caro eius
aptiſſima. Coniunctio demum inferentis
dolorem penitiſſima, ideoq; maior ipſius
dolor quã cuiuſlibet martyrũ, ſed nõ quã
cunctorum ſimul acceptorum. Non enim
ſi tanto dolore oppreſſus fuiſſet, viuere
poſſet, præſertim ſi verũ eſt eũ ab inſtan
ti conceptionis ſuæ, crucẽ ante oculos ha
buiſſe: ideoq; nunquam viſum fuiſſe ride
re, flere autem ſic. Non tamen Chriſti
dolor eſt comparandus damnatorũ dolo
ri quem ipſe minimè guſtauit: vt qui id eũ
guſtaret cũ damnatos nõ eſſet ad quietẽ
Act.2. reuocaturus? Nec te moueat quòd Pe-
trus aſſeruit Ieſum à Deo ſuſcitatũ ſo-
lutis doloribus inferni, apud quẽ impoſſi
bile erat, eũ detineri. Id enim Petrus di-
xit: Quia Dominus Patriarchas aliosq;
iuſtos ſolutis tãtis doloribus infernę ha
bitationis, ſecũ reduxit ad gloriã. Etenĩ
quãuis illi iuſti in ſinu Abrahæ quieſcẽ
tes ſenſilẽ pœnã minimè paterẽtur, ab ea
pœna nõ erant immunes quã ſuſtinebãt,
Prou.13. dei viſione priuati: ſpes enim quæ dif-
fertur, affligit animam. Beda demũ ea
dẽ de re ita diſſerit: Cùm ſcriptum eſt de Beda
Chriſto, quem Deus ſuſcitauit ſolutis
doloribꝰ inferni, iuxta qđ impoſſibile e-
rat teneri eũ ab eo: videtur eſſe sẽſus hu
ius ſentẽtię, quòd Dño ad inferos deſcẽ
dẽte dolores pœnarũ ſoluti ſunt: quia eũ
tãgere nõ potuerunt. Sed iuxta Græcũ
ſcriptũ eſt λύσας, id eſt ſoluens per ipsũ:
mortis, græcis eſt ᾅδου: iuxta quod im-
poſſibile erat teneri, id eſt deuinci ſeu cõ
ſtringi illum ab eo: patet quòd per de-
ſcẽſum eius liberati ſunt ſancti à locis in
fernorum. qui licèt in ſinu Abrahæ, id
eſt in locis quietis eſſent: à dolore tamen
mortis, id eſt inferni non erant ſoluti ex
toto: quia nõ meruerunt gaudia cœli in-
trare, donec fieret illud Prophetæ: Tu Zacha.9
quoq; in ſanguine teſtamenti tui eduxi-
ſti vinctos tuos de lacu in quo non erat
aqua. Soluit & dolores multorum, qui
in Purgatorio loco tenebãtur, vt in hac
quoq; parte dolor eius actu cruciatis &
dolentibus ſalutaris eſſet. Imò & ex da
mnatorũ numero aliquos forſitan à do-
loribus eripuiſſet, tanta eſt eius pietas, ſi
iuſtitię ratio id fieri pateretur: quæ tũc
ſolũmodò miſericordiæ cedit, quũ diuinę
diſpoſitioni de bonorũ malorũq; finibus
nõ aduerſatur. Quòd ſi quęras cur huma
ni generis Saluator à ſibi credẽtibꝰ ĩ hac
etiã vita dolores nõ abſtulit? In primis
quoniã nõ eſt hic locꝰ p̄miorũ, ſed merito
rũ: ad merẽdũ autẽ percõmoda eſt ęqua
nimis dolorũ patiẽtia. Doloribꝰ enĩ cor
poralibꝰ affecti à voluptatibus refręna
mur, ab inferẽda iniuria ꝓhibemur, à mũ
danis ãbitionibꝰ coërcemur, à diuitiarũ
cupiditate reſtringimur, ab huius vitæ
amore

*amore auertimur. Doloribus corporis
compuncti ad ſapientiam capeſſendã in
citamur, ad prudentiam erudimur, futu
ra bona meditamur, æternamq́; vitã il-
lorum tolerantia nanciſci conamur: ſciẽ
tes quòd vexatio dat intellectum, & tri
bulatio patientiã operatur, patiẽtia pro
bationem, probatio ſpem: nosq́; ad hanc
Pſal. 126 ſpem Pſalmiſta erigit dicens: Surgite,
poſtquã ſederitis, qui mãducatis panẽ do
loris. Super quo ſapiẽter Hilarius diſ-
Hilarius. ſerit ac dicit: Seſsio quieſcentis requies
eſt, à qua ſurgere iubẽtur qui ad perfe-
ctã hanc Dei ciuitatẽ ſunt comparandi.
Et qui tandem ſunt iſti qui ſurgere poſt
quã ſederint iubentur? nempe qui mandu
cãt panẽ doloris. Panẽ doloris mãducat
q̃ſquis ſe hominem in vitiis natũ ac viue
re meminit. Cũ enĩ volũtas noſtra p̱ dei
metum & ſpem ęternorũ ad perfecta in
nocentiæ opera contendat, & contrà
naturalis quędam conſuetudo vitiorum
in ipſis illis è quibus emergere nititur,
immoretur, vitæ dolorẽ per infirmitatẽ
deſtitutæ voluntatis accipimus, ſecun-
dùm dictũ Prophetæ: Qui apponit ſciẽ
tiã, apponit dolorẽ. Cũ enĩ veritatis co
gnitio volũtatẽ noſtrã ad profectũ cõſe
quendæ vtilitatis inſtiget, & naturæ
conſuetudo voluntatem ſcientem oporté
re ſe proficere detineat, profectus ſcien-
tię profectus doloris eſt: cùm in tantum
ſe per naturam doleat detineri, in quan-
tum naturam ſibi per cognitionem intel
ligat relinquendam. Huic ergo dolor
vitæ eſt, huic panis doloris eſt: cuius vi-
tę & doloris hic idem Propheta memi-
nit, dicẽs: Cibabis nos pane lachrymarũ,
& potũ dabis nos lachrymarũ in mẽſura.
Tendendum eſt autẽ ſemper nõ etiã deſi
nẽdũ: neq; idcircò ad perfectũ nõ cõtẽdẽ
dũ, quia doleamus id quod tẽditur nõ poſ
ſe cõtingi: ſed in ipſa cõtẽdẽdi pertina-
cia dolẽdũ eſt, nos cõtingere nõ poſſe, quò
tendimus. Doloris huius Dominus me-
minit dicens: Beati lugentès, quoniã ipſi
conſolabuntur. Beatitudinem cõſolatio
nis, ob luctum & dolorem non adeptæ
conſummationis, impertiens.*

Caput tertium.

*Porrò quoniam quidam verè
dolẽs de ſe loquitur: Ego ſum
pauper & dolens: ſalus tua
ſuſcepit me: quærat quiſpiam quãtus de
beat peccatoris eſſe dolor vt ſit ei ſalu-
taris? Et forſitan videretur alicui opor
têre eum eſſe infinitũ. Siquidem peccan-
do infinita bonitas offenditur. Sed è cõ
trario ſtat illud eiuſdem pœnitẽtis: Po
tũ dabis nobis in lachrymis in menſura.
Ex quo liquet, certã quãdã menſurã dolẽ
tis lachrymis eſſe adhibendam. Pro hac
quæſtione decidenda in primis eſt annot-
tandũ, quẽlibet criminaliter peccantẽ cri
mine ſuo Dei inimicum ſeſe conſtituere,
atq; vidẽdi Dei iure priuari, æternisq́;
cruciatibus obnoxiũ fieri. Notandũ &
illud, quòd quamuis dignum peccatorum
ſuorum dolorem concipiens per eum ab
illis tribus incõmodis liberetur: remanet
tamen ordinariè reus perſoluẽdæ alicu-
ius tẽporalis pœnæ in hoc vel alio ſæcu
lo. Nãq; Dauid verè de peccatis ſuis ad
ulterio videlicet & homicidio, doluerat:
& tñ tẽporarii pœna, id eſt filioli mor
te mulctatus fuit. Dixi autẽ ordinariè:*

Quia tantus poteſt eſſe interdum cordis contriti dolor, vt omnem pœnam alioqui luendã aboleat. Nota: dũ deniq; quadrifariàm contingere Deum ab homine ſuper omnia diligi. Primò quidem tum cæteris omnibus æſtimatione præferendo, quòd ſit cunctis bonis excellẽtior. Secundo modo affectus benignitate: quod fit ſi quis Deo velit ſummum præ cæteris bonum: idque ei placeat. Tertiò dilectionis firmitate, ita quòd aliquis priùs deſiſteret à cuiuſlibet inferioris boni amore, quã ab illius charitate. Quartò demum dilectionis magnitudine: vt ſi quiſpiam intenſiori dilectionis gradu Deum quàm quicquam aliud proſequatur: & quidem maieſtatis æſtimatione, beatitatis complacentia, dilectionisq; conſtantia, quilibet homo cæteris omnibus Deum præferre tenetur. At verò amoris gradu nõ debet ſemper præferre Deum proximo: quia quolibet charitatis gradu adimplet præceptum de charitate, & cum maiori dilectionis intenſione patris erga filium, ſtat ab eo verè Deum diligi. Quòd ſi dilectio filii adeò creſceret, vt Dei dilectionem excluderet, iam remittẽda eſſet filii dilectio: deiq; dilectio eſſet intendenda, quouſque hęc illam ſuperaret atque vinceret. E diuerſo autem talis eſſe debet diſplicentia atque dolor de peccato in Deum commiſſo, quòd temperetur ad analogiam eorum quatuor quę in diligẽdi modis modò explicauimus: Id quod commatico ſtylo decernere præſtat. Sit itaque Prima Propoſitio. Opus eſt vt peccatori remittatur à deo peccatum ſuum quantum ad culpam & pœnam æternam, de eo maximè dolere, æſtimatione, diſplicentia, & firmitate. Hoc eſt vt peccatum odio habeatur ſupra omne odibile, & diſpliceat ſupra omne triſtabile, & ſtet firma ſententia non peccandi, vitandiq; peccatum plus quàm omne aliud vitabile damnum. Sicut enim ſe habet propoſitum ad propoſitum: ita & oppoſitum ad oppoſitum. Sed Deus eſt diligendus, ęſtimatione, affectu, atque perſeuerantia, plus quàm omne diligibile, atque delectabile. Peccatum igitur eſt odio habendum atque deteſtandum ſupra omne odibile, atque deteſtabile. Supra omnem vtique paupertatem, morbum, ignominiam, cruciatum, membrorum detruncationem, ipſámque mortem: quin & ſupra omnem pœnam quantumuis perpetuam, atque ipſam ſeparationem à Deo. Maius enim malum eſt peccando mereri à Deo ſeparari, quàm idipſum ſeparari. Illud enim malitiæ eſt, quæ non poteſt eſſe non iniuſta: hoc autem eſt pœnæ iuſtę à iudice iuſtè irrogatę. Plus enim tenetur peccator deteſtari peccatum, quatenus eo Deum offendit, quàm prout ſibiipſi nocet. Quia amplius Deum quàm ſeipſum diligere obligatur, nè creaturam creatori diligẽdo præferat. Id quod rerum natura minimè patitur. Teſtatur & hoc Auguſtinus in libro de contritione cordis, dicens: Peccare eſt deum offendere: quod homo facere non deberet, etſi ſciret interiturum quicquid Deus non eſt. Eligit igitur verè contritus potiùs pati omnia illa ſuperiora damna vt maneat abſque peccato, quàm illa vitare, deum offendendo: nè Dei dilectione Auguſti.

ne

ne carens, à morte temporali in æternã decidat: dicente Ioanne Euangeliſta; Qui nõ diligit, manet in morte. Sed dicet quiſpiam: Eſtne opus, verè pœnitẽtem ſuorum criminum, iſta inuicem comparare, in hunc videlicet modum? Priùs equidem admitterem rerum mearum diſpendium, & vxoris filiorumq́;, nec non & mortem meam, quàm gratiam Dei amittere: non eſt neceſſe id facere, nec eſt vllum dei mandatũ quo id fieri debeat. Satis eſt ad legitimam contritionẽ, in generali velle deo in omnibus placere, & in nullo ei diſplicere: atq; habere definitum propoſitum, vlteriùs nunquã peccandi. Eſto nõ ille ad id teneatur, nunquid expedit eam collationem facere? Reſpondetur cum ſancto Thoma articulo nono primæ quæſtionis quolibeticæ, duobus dictis. Primo: Si quis eſſet in propoſito vitandi quælibet peccata adeò conſtans, vt per tales particulares comparationes ab eo non deſiſteret, quo uſq; perfectum cordis contriti gradum attingeret, non ab eo quem habet, illorũ damnorũ terrore decideret: proculdubio plurimũ ille ſpiritu ꝓficeret, et toti pœnæ pro peccatis ſuis alioqui luendę penè ſatiſfaceret. Quoniam eiuſmodi actio, quo diſtinctior eſt, eo difficilior, & perfectior: ac perinde Deo gratior habetur. Secundò: Si quis verò hac expectatiſſima virtute non polleat, non expedit ei in iſtiuſmodi peculiares conſiderationes deſcendere. Id enim vel à ſe vel ab alio exigere, eſſet dubiæ atq; periculoſæ tentationi ſemet exponere. Vnde quę noſtra eſt infirmitas, qui id ipſum faceret, frequentiùs victus teneretur, quàm victor euaderet: ſicut ſcriptum eſt, Qui amat periculum, peribit in illo. Secunda Propoſitio principalis. Sicut quælibet dilectione dei, qua diligitur ſup omnia, adimpletur præceptum de eo diligendo: ita quælibet diſplicentia de peccato charitati copulata, eſt ſufficiens ad delendam in pœnitente culpam, & potens eſt tollere æternæ pœnæ reatum, quantunlibet remiſſa ſit ac tenuis: Dicente Domino per Ezechielẽ: In quacũq; hora peccator conuerſus fuerit, & doluerit, omnium iniquitatum eius ampliùs non recordabor. Hic autem nulla fit mentio de doloris magnitudine: nec eſt reperire in vniuerſa ſcriptura ſacra locum in quo ad certum quendam doloris gradũ pœnitentem Deus obliget. Quid? quòd nec id fieri decuit, cùm nullus ſit tã perſpicax diſplicentiæ expenſor, qui nouerit certum ſuæ triſtitię gradum, ac perinde nunquam haberet probabilẽ cognitionem ſe attigiſſe illum doloris gradũ ſibi præſcriptum. Quòd ſi ad amittendam dei amicitiam ſatis eſt quælibet plena complacentia in eo quòd ſit ſub mortifera comminatione prohibitum, ex aduerſo quælibet deliberata diſplicentia de eodem ſuis circunſtantiis adornata, ſufficiet ad reconciliandum deo peccatorem. Siquidem multò pronior eſt Deus ad abſoluendum quàm obligandũ, & ad dimittẽdum quàm ad puniendum: Secundùm illud Prophetæ: Miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Suffragatur & huic ſententiæ Ioannes Chryſoſtomus in libro de reparatione lapſi: dicens, Talis eſt, crede mihi, talis eſt erga hominem pietas dei: nunquam ſpernit Chryſo.

 pœnitentẽ,

pœnitentem, ſi ei ſynceré & ſimpliciter offeratur: etiam ſi ad ſummũ quis perueniat malorum, & inde tamen velit reuerti ad virtutis vitam, ſuſcipit libēter & amplectitur, & facit omnia quatenùs ad priorem reuocet ſtatum: quod eſt adhuc præſtantius & eminentius: etiam ſi non potuerit quis explere omnē ſatiſfaciendi ordinem, quātulacunq; tamen & quamlibet breui tempore geſtā non reſpuit pœnitentiam. Suſcipit etiā ipſam: nec patitur, quanuis exiguæ conuerſionis, perdere mercedē. Tertia Propoſitio. Expedit pœnitentibus diſpliceētiam de ſuis peccatis habendam eſſe maximam. Quia ſicut Dei dilectio quanto eſt maior tanto eſt magis meritoria atque ſatiſfactoria: ſic quanto diſplicentia criminum eſt vehementior, tāto eſt magis meritoria, atq; ſatiſfactoria: ſecūdum illud Domini ad Simonē pro Magdalena: Amen dico tibi, remittuntur illi peccata multa: quia dilexit multum. Quarta Propoſitio. Dolor intellectualis qui ſuapte natura in viatoribus eiuſmodi diſplicentiam ſequitur, quæ eſt triſtitia in voluntate, eidem conformatur. Nam ſicut illa diſplicentia per ſe nō poteſt eſſe nimia, ſic nec triſtitia. Id quod ſanctus Thomas hoc probat modo. Cōtritionis dolor de charitatis amore procedit: Amor autem charitatis nimius eſſe non poteſt: nimius igitur eſſe nequit contritionis dolor. Dictum eſt per ſe nō eſſe nimium: Quoniam ex accidenti metas rationis excedere poteſt. Nempe ſi in tantum creſceret vt inferiorem appetitum attingēs, eum male afficeret. Sed pro hoc declarando ſit Quinta Propoſitio. Dolor ſenſibilis de peccato poteſt eſſe nimius. Siquidem poteſt eſſe ſuperabundans, modumq; excedere: quod cùm ſit, improbus eſt ille habendus. Virtus enim medio conſiſtit. Excedit autem talis dolor rationis medium, quando eo adeò dolentis corpus ægreſcit, vt inde vel mors, vel grauis morbus, vel impedimentum debitis perſoluēdis, potioribus agendis ſequatur. Hinc Apoſtolus 2.Cori.2 Corinthios admonet, conſolari eum quē ipſe ob immane quoddam flagitium puniuerat, nè nimio dolore tabeſceret: nè abſorbeatur, inquit, abundatiori triſtitia, qui huiuſmodi eſt. Sexta Propoſitio. Sicut dolor ſēſitiuus nimius eſſe poteſt, ſic & lachrymarum copia ab eo effuſa modũ excedere valet. Poteſt enim eſſe tantus illarum exceſſus vt penitus exiccent naturalem illum humorem, vel ad lachrymantis vitæ conſeruationem, vel ad bonam ſenſuum tam interiorem quàm exteriorem habitudinem. Sequitur enim ex nimio fletu in capite vertigo, in oculis hebetudo, & in toto ferè corpore ad præſtandum officium infirmitas. Sed non ita ſentimus mala noſtra vt liceat nobis cum Pſalmorum cantore Pſal.118. cantare: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non cuſtodierunt mādata tua. Non decet pœnitentem ploraudo excæcari, ſed ſcire eum Auguſtino ſe dignum eſſe non tantùm cæcitate, ſed etiam morte, tum temporaria, tum perpetua. Septima Propoſitio. Stat quempiam habere maiorem diſplicētiam atq; triſtitiam de ſuo peccato in voluntate, & in ſenſitiuo appetitu grauiori de morte filii ſui dolore premi: nec tamen

ideo

ideò illius contritio non eſt vera. Siquidem talis mauult filii mortem permittere, quàm peccando eam inhibere: cui ſimilis eſt is qui iniuriam ſibi illatam maximè ſentit, ac deflet. Mente tamen & verbo reo eam remittit: & ille qui cùm moleſtiſſima ſenſus triſtitia afficiatur, quòd non cedit improbæ tẽtationi. At tamen ei voluntate omnio aduerſatur, nè deum rurſus offendat eiſdem actionibus, quibus fuerat anteà deprauatus: Dicente Apoſtolo: Nihil igitur nunc damnationis eſt his qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant. Octàua Propoſitio. Conſyderanti ſua peccata abſolutè, ſiue ea generaliter ſiue ſpecialiter ea cogitet, non eſt neceſſarium plus de alio quã de alio dolere. Quia ſicut ſuperiùs declaratum eſt, quilibet dolor de peccatis charitate perfectus, quãtumuis remiſſus ſit, eſt deo gratus: ac perinde ſufficit ad tollendam omnem culpam, atq; ſempiternæ pœnæ reatum. Sed eſtnè opus facere iſtiuſmodi peccatorum inter ſe comparationẽ? Minimè ad primam gratiã à deo obtinendam. Multi enim peccatores iidemq; maximi, ſicut latro in cruce, repentè ad deum conuerſi, illicò iuſtificati fuerunt. Alioqui ruſticus qui neſcit inter peccata diſtinguere, vtrum de duobus, puta detractione ac furto, ſit maius, non poſſet ſimul eorum pœnitere, facto ſuper eum de cœlo repentè ſonitu ad pœnitentiam ſubitam eum prouocante: quod non eſt admittendum. Siquidem neſcit vlla tarditatis molimina Spirius ſancti gratia. Nona Propoſitio. Quiſquis probè pœnitens ſuorum peccatorum, ſi ea inuicem comparet, de gra…

dolere debet. Plus enim dolere de homicidio, vel adulterio, quàm de furto vel fornicatione: quia illa his ſunt peiora, ampliusq; eis Deus offenditur. Et quemadmodùm de duobus malis cautiùs eſt maius vitandum: ita & de eo magis eſt dolendum, vt culpæ pœnitentia congruat. Oportet & id ipſum facere vt tam citò ac plenè pro maiori, ſicut pro minori peccato, Deo hac in vita ſatiſfaciat, vt purgatorias illas pœnas effugiat. Id quod & commodiſſimum fuerit ad vitanda alia peccata. Quanto enim quiſq; de peccato à ſe commiſſo dolet intenſiùs, tãto cautiùs & diligentiùs, conſtantiùs atq; diutiùs, & illud et alia peccata auerſatur, fugit, eorumq; cauſas excidit: ac perinde tanta dei gratia cõſtabiliri meretur, vt tardiùs vel potiùs illa nunquam repetat. Vnde Propheta ait: Iuſtum adiutorium meum à Domino, qui ſaluos facit rectos corde. Hæc de neceſſario dolore peccatoris ad obtinendã veniam ſuorum criminum digeſſimus. Nunc autẽ ſalubre conſilium adhibendum fuit: id eſt, egregius pœnitens, nec nuda peccatorum ſuorum diſplicentia, nec ſola intellectuali triſtitia ſit contentus, doleat & ſenſu atq; defleat: lachrymis interiorem animi dolorem exteriùs oſtendat. Nonne omnes ſancti teſtantur pro peccatis diluendis maximum ſubeundum eſſe dolorem? Conſtat & pœnitẽtes, quos legimus in ſacra ſcriptura Deo placuiſſe, acerbis doloribus, magnis gemitibus, aſſiduis ieiuniis, & continuis precationibus, atq; frequentibus eleemoſynis Deũ

...re procuraſſe. Accipite ... omnium præſcriptorum ſummã Ambroſi. ex Ambroſio in libro de Pœnitentia. Deus, inquit, definitionem non facit, qui miſericordiam ſuam omnibus promiſit, & relaxandi licentiam ſacerdotibus ſuis ſine vlla exceptiõe cõceſſit: ſed q cul pam exaggerauit, exaggeret pœnitentiam. Maiora enim crimina maioribus abluuntur fletibus: quia iuxta menſurã delicti, erit plagaru & modus. Et quid aliud inſignis ille predicator baptiſmi ac pœnitentiæ à turbis ad ſe fluentibus exigebat? dicens: Facite fructus dignos pœnitentiæ: niſi vt criminum tum qualitati tum quantitati, ſatiſfactionum & qualitas & quantitas reſponderet.

Denique pleraque horum quæ in hoc Codice continentur diſcuſſimus, quũ in Salmanticenſi Academia, toto terrarum orbe florentiſſima, Theologiam profiteremur: agentes in nobili Collegio cui eſt titulus, Sanctæ Mariæ.

Finis.

Hallucinationes aliquot leuiculæ, variæq; lectiones, ita caſtigantor & adduntor.

Fol. 17. columna. 1. linea à ſummo. 2. legito, ſeptẽq;.
Fo. 56. col. 2. linea ab imo quarta, exęſtuat.
Fol. 67. col. 1. lin. à ſummo. 6. Celebrauit.
Ibidem, linea ſexta, ſuo.
Fol. 76. col. 3. linea ab imo. 19. aliàs lege, intentam.
Ibidem, li. 5. pro &, aliàs, aut.
Ibidẽ, col. 4. li. ab imo. 10. aliàs ſic legito: tã ei qui credit in Deum, id eſt credendo ten dit &c.
Fol. 103. pagina priore, in titulo lege, Neumatis.
Fo. 116. pa. 1. titul' eſto, De ieiuniorũ obſeruatiõe.

Monitus mihi ſemel tandem ſis probe Lector, ſubinde elementũ. n. pro. u, ac contrà. u. pro. n, noſtrã diligentiam in caſtigando feſelliſſe, eò quòd admodũ ſimilia ſibi ſint: id quod, quùm attento lectori imponere haud poſsit, tu pro tuo candore nobis condones oro. Viue fœlix.

EXCVDEBATVR SALMAN
ticæ in Officina literaria Andreæ à Por-
tonariis, Typographi multò accura-
tiſsimi: Anno à nato Seruato-
re, tertio & quinquageſi
mo ſupra Mille Quin
gentos: Quarto
Iduum No-
uẽbrium.

138
69
68
137

